


44.133



# MORALIS CHRISTIANA EX SCRIPTURA SACRA, Traditione, Conciliis, Patribus, & insignoribus Theologis

EXCERPTA.

Res 44133

In quâ positis & statutis principiis generalibus  
deducuntur Consectaria!


*Quibus casus conscientiae sigillatim explicantur.*

Autore R. P. JACOBO BESOMBES, Docto-  
re Theologo, Congregationis Doctrinæ Chri-  
stianæ, & in Provincia Tolosana ejusdem Con-  
gregationis præposito Provinciali.

*Quis quis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit tecum;  
ubi pariter hæsit, querat tecum; ubi errorem suum  
cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me; & ita  
ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum,  
de quo dictum est: Quarite faciem eius semper; Ang.  
lib. i. de Trin. cap. 3.*



TOMUS VII.



TOLOSÆ,

Apud G. LENAUT, Typographum & Biblio-  
lam, in vico Cambiorum prope Ecclesiam  
Sancti Romani.

M. DCCXI.

Cum Approbatione & Privilegio.



MORTALIS  
CHRISTIANA  
EX SCRIPTURA SACRA  
Tractatio<sup>e</sup>, Cognitio<sup>e</sup>, Punctus,  
Expositio<sup>e</sup>, Thesaurus,

ad solu<sup>m</sup> g. usq; in cibis datur non  
quæcumque Cognitio<sup>e</sup> nisi  
cognitio<sup>e</sup> quæcumque

ad solu<sup>m</sup> g. usq; in cibis datur non  
quæcumque Cognitio<sup>e</sup> nisi  
cognitio<sup>e</sup> quæcumque

ad solu<sup>m</sup> g. usq; in cibis datur non  
quæcumque Cognitio<sup>e</sup> nisi  
cognitio<sup>e</sup> quæcumque

ad solu<sup>m</sup> g. usq; in cibis datur non  
quæcumque Cognitio<sup>e</sup> nisi  
cognitio<sup>e</sup> quæcumque

ad solu<sup>m</sup> g. usq; in cibis datur non  
quæcumque Cognitio<sup>e</sup> nisi  
cognitio<sup>e</sup> quæcumque

ad solu<sup>m</sup> g. usq; in cibis datur non  
quæcumque Cognitio<sup>e</sup> nisi  
cognitio<sup>e</sup> quæcumque


THOMAS AQUINAS



TOPIC

M DCC XLI

Expositio<sup>e</sup>, Thesaurus,



# ORDO

EORUM QUÆ IN HOC  
septimo Volumine continentur.

- T**RACTATUS de Sacramentis. Proemium. pag. 1  
Prima pars hujus Tractatûs , quæ solos conscientiæ casus respicit. 2  
Proemium hujus partis. ibidem.  
Variæ annotationes ad intelligentiam hujus Tractatûs. 3  
Quid sit gratia , & quotplex. ibidem.  
Quid sit Sacrementum , & quotplex. 5  
Quomodo Theologi explicent naturam Sacramenti à Christo instituti. 6  
Quid sit materia , quid forma in Sacramentis. 7  
Quæ sit intentio requisita in Sacramentis conferendis & recipiendis. ibidem.  
Recensentur historicè varii errores circa sacramenta , & explicatur , quid sit necessariò credendum de sacramentis. 10  
Quenam sint quæ reddunt sacramentum validum , vel invalidum ; licitum , vel illicitum. 13  
Ad sacramentum 4. requiruntur , materia , forma , subjectum potens recipere , & minister potens conferre , cum intentione à

**O R D O.**

<sup>2</sup> faciendi serio & non jocose id quod facit Ecclesia. <sup>20</sup>

Ad validitatem sacramenti requiriuntur debita materia , debita forma , debita intentio , subiectum potens recipere , & minister potens conferre . Ad decentiam requiruntur ritus in Ecclesia adhiberi soliti , debita sanctitas in ministro conferente , & debita dispositio in adulto recipiente . <sup>22</sup>

Toties sacramentum est invalidum , & nullum , quoties adhibetur aut materia , aut forma diversa ab ea , quam Christus instituit , aut intervenit vel minister conferens , vel homo recipiens alius , quam Christus elegit , aut reperitur vel in conferente , vel in recipiente intentio diversa ab ea , quam Christus in utroque exigit . <sup>24</sup>

Toties sacramentum licet validum , est infructuosum recipienti , quoties illud suscipit sine debitiss dispositionibus , & toties est infructuosum conferenti , quoties illud ministrat sine debita sanctitate , vel omittit cœremonias ex usu Ecclesiæ adhibeti solitas , vel scienter negligit cum ordinem , eamque decentiam , quam Deus vult observari . <sup>25</sup>

Quoties cœremoniæ in solemni sacramento rum administratione adhiberi solitæ omit tuntur , toties sacramentum remanet vali dum , sed fit illicitum . <sup>27</sup>

Toties sacramentum validum in se fit illici tum , quoties servatis etiam solemnioribus cœremoniis , & supposita etiam sanctitate ministri conferentis , & adulti reci-

O R D O.

pientis, omittuntur aliquæ circumstantiæ,  
vel loci, vel temporis, vel personarum,  
quas Ecclesiæ omitti vetat, v. g. sacra-  
menta conferuntur alio in tempore, alio  
in loco. quam Ecclesia velit, vel dantur  
à ministro, aut recipiuntur à subiecto ali-  
ter affectis, quam Ecclesia velit. 28

Mutatio substantialis in materia, forma, &  
intentione reddit sacramentum nullum &  
invalidum; mutatio vero accidentalis red-  
dit sacramentum illicitum. 30

Materia Baptismi est aqua vera & naturalis :  
nec refert frigida sit, an calida. Forma  
autem est : *Ego te baptizo in nomine Patris,*  
*& Filii, & Spiritus Sancti.* 33

Consecrarium I. de multiplici mutatione in  
Baptismo ex parte aquæ. 34

Consecrarium II. de mutatione ex parte ab-  
lationis. 35

Consecrarium III. de mutatione ex parte  
formæ. 36

Consecrarium IV. de mutatione circa in-  
tentionem. 41

Consecrarium V. de mutatione, quæ potest  
contingere ob actionem ministri. 44

Materia Confirmationis est impositio ma-  
nuum Episcopi & chrysma; forma vero :  
*Signo te signo crucis, &c.* 48

Consecrarium I. de multiplici mutatione in  
Confirmatione ex parte materiæ remo-  
tæ. 49

Consecrarium II. de mutatione ex parte  
materiæ proximæ. 52

Consecrarium III. de mutatione ex parte  
formæ. 53

## ORDO.

- Consecratum IV. de eo, qui omittit vel impositionem manuum, vel preces praescriptas. 55
- Consecratum V. de multiplici mutatione ex parte intentionis. ibidem.
- Materia Eucharistiae est panis triticus & vinum de vite; forma vero consecrans panem est haec: *Hoc est enim corpus meum:* & forma consecrans vinum est huiusmodi: *Hic est enim calix sanguinis mei. &c.* 58
- Consecratum I. de multiplici mutatione in Eucharistia ex parte materiae remotae, panis scilicet & vini. 61
- Consecratum II. Ex parte actionis terminatae ad species consecrandas. 67
- Consecratum III. de multiplici mutatione ex parte formae. 68
- Consecratum IV. ex parte mutationis circa intentionem vel conficiendi, vel distribuendi, vel recipiendi. 70
- Materia penitentiae sunt actus penitentis, contritio, confessio, satisfactio; forma vero sunt haec verba: *Ego te abservo a peccatis tuis.* 71
- Toties sacramentum penitentiae est nullum, quoties non adest contritio, confessio, & satisfactio, qualis debet esse; & quoties absolutio non est talis, qualis debet esse. 72
- Contritio debet esse supernaturalis, universalis, interna, suprema, cum amore initiali conjuncta, & in ordine ad sacramentum elicita. 73
- Consecaria hujus doctrinæ. 77
- Confessio debet esse sincera & integra. 86
- Consecaria hujus doctrinæ. 87

## ORDO.

- Confessio non debet esse semper integra materialiter , sed debet esse semper integra formaliter. 97
- Consectarià hujus doctrinæ. 98
- Confessio debet esse conjuncta cum cordis compunctione. 100
- Consectaria hujus doctrinæ. ibid.
- Sacerdos tenetur præscribere , & pœnitens tenetur acceptare satisfactiones salutares , & pro modo culpæ congruas. 102
- Consectaria hujus doctrinæ, quâ docetur confessarium debere imponere salutares satisfactiones. 106
- Consectaria hujus doctrinæ, quâ docetur pœnitentem teneri acceptare salutares satisfactiones. 110
- Quadruplex fuit pœnitentia , scilicet pœnitentia peccatorum mortalium , pœnitentia peccatorum venialium , pœnitentia publica & privata. 113
- Pœnitentia venialium siebat raro per confessionem , sed per varia pietatis officia. 115
- Quid pœnitentia publica , quid solemnis. ibid.
- Varii gradus pœnitentiæ solemnis in diversis seculis. 116
- Quantumvis diversa fuerit in imponendis satisfactionibus disciplina , eæ nunc debent esse satisfactiones , ut præterita peccata puniantur , futuri medeantur , & scandalum , damnunum reparent. 118
- Consectaria hujus doctrinæ. 120
- Solus Episcopus , vel sacerdos habens jurisdictionem , vel ordinariam , vel delegatam , potest validè absolvere à peccatis. 134

Consecratio hujus doctrinæ.	136
Casus in quibus potest absolvī pœnitens à reservatis.	135
De confessione Regularium.	136
Confessarius tenetur erga pœnitentem exercere officia & patris & medici & judicis.	137
Consecratio hujus doctrinæ.	139
De sigillo confessionis.	145
Ad quot extendatur sigillum confessionis.	147
Quæ personæ obligantur ad sigillum confessionis.	148
In nullo omnino casu potest violari sigillum confessionis.	149
Confessarius debet se facilem & non morosum præbere quibuscumque peccatoribus, eorum confessiones audire, & juxta statutas in Ecclesia regulas judicare.	154
Consecratio hujus doctrinæ.	156
Difficilis & raro vera est usque ad finem vitæ dilata conversio.	159
Confessarius non potest citra grave peccatum absolutionem denegare ei, quem omnibus pensatis ritè dispositum judicat.	162
Consecratio hujus doctrinæ.	164
Confessarius non potest beneficium absolutionis impendere his, qui secundum prudens judicium non possunt judicari ritè dispositi.	165
Consecarium I. de suspendenda absolutione consuetudinariis.	166
Consecarium II. de suspendenda absolutione ignorantibus mysteria fidei.	170
Consecarium III. de suspendenda absolutione his, qui sunt in occasione proxima,	

## ORDO.

- tum per se, tum per accidens peccati mortalis. 7
- Consecratum IV. de suspendenda absolutione ei, qui non vult reconciliari cum inimicis. 173
- Consecratum V. de suspendenda absoluzione ei, qui non vult restituere. 174
- Consecratum VI. de suspendenda absolutione ei, qui dat scandalum. ibid.
- Consecratum VII. de non absolvendo absente. ibid.
- Consecratum VIII. de non absolvendo moribundo, qui flagitiosam vitam duxit, vel qui in ipso actu peccandi sensibus destitutus, vel nulla dedit, vel nulla dat signa pœnitentiae. 175
- Consecratum IX. de eo, qui repentinio morbo correptus, & omnino obstupescens, nulla dat, nec dedit signa pœnitentiae, licet Catholice anteà vixerit. 176
- Consecratum X. de eo, qui in aliquod grave & insolitum peccatum lapsus est, v. g. adulterium, Sodomiam, &c. 179
- Quando pœnitens non est sufficienter dispositus, imponenda sunt ei aliqua opera satisfactoria, quibus ad veram contritionem excitetur. 180
- Quid agendum erga eos qui licet vitiis non abundant, nulla tamen præbent argumenta veræ pietatis. 181
- Quando pœnitens videtur sufficienter dispositus, non est remittendus absque absolutione, donec pœnitentiam impositam peregerit: sed est absolvendus, modo ad gratiam reconciliationis se quibuda[m]

- pīis exercitiis præparaverit. 182
- Ad majorem tamen cautelam videtur ei differenda Eucharistiae receptio, si sit recenter conversus. 183
- Materia remota extremæ-unctionis est oleum olivarum ab Episcopo consecratum : materia proxima est ipsa unctione facta circa sensus externos ; forma vero sunt ista verba : per istam sanctam unctionem, &c. indulgeat tibi Deus, &c. 184
- Consecrarium I. de multiplici mutatione circa materiam remotam. 186
- Consecrarium II. de multiplici mutatione ex parte materiæ proximæ. 188
- Consecrarium III. de multiplici mutatione ex parte formæ. ibid.
- Consecrarium IV. de varia mutatione ex parte intentionis. 186
- Materia remota ordinis est impositio manuum cum traditione instrumentorum, quibus designatur potestas suscepta. 190
- Consecraria hujus doctrinæ. 171
- Matrimonium nullum est, nisi interveniat mutuus contrahentium consensus, qui juxta omnes est materia hujus Sacramenti. 195
- Consecraria hujus doctrinæ. 169
- Ut sacramentum sit validum, minister debet esse missus & electus à Christo ad illud conferendum, & subjectum debet esse destinatum à Christo ad illud recipiendum : ut verò sit licitum requiritur sanctitas & in ministro conferente & in adulto recipiente. 199
- Totiès Sacramentum est nullum, quotiès

## O R D O.

- qui attentat conferre , non est electus à Christo ad illud conferendum ; & quoties qui attentat recipere , non est destinatus à Christo ad illud recipiendum : validum vero , si minister summis à Christo , & recipiens sit destinatus à Christo. 200
- Consecaria** hujus doctrinæ accommodata ad singula sacramenta. 202
- Toties Matrimonium invalidè contrahitur , quoties qui attentant contrahere , jure naturali , vel positivo divino sunt inhabiles ad Matrimonium. 220
- Consecaria** hujus doctrinæ , in quibus explicantur voces hoc carmine contentæ . Errans , invitus , junctus , non tintus , & impos. 221
- Toties Matrimonium invalidè contrahitur , quoties qui attentant contrahere , jure Ecclesiastico sunt inhabiles ad contrahendum. 227
- Consecaria** hujus doctrinæ , in quibus explicantur hæ voces , his carminibus comprehensæ .
- Infans , affinis , cognatus , qui ordine sacro Nestitur , aut voto ; factusve occisor , adulterer*
- Sperans conjugium , aut fuerit sponsalis honestas.*
- Raptave sit mulier , nec parti reddita tutæ.* 230
- De cognitione carnali , quæ sit per natu-  
ram. 232
- Regulæ ad cognoscendos gradus consan-  
guinitatis. 233
- De cognitione legali. 234

20 ORDO.

- De cognatione spirituali. 236  
Toties Matrimonium est invalidum , saltem  
quoad effectus civiles , quoties , qui at-  
tentant contrahere , sunt jure civili in-  
habiles. 245  
Consectaria hujus doctrinæ , in quibus ex-  
plicantur hæ voces : *Impedient Domini*  
*servos , natosque parentes contrahere.* 246  
Matrimonium servorum contractum invitis  
dominis , validum est , quatenus sacra-  
mentum. 250  
Matrimonium filiorum familias , contrac-  
tum nescientibus , aut contradicentibus  
parentibus , debet censeri validum , qua-  
tenus sacramentum. 251  
Paterna potestas , lege civili adjuta , & lege  
Ecclesiastica roborata , potest Matrimo-  
nia filiorum familias sine consensu pa-  
rentum inita , invalida reddere. 253  
Quando sola lex civilis irritat Matrimonia  
filiorum-familias inita sine consensu pa-  
rentum , tunc invalida sunt quoad effectus  
civiles , minimè vero quoad vinculum  
sacramenti. 255  
Quando lex civilis irritat Matrimonia filio-  
rum-familias inita sine consensu parentum  
& indeterminatè loquitur non distinguens  
inter sacramentum & contractum , tunc  
maximè dubium est , an sit validum vel  
invalidum. 257  
Quicumque recipit sacramentum in statu  
peccati mortalis , non prius elicito actu  
contritionis , peccat mortaliter peccato  
sacrilegii. 256  
Consectaria hujus doctrinæ. 261

## ORDO.

Quicumque extra easum necessitatis suscipit sacramentum ab indigno ministro, cognito ut tali, & ab Ecclesia non tolerato; peccat mortaliter peccato sacrilegii. 262  
 Consecratio hujus doctrinæ. 263  
 Minister solemnitatis conferens sacramenta in statu peccati mortalis, peccat mortaliter peccato sacrilegii, nisi prius per contritionem aut per confessionem omnem peccati mortalis affectum procul abjectat. 264

Consecratio hujus doctrinæ. I. 265  
 Peccat mortaliter peccato sacrilegii minister, qui dat sacramentum peccatori quem alia via, quam via confessionis, noluit positivè indignum. 272

Consecratio hujus doctrinæ. 273  
 Cœremoniæ antecedentes, concomitantes & consequentes collationem sacramenti, circumstantiæ loci temporis, & personarum, sunt necessariæ necessitate præcepti, & non necessitate sacramenti: singulæ observatæ reddunt sacramentum licitum; aliquæ omissæ reddunt Sacramentum illicitum. 277

Cœremoniæ Baptismi, quæ in ritualibus habentur, & circumstantiæ Baptismo adiungende, quæ ex praxi Ecclesiæ dignoscuntur, exactè sunt observandæ à ministris, & populis explicandæ. 279

Consecratum I. de cœremoniis. ibid.

Consecratum II. de loco, in quo conferendus est Baptismus. 281

Consecratum III. de tempore, quo coa-

## 12 ORDO.

ferendus est.	282
<b>Consecrarium IV. de adjunctis personæ conferentis vel recipientis.</b>	283
<b>Consecrarium V. de patrinis.</b>	285
Cœremoniæ confirmationis , quæ in ponti- ficali habentur & circumstantiæ loci tem- poris , & personarum , quæ ex praxi Ecclæ dignoscuntur , exactè sunt obser- vandæ à ministris , & populis explican- dæ.	287
<b>Consecrarium I. de cœremoniis.</b>	ibid.
<b>Consecrarium II. de loco.</b>	289
<b>Consecrarium III. de tempore.</b>	ibid.
<b>Consecrarium IV. de qualitatibus conferen- tis &amp; recipientis.</b>	290
<b>Consecrarium V. de patrinis.</b>	291
Sive Eucharistia considerentur ut sacrificium , sive ut sacramentum , servandæ sunt om- nes cœremoniæ , circa illius confectionem , collationem , receptionem , & cultum ab Ecclæ prescriptæ.	292
<b>Consecrarium I. de cœremoniis.</b>	293
<b>Consecrarium II. de persona , quæ validè quidem , sed non licet potest Euchari- stiam vel confidere , vel distribuere.</b>	306
<b>Consecrarium III. quot modis possit réci- pi Eucharistia jami confecta.</b>	307
<b>Consecrarium IV. de dispositionibus requi- sitis ad Eucharistiam fructuosè recipien- dam realiter &amp; sacramentaliter.</b>	308
Observandæ sunt cœremoniæ , quæ circà ad- ministrationem Pœnitentiæ in ritualibus describuntur.	312
<b>Consecrarium I. de cœremoniis anteceden- tibus opere operanti ch. IIII missalio.</b>	313

- O R D O . 13  
 tibus, concomitantibus & consequenti-  
 bus sacramentum Pœnitentie. ibid.  
 Consecrarium I I . de circumstantiis loci,  
 temporis, & personarum. 314  
 Consecrarium III . de persona, quæ validè  
 quidem, sed illicite potest dare absolu-  
 tionem, ibid. 316  
 In administratione Extremitæ-unctionis ob-  
 servandæ sunt cœremoniæ, aliaque ad-  
 juncta, quæ in ritualibus describantur.  
 317  
 Consecraria hujus doctrinæ. 318  
 Ut ordinatio sic licita, cœremoniæ, aliaque  
 adjuncta in pontificali præscriptis obser-  
 vanda sunt. ibid. 319  
 Consecraria hujus doctrinæ. ibid.  
 Ut Matrimonium sit licitum; cœremoniæ,  
 aliaque ejus adjuncta observanda sunt. 323  
 Consecraria hujus doctrinæ. ibid.  
 Quid sunt sponsalia. 327  
 De obligatione sponsaliorum. 331  
 De dissolutione sponsaliorum. 333  
 Illi omnes tenentur recipere sacramenta,  
 qui indigent gratia per sacramenta collata. 337  
 Consecrarium I . quandonam urget præce-  
 ptum Baptismi. 339  
 Consecrarium II . Quandonam urget præce-  
 ptum Confirmationis. 344  
 Consecrarium III . quandonam urget præce-  
 ptum Eucharistiæ. 347  
 Frequens communio non debet permitti,  
 ditionalis, ceu appositorum certæ condi-  
 tionis. ibid.

- nisi his , qui sunt extra affectum peccati  
principale mortalis. 343
- Consecrarium IV.** quandonam urget præcep-  
tum Pœnitentiae. ab III ministris 347
- Consecrarium V.** Quandonam urget præcep-  
tum Extremæ-unctionis. I ministris 351
- Consecrarium VI.** quandonam urget obliga-  
tio ordinis recipiendi. ministris 353
- Consecrarium VII.** quandonam urget præcep-  
tum Matrimonii recipiendi. EMINENTIA 356
- Homo** post acceptum Sacramentum tenetur  
eam vitam degere , quam exigit dignitas  
& sanctitas sacramenti accepti. 359
- Consecrarium I.** quam sancte vivere debeat  
baptizatus. 361
- Consecrarium II.** Quomodo vivere debeat  
confirmatus. 365
- Consecrarium III.** Quomodo vivere debeat  
sacra Eucharistia refectus. 368
- Consecrarium IV.** Quomodo vivere debeat  
qui Pœnitentiam accepit. 371
- Consecrarium V.** Quomodo vivere , aut po-  
tius mori debeat , qui accepit Extremam-  
unctionem. 377
- S E C U N D A P A R S T R A C T A T U S**  
*de Sacramentis in communi.* 378
- Explicatur quid sit Sacramentum.  
*Ibid.*
- Sacramentum est signum gratiæ sanctificantis.**  
*Ibid.* 381
- Ergo non est signum naturale gratiæ. 382
- Ergo est signum ex libero instituto. *Ibid.*
- Ergo ex instituto vel Divino , vel Angeli-  
co , vel humano. *Ibid.*
- Ergo est signum ex instituto Divino. *Ibid.*
- Ergo sacramentum est tale , quale Deus vo-  
luit. 382

asserendæ sunt rationes, quam quæ in voluntate Dei nituntur. *ibid.*

Ergo non male afferimus, esse sacramenta innixi traditione, & universali Ecclesiæ praxi. *ibid.*

Ergo male objicitur hunc numerum esse rejeciendum; quia scriptura & patres non faciunt mentionem de septenario numero sacramentorum. *ibid.* 384

*Sacramentum est signum sensibile.* *ibid.* 385

Ergo est compositum morale. *ibid.* 386

Ergo constat materia & forma, seu ex multis moraliter componentibus. *ibid.* 387

Ergo constat rebus tamquam materia & verbis tamquam forma. *ibid.*

Ergo res & verba sunt de essentia sacramenti. *ibid.* 388

Ergo si res & verba mutentur substantialiter non erit sacramentum, non vero si accidentaliter tantum. *ibid.*

*Sacramentum est signum sensibile gratiae significantis.* *ibid.* 389

Ergo significat passionem Christi, gratiam, & gloriam. *ibid.*

*Sacramentum est signum institutum a Deo.* 390  
*Christus immediatè instituit Sacra menta.* *ibid.*

Non quidem legis naturæ aut Mosaicæ, sed omnia & singula novæ legis, vel in genere, vel in specie. *ibid.* 391

Ergo non licet Ecclesiæ, vel homini privato mutare materiam & formam Sacramentorum. *ibid.* 394

Ergo si quæ videatur mutatio introducta in sacramentis, hæc mutatio vel est solùn accidentalis, vel cœremonialis, vel con-

*Sacramentum est signum sensibile usū suū gratiā conferens.*

39

*Ergo confert gratiam ex opere operato.*

397

*Ergo est vere causa instrumentalis gratiæ.*

398

*Ergo verba Sacramentorum non sunt cœacionatoria, vel deprecationaria, sed effectiva gratiæ.*

399

*Ergo ut plurimum sacramenta debent conferri sub forma expressa per indicativum,*

400

*& non per optativum.*

401

*Ergo conferunt gratiam iuxta diversam significacionem.*

402

*Ergo quodlibet sacramentum diversam &*

403

*specialem producit gratiam.*

404

*Ergo Baptismus confert gratiam regenerantem, Confirmatio roborantem, &c.*

ibid.

*Ergo Baptismus & Pœnitentia dant & incipiunt vitam spiritualem; cætera vero sacramenta tantum augent.*

405

*Ergo Baptismus & Pœnitentia non incongruè dicuntur sacramenta mortuorum; cætera vero sacramenta vivorum.*

ibid.

*Ergo Baptismus & pœnitentia per se dant primam gratiam; cætera secundam.*

ibid.

*Ergo nihil obstat, quod sacramenta vivorum per accidens dant primam gratiam, & sacramenta mortuorum secundam.*

406

*Ergo Sacramentum usū suo applicat nobis passionem Christi.*

407

*Ergo sacramentorum receptio non dispensat adultos ab exercitio bonorum operum.*

ibid.

*Ergo non fovet pigritiam, nec Christi satis-*

*Ergo in doctrina sacramentorum non alie-*

## ORDO.

47

factionem enervat.

405

Ergo non potest pietas solidior suaderi,  
quam frequens, sed sancta Sacramentorum  
acceptio.

406

Ergo in Sacramentis causa principalis gra-  
tiae est Deus, instrumentum conjunctum  
est humanitas Christi, instrumentum se-  
paratum est Sacramentum.

407

Ergo Sacramentum confert gratiam juxta  
intentionem Dei moventis, & juxta in-  
tentionem animæ Christi motæ à Deo,  
& moventis Sacraenta.

ibid.

Ergo non confert illam nisi suppositis certis  
conditionibus in adultis, & nullis suppo-  
sitis in non adultis.

ibid.

Ergo Sacraenta necessitatis possunt confer-  
ri non adultis, etiamsi nulla sit in eis dif-  
ficilis positione: adultis vero non sunt conferen-  
da nisi dispositis.

408

Ergo adulti, si velint recipere Baptismum  
& penitentiam, debent habere fidem, spem,  
contritionem, & amorem initialem.

ibid.

Ergo qui scienter sine predictis dispositioni-  
bus recipiunt Sacraenta, & ea conferunt  
indignis, sacrilegium committunt.

409

Ergo Sacramentorum usus est exercendus  
cum magna cautione.

ibid.

Ergo fuerunt Sacraenta in lege naturæ, Mo-  
saica & evangelica.

410

Ergo in lege naturæ admissi fuerunt duo  
Sacraenta, oblatio puerorum & sacrifici-  
cium: & in lege Mosaica circumcisio, ex-  
piationes, Agnus Paschalis, & ordinatio  
Leviticorum.

ibid.

Ergo Sacramentum ex vi praesentis decreti

- confert gratiam medicinatem. 411  
 Ergo in statu naturæ innocentis non futura fuissent Sacra-  
 menta , qualia nunc habe-  
 mus. *ibid.*
- Ergo à fortior in statu naturæ puræ. 413  
 Ergo in Sacramentis Deus est causa principi-  
 lis , Christus instrumentum conjunctum ,  
 & Sacramentum instrumentum separa-  
 tum. *ibid.*
- Ergo omne Sacramentum tum legis naturæ,  
 tum Mosaïcæ, tum Evangelicæ debet mo-  
 veri à Christo , vel moraliter , vel phy-  
 sice. 414
- Sacra-menta legis naturæ & Mosaïcæ potue-  
 runt moveri à Christo tantum moraliter ;  
 Sacra-menta verò novæ legis possunt mo-  
 veri physice. *ibid.*
- Ergo non male asserit Thomistis , quod  
 sint instrumenta physica. 415
- Ergo oportet ut recipiant virtutem physicam  
 productivam gratiæ. 416
- Ergo illa virtus recipitur in Sacramento tan-  
 quam in aliquo successivo. *ibid.*
- Ergo Sacra-menta non producunt gratiam, ni-  
 si in ultimo instanti extrinsecè terminati-  
 vo. 417
- Sacramentum est signum Religionem nutriens.*  
*ibid.*
- Ergo per Sacra-menta Christiani deputantur  
 ad exercendum validè ea , quæ pertinent  
 ad cultum Christianum. 418
- Etgo quædam Sacra-menta debent impre-  
 res illum characterem. *ibid.*
- Ergo Baptismus , confirmatio , & ordo im-  
 primunt tantum characterem. 420

## ORDO.

68

Baptismus, confirmatio, & ordo characterem producunt, quo fideles designantur, ut Domestici, ut milites, ut prelati. aut non oportet? 421

Ergo character sumptus generitè est entitas designativa, sumptus specificè est potentia passiva vel activa. ibid.

Ergo debet ponî in prædicamento qualitatis in specie potentiarum. 422

De Sacramento ut valido, ut fructuoso, ut informi, ut reviviscenti. 424

Solus homo ratione potest recipere Sacramentum. anatibio in 425

Ergo si recipiens sit adultus, debet libetè consentire receptioni Sacramenti. ibid.

Ergo quis exterius simularer se velle recipere Sacramentum; & interius positivè nollet, coram Deo Sacramentum nullum efficer. Econtra quis exterius contradiceret; interius tamen veller, Sacramentum efficer validum coram Deo. ubiq 427

Ergo intentio adulti recipientis interna sufficit ad valorem Sacramenti. ibid. 428

Ergo qui ex motu recipit, valide recipit. ibid.

Ergo potest cogi per pœnas Ecclesiasticas, ut vivat conformiter ad finem Sacramenti. ibid.

Sacramentum debet conferri per ministrum deputatum à Christo. 430

Ergo ad valorem Sacramenti requiritur, ut minister habeat intentionem internam, vel actualem, vel virtualem, vel explicitam, vel implicitam. q ni ministrum secundum ibid.

Ergo debet exercere ritum Sacramentalem, ut Sacramentalem. 432

- Ergo non sufficit, quod actio Sacramentalis fiat solum physice. 433
- Ergo non sufficit, quod fiat solum moraliter derisorie. <sup>autem si refutatio</sup> ibid.
- Ergo non sufficit intentio operis, cen extrinseca. 435
- Ergo non requiritur, quod minister intendat effectum Sacramenti. 436
- Ergo omnis creatura intellectualis potest validè administrare Sacra menta, Angeli ut ministri extraordinarii, homines ut ministri ordinarii. 437
- Ergo effectus Sacramentorum non suspenditur, nec per infidelitatem nec per malitiam ministri. 438
- Sacramentum potest esse validum & informe.* 440
- Ergo recedente fictione potest producere gratiam. 441
- Ergo producit illam per virtualem permanentiam. 442
- Ergo dici potest quod Sacramentum imprimens characterem producat physice gratiam, dum reviviscit; reliqua vero producent illam moraliter, dum reviviscunt. <sup>autem si refutatio</sup> ibid.
- Ergo omne Sacramentum validum & informe reviviscit exceptis Eucaristia & pœnitentia. <sup>autem si refutatio</sup> ibid.
- Nullum est Sacramentum in particulari, cui non convenient, quæ dicta sunt de Sacramentis in communi. Nullum pariter est Sacramentum in particulari, cui non repugnant, quæ dicta sunt repugnare Sacramentis in communi. 443

LIBERUS  
SCRIPTURAS SACRA

ETIQUETAS

LIBERUS

Page 100. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 101. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 102. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 103. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 104. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 105. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 106. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 107. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 108. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 109. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 110. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 111. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 112. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 113. — *Leçons de la vie de Jésus*  
Page 114. — *Leçons de la vie de Jésus*



MORALIS  
CHRISTIANA  
EX  
SCRIPTURA SACRA,  
Traditione, Conciliis, Patribus,  
& insignioribus Theologis  
EXCERPTA.

---

TRACTATUS  
DE SACRAMENTIS

PROEMIUM

TOTIUS TRACTATUS.



STE tractatus in duas partes dividetur; in priori ea explicabimus, quæ spectant ad casus conscientiæ, qui circa Sacra-  
menta proponi solent; in poste-  
riori verò questiones, quæ circa Sacra-  
menta in scholis pertractantur, strictim  
agitabimus. Et utrumque istac methodo  
absolvemus. In prima parte statuentur ge-

Tome VII.

A

## 2 MORALIS CHRISTIANA.

neralia quædam principia practica, è quibus per quædam consecutaria resolvemus casus omnes Morales, qui Sacramenta recipiunt. In secunda vero parte statuentur pariter generalia quædam principia speculativa, è quibus edacentur omnes illæ conclusiones, quibus & vis, & natura, & dignitas Sacmentorum explicantur; adeò ut in hoc tomo quasi in brevi quadam Synopsi quisque habere possit quæstiones & morales, & speculativas, quæ in scholis non nisi longis voluminibus agitantur. Ceterum qui solis conscientiæ casibus vacare voluerit, primam istius tractatus partem solum evolvat; qui vero solas quæstiones speculativas querit, secundæ dumtaxat parti adhæreat; cui vero animus fuerit & practica, & speculativa de Sacmentis Theorematæ in memoriam revocare, utramque, si ita libuerit, istius tractatus partem percurrat.

*Prima hujus tractatus pars, quæ soles conscientiæ casus respicit.*

*Proemium prime partis.*

**U**t resolvantur omnes casus conscientiæ, qui circa Sacra menta proponi solent, tria examinanda occurru nt. Primum quidem, quænam sint, quæ reddunt Sacmentum validum, vel invalidum, licetum, vel illicitum Secundum vero, quandonam urgeat obligatio recipiendi Sacra menta. Tertium demum, quænam sit obli-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 3

gatio cuilibet christiano vivendi confor-  
miter ad finem Sacramenti recepti. Quibus  
tribus semel discussis, & explicatis, statim  
se se offeret resolutio omnium ferè casuum,  
qui in hac materia proponi solent. Ceter-  
rum ut rectiori methodo procedamus, tria  
hæc tribus capitibus concludemus: ubi ve-  
rò unius ejusdemvè capitis materia uberior  
fuerit, illud idem caput in varias sectio-  
nes partiemur. Demum ne res adeò dis-  
junctæ, & separatæ è memoria elaban-  
tur, in quolibet capite quædam statuemus  
principia, quæ ad singula Sacra menta si-  
gillatim applicabimus. Et quamvis inter-  
dùm applicatio principii cuilibet, vel etiam  
rudiori obvia videatur, cam tamen nos  
explicè declarabimus. Melius enim est,  
ut liber abundet superfluis, quam ut de-  
ficiat necessariis: Præcipue cuni ea, quæ  
dotoribns videntur superflua, mindis  
eruditis sint maxime necessaria.

Premittuntur variæ annotationes ad intelligendam  
hujus tractatus necessarie.

§. I.

Explicatur breviter quid, & quotuplex sit  
gratia.

**G** Ratia est donum Dei elevans nos ad  
finem supernaturalem, qui est clara  
Dei visio.

Gratia alia est gratis data, alia gratuia  
faciens.

A ij

#### 4 MORALIS CHRISTIANA.

Gratia gratis data est donum Dei gratis collatum hominibus, non eo fine ut suscipiens sanctificetur, sed eo fine, ut alii sanctificantur. Tale est donum prophetiarum, linguarum, miraculorum &c.

Gratia gratum faciens est donum gratis collatum eo fine, ut qui illam recipit, fiat gratus, & acceptus Deo.

Gratia gratum faciens alia est actualis & transiens, alia habitualis & permanens.

Gratia actualis gratum faciens est motio quædam virtuosa, per quam intellectus noster illustratur, & voluntas nostra inflammatur; per quam patet nobis veritas supernaturalis, quæ latebat, & placet bonum supernaturale, quod displicebat. Hæc gratia non confertur per Sacramenta, sed à Deo nobis immediatè imprimitur, & transit elicita actione supernaturali.

Gratia habitualis gratum faciens est qualitas quædam spiritualis, & supernaturalis, per quam sumus Filii Dei adoptivi, tandem manens in nobis, quamdiu non sumus in peccato mortali.

Gratia habitualis gratum faciens est duplex, alia Sacramentalis, alia non Sacramentalis.

Gratia habitualis permanens non Sacramentalis est ea, quæ nobis extra usum Sacramentorum confertur.

Gratia habitualis Sacramentalis est ea, quæ ad nos à Deo per Christum in ipso Sacramentorum usu derivatur; Sacramentum enim est id, à quo omnis vera justitia

TRACT. DE SACRAMENTIS.  
incipit, incœpta augetur, & amissa repa-  
ratur.

Gratia igitur Sacramentalis est ipsa-met  
gratia habitualis cum jure aliquo, quod  
habemus exigendi à Deo gratias actuales  
necessarias ad piè vivendum conformiter ad  
finem Sacramenti recepti, puta vi gratiæ  
Sacramentalis Baptizatus vivit ut Filius  
Dei, confirmatus ut miles Christi, sagina-  
tus Eucharistiâ ut homo nutritus Deo,  
pœnitens ut homo satisfaciens Deo offenso,  
unctus Extrema-Unctione ut homo conva-  
lescens à peccato, & reliquias ejus abstergens,  
ordinatus ut minister Christi, conju-  
gatus ut repræsentans unionem Christi cum  
Ecclesia. Origo ergo gratiæ Sacramen-  
talis est Deus juxta illud; *gratiam, & glo-  
tiam dabit Dominus.* Instrumentum conjun-  
ctum est Christus juxta illud: *Gratia per Je-  
sus Christum facta est.* Instrumentum sepa-  
ratum sunt Sacraenta juxta illud: *Haurie-  
tis aquas, id est gratiam, de fontibus salva-  
toris, id est de Sacrementis:* Ergo viden-  
dum jam quid sit Sacmentum.

## §. II.

*Explicatur quid, & quotuplex sit Sacra-  
mentum.*

Sacmentum generatim est res sacra,  
quæcumque illa sit. Sic juramentum,  
mysterium, secretum vocantur Sacraenta.

Sacmentum strictè sumptum est cære-  
monia sensibilis divinitus instituta, quæ

## 6 MORALIS CHRISTIANA.

Deus utitur ad conferendam gratiam.

Sacramentum aliud est novæ , aliud veteris legis.

Sacramentum veteris legis est cæremonia illa sensibilis , quâ Deus in veteri lege gratiam per Christum nobis conferendam significabat ; & de his Sacrementis non hic est quæstio.

Sacramentum novæ legis est cœremonia sensibilis , quæ à Christo instituta est ad nostram sanctificationem , & de septem Sacrementis à Christo institutis hic solum agimus.

### §. III.

*Quemodò Theologi explicent naturam Sacra-  
menti à Christo instituti.*

**S**icuti Philosophi explicantes naturam compositi Physici , v. g. hominis , tria in illo agnoscunt , nimirum materiam , formam , & actionem generantis ambas illas partes unientis ; ita Theologi post Concilium Florentinum explicantes naturam Sacramenti , dicunt quod Sacraenta tribus perficiuntur , videlicet rebus tanquam materia , verbis tanquam formâ , & persona Ministri conferentis Sacramentum , cum intentione faciendi , quod facit Ecclesia : Quorum si aliquid desit , non perficitur Sacramentum . Ita Florentinum instructione ad Armenos . Et Aug. explicans naturam Sacramenti ait , accedit verbum ad Elementum , & fit Sacramentum .

## §. IV.

*Quid sit materia, quid forma in Sacra-  
mentis?*

**M**ateria in Sacramentis est pars deter-  
minabilis, forma vero est pars de-  
terminans. Sic aqua est materia Baptismi;  
aqua enim est de se indifferens ad multos  
effectus. v. g. ad abludum, refrigeran-  
dum, &c. Sic ista verba: *Ego te baptizo in  
nomine Patris, &c.* Sunt forma Baptismi;  
haec enim verba determinant materiam Bap-  
tismi, scilicet aquam ad ablutionem spiri-  
itualem.

Materia Sacramenti est duplex, remota,  
& proxima. Materia remota est ea entitas  
rei, quæ à Christo electa est, ut sit materia  
Sacramenti; v. g. aqua est materia remota  
Baptismi. Materia proxima Sacramenti est  
ipsam etiam materia, ut applicata per actionem  
Sacramentolem, v. g. ablutio facta per a-  
quam est materia proxima Baptismi.

## §. V.

*Quæ sit intentio requisita in Sacramentis confe-  
rendis, & recipiendis.*

**I**ntentio generatim est propositum ali-  
quid faciendi; est que triplex, actualis, vir-  
tualis & habitualis. Intentio actualis est  
propositum voluntatis hic, & nunc actualiter  
elicitum; talis est actio, quâ actualiter quis  
proponit Missam celebrare.

Intentio virtualis est propositum voluntatis, non actu elicatum, sed remanens in opere, ex vi prioris actionis elicita; talis est actio, quā quis volens celebrare Missam, non retractans illam intentionem, sumit vestes Sacerdotales, & alia necessaria ad Missæ celebrationem.

Intentio habitualis est habilitas relicta ex iteratione plurimorum actuum; talis est habilitas celebrandi Missam, quæ reperitur in Sacerdote etiam amente. Et de hac intentione h̄ic non est questio, quando quidem juxta omnes non sufficit ad Sacramentum.

Intentio actualis, & virtualis, alia est exterior, alia interior. Intentio exterior, ut volunt quidam, est opus exterius factum seriō & non jocosè sine interiori voluntatis affectu; talis est intentio illius, qui præcisè peragit seriō, & non jocosè actionem Sacerdotalem, v. g. seriō Baptizat, Confirmat, Missam celebrat, absolvit, ungit, ordinat, despontatos benedicit.

Intentio interior est internum propositum voluntatis agendi, quod peragitur; talis est intentio illius, qui agens seriō, & non jocosè actionem Sacramentalem, vult internè illani actionem Sacramentalem eliceret.

Intentio interior, vel est respectu Sacramenti, vel respectu alicujus sequentis collatum jam Sacramentum. Intentio respectu Sacramenti est propositum respiciens illa, quæ sunt de essentia Sacramenti; talis est bona intentio illius, qui Baptizans ad-

hibet aquam , & verba ; & vult internè efficere actionem illam Sacramentalem , quatenus Sacramentalem . Talis est etiam prava intentio illius , qui serio quidem baptizans adhibet aquam , & verba , sed non vult internè actionem Sacramentalem fieri , quatenus Sacramentalem , v.g. malus Minister , qui veritus ne redditus Ecclesiasticos amittat , si jocosè in Sacrementis conferendis se gereret , ritus Sacmentales solùm exteriùs serio peragit , sed interiùs privatā intentione proponit non facere Sacmentum quantum in se est.

Intentio interior respectu alicujus , sequentis naturam Sacramenti , est propositum spectans , non ad illa , quæ sunt de essentia Sacramenti , sed ad illa , quæ sunt extrà naturam Sacramenti , v. g. ad effectus Sacramenti . Talis est intentio illius , qui volens internè facere actionem Sacramentalem , quatenus Sacramentalem , nollet adhibere Cæmonias accidentales ab Ecclesia præscriptas , vel nollet Sacmentum à se collatum suum habere effectum in recipiente , vel vellet facere Sacmentum ob vanam gloriam , ob magiam , &c.

Ecclesia determinavit ad valorem Sacramenti requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia . Si quis dixerit , inquit Trident. sess. 7. Can. II. in ministris , dum Sacra menta conficiunt , & conferunt , non requiri intentionem , saltem faciendi quod facit Ecclesia , anathema sit . Determinavit insuper ad valorem Sacramenti requiri , ut actio exterior Sacramenti fiat serio ; docet enim sess. 14.

10 MORALIS CHRISTIANA.  
cap. 6. absolutionem esse nullam, si sacerdoti animus serio agendi, & verè absolvendi desit. Sed Ecclesia non determinavit, utrum intentionis retentio ex parte ministri impedit, ne valeat Sacramentum, dum exterius serio conficitur ab homine sano & advertente. Catharinus enim, Salmeron, Contensonius, & multi Sorbonici id tuentur; Sic enim legitur in Thesi in Sorbona propugnata anno 1685. *Cujus-nam generis necessariā sit intentio, non dum Ecclesia propugnavit; adēd ut internam, externamve propugnare non sit nefas, mihi externam tueri proclivius.* Nos tamen hic amplectimur eam sententiam, quæ tuerit requiri intentionem internam, & externam non sufficere. Tum quia hæc sententia est communior; tum quia videtur esse Conciliis & Patribus Conformior; tum demum quia fertur Alexandrum VIII. damnasse sequentem propositionem. *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia.*

#### §. VI.

Recensentur Historicè varii errores circa Sacra menta, simulque explicatur, quid de Sacramentis necessariò credendum sit.

P Riusquam ad resolutiones Morales veniamus, quid circa Sacra menta fides Catholica doceat determinandum est. Certum est de fide septem esse Sacra men-

## TRACT. DE SACRAMENTIS.

ta in Lege Evangelica à Domino Iesu Christo instituta , nec plura , nec pauciora , videlicet Baptismū , Confirmationem , Eucharistiam , Poenitentiam , Extremam - unctionem , Ordinem , & Matrimonium . Certum insuper est ea Sacra menta gratiam Christi continere , eamque non ponentibus obicem ex opere operato conferre . Constat etiam tribus Sacramentis , videlicet Baptismo , Confirmatione , & Ordine conferri characterem indelebilem , proindè hæc tria Sacra menta iterari non posse . Demum eadem fides docet quodlibet Sacramentum tribus constare , scilicet rebus , & verbis , & persona Ministri , cum intentione faciendi , quod facit Ecclesia : qui Minister licet peccator verè Sacra menta conficiet , modo quæ sunt essentialia Sacramentis servaverit .

Contra illa fidei dogmata insurrexerunt gentiles & Hæretici . Gentiles nulla admittunt Sacra menta . Cataphryges circa an 181 . Sacra menta funesta esse contendebant . Cathari an. 256 . Sacra menta nihil posse , nihil efficere docuerunt . Catharistæ an. 279 . Sacra menta non modo inutilia , sed execranda esse voluerunt . Donatistæ an. 358 . Sacra menta à malis Ministris collata nulla esse assenserunt . Idem docuerunt Albanenses an. 796 . Idem contendebat Vycleffus an. 1400 . Armeni verò an. 640 . quos postea secuti sunt Lutherani ; negarunt gratiam per Sacra menta conferri . Lutherani tandem & Calvinistæ duo tantum esse Sacra menta , videlicet Baptismum & Eucharistiam voluerunt .

DE BAPTISMO. Necessariò credendum I. quòd institutus sit à Christo ad tollendum peccatum originale. II. Quòd medium sit de via ordinaria ad æternam salutem consequendam necessarium. III. Quòd ex institutione sua materiam habeat aquam veram & naturalem; formam verò hanc vel æquivalentem: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Circa Baptismum in varios errores prolapsi sunt Hæretici. Marcus valentini Discipulus an. 155. istam sonniavit Baptismi formam: *Ego te baptizo in nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, & in eo, qui descendit, Jesu.* Cataphryges an. 181. baptizare noluerunt in nomine Trinitatis. Paulus Samosatenus an. 270. noluit baptismum administrari in nomine trium personarum. Sabas an. 368. docuit baptismum nullam prorsus habere virtutem. Seleuciani, & Henriciani an. 368. noluerunt uti aqua in Baptismate, sed igne. Jacobus Syrus an. 586. frontem baptizandorum ferro candenti inurendam voluit. Flagellantes an. 1273. docuerunt Baptismum aquæ celsasse, & immutatum esse in baptismum sanguinis flagello ex proprio corpore excussi. Berengarius an. 1058. & Fratricelli an. 1204. docuerunt parvulos non esse baptizandos, sed adultos solum modò, quibus adhæserunt Anabaptistæ.

DE CONFIRMATIONE Credendum, quòd verum fit Sacramentum, quo confertur gratia roborans in fide hujus Sacramenti. Minister ordinarius est solus Episcopus.

**T R A C Y . D E S A C R A M E N T I S .** 13  
copus. Materiam & formam habet à Christo Domino, vel in genere, vel inspecie institutam, quam Apostoli, eorumque successores adhibuerunt, quam-ve Ecclesia usurpat; istam scilicet formam aut æquivalenterem: *Signo te signo crucis, confirmo te christate salutis;* materiam vero impositionem manuum aut chrismationem.

Sacramentum illud multi insequantur Hæretici. Novatianus, & Novatus an. 252. negarunt baptizatos debere sacro chrisme confirmari. Vvicleffus an 1410. Sacramentum Confirmationis irritis. Vvaldenses an. 1160. noluerunt Confirmationem esse Sacramentum. Lutherus an. 1520. docuit Confirmationem, neque esse Sacramentum, neque gratiam conferre, sed esse cœremoniā inutilem. Sectarii fere omnes hujus temporis Confirmationis Sacramentum tollere enituntur.

**D E E U C H A R I S T I A** necessario credendum I. Quod in Eucharistiae Sacramento sit vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi, quod quia subsistens & animatum est, cum eo simul existit anima vivificans, & Divinitas faciens subsistere. II. Quod panis & vinum sint hujus Sacramenti materia. III. Quod substantia panis & vini convertatur integrè per transubstantiationem in substantiam Corporis & Sanguinis Christi. IV. Quod sub altera tantum specie totus atque integer Christus contineatur, atque sumatur. V. Quod Christus sit in eo Sacramento cultu Latriæ adorandus. VI. Quod

actio, perquam conficitur hoc Sacramen-  
tum (quam Missam dicimus) sit propriè  
sacrificium pro vivis & defunctis, non  
cruentum, quale fuit in cruce, sed in-  
cruentum, quo nobis sacrificium crucis ap-  
plicatur, & impetratur cordis contritio,  
spiritus pœnitentia, & peccatorum remis-  
sio, & demum ea, quæ ad salutem pos-  
sunt nos deducere.

Circa Eucharistiam variè errarunt Hæ-  
retici. Catharistæ an. 279. docuerunt Sa-  
cramentum hoc non posse confici ex pa-  
ne confecto ex aqua & igne. Armeni an.  
640. non in azimo, sed in fermentato de-  
bere confici hoc Sacramentum contendeb-  
ant. Pauperes de Lugduno, sive Vvaledenses  
an. 1160. novam fixerunt hujus Sacramen-  
ti formam; consecrabant enim dicentes  
septiès *Pater noster*. Sacramentarii, quos  
refutat Ignatius negarunt in Eucharistia es-  
se carnem salvatoris Christi. Albigen-  
ses an. 1216. afferuerunt Corpus Christi non  
aliter esse in pane, quam in aliis rebus.  
Beguardi & Beguinæ an. 1314. voluerunt  
in elevatione Corporis Christi inter sacri-  
ficandum nullam Christo exhibendam esse  
reverentiam. Vvicleffus an. 1352. substantiam  
panis & vini post Consecrationem remanere  
putavit. Carlostadius docuit Christum es-  
se in Eucharistia tanquam in signo verè  
præsentem, si sumatur; non esse, si non  
sumatur. Missam non debere celebrari pro-  
mortuis docuit Aerius an. 342. Faustus Ma-  
nichæus an. 407. altaria, incensa, vasa,  
luminaria, ipsum demum sacrificium quod-

## TRACT. DE SACRAMENTIS. 15

cumque impugnavit , quem errorem fecuti sunt Petrus de Bruis & Henricus Apostata. Pauperes de Lugduno an. 1160. potestatem conficiendi Eucharistiam Laicis concesserunt , idem docent Bohemi. Vvicleffus docet Christum non instituisse Missam. Lutherus verò à Diabolo edo&tis , ut ipse met fatetur , Missam dicit non posse offerri pro peccatis , eamque soli Sacerdoti sacrificanti prodesse.

DE PÆNITENTIA. Necessarium credendum , quod sit verum Sacramentum à Baptismo distinctum , cuius partes sunt contritio , Confessio , & satisfactio ; forma verò hæc verba , aut æquivalentia. Egō te absolvō. Credendum insuper quod Minister hujus Sacramenti sit solus Sacerdos , habens iurisdictionem ordinariam vel delegatam : Quod absolutio actus sit judicialis , non solum declarans peccata esse remissa , sed etiam ea vetere contritis , sincere confessis , & satisfacere proponentibus remittens , nedum coram hominibus , sed etiam coram Deo.

Hæretici contra Pœnitentiam sunt primò Montanistæ an. 181. qui docebant lapsos quamvis Pœnitentes numquam peccatorum aliquorum remissionem consequi posse. Idem docuerunt Novatiani. Jacobitæ an. 584. docuerunt non esse necessarium confiteri peccata Sacerdoti , sed soli Deo. Idem docuerunt Albanenses an. 799. quibus postea adhæserunt Calvinistæ. Vvaldenses an. 1170. potestatem absolvendi à peccatis etiam ad Laicos pertinere affe-

ruerunt. Vvicleffus an. 1410. voluit Confessionem peccatorum factam Sacerdoti esse inutilem, eamque Papisticam Carnificinam vocant sequaces Lutheri & Calvini.

**D E E X T R E M A - U N C T I O N E.** Credendum, quod sit verum Ecclesiæ Sacramentum à Christo Domino institutum, & à Jacobo promulgatum. Materiam habet oleum, formam vero orationem deprecatoriam per verba in Ecclesia usurpata, à solis Presbyteris vel Episcopis conferri potest. Effectus hujus Sacramenti est alleviatio ægroti, & peccatorum, si quæ sint in ægroto, remissio.

Hæretici eam Catholicæ Ecclesiæ fidem sequentibus erroribus labefactare conati sunt. Hierarchiæ an. 279. docuerunt extremani unctionem non fuisse à Christo Domino institutam. Albanenses an. 796. dixerunt Sacramentum Extremæ-Untionis nihil prodesse. Idem docuerunt Vvicleffus, Lutherani, Calvinistæ. Omnes demum hujus temporis Sectarii Sacramentum illud, & rident, & contemnunt.

**D E O R D I N E** credendum de fide. I. Quod ordo verum sit Sacramentum, quo confertur ordinato gratia & spiritualis potestas exercendi sacra. II. Quod principatus, qui per ordinem confertur, sacer sit coalescens ex Episcopis, Sacerdotibus, & aliis Ministris. III. Quod Episcopi sunt Sacerdotibus superiores. IV. Quod Episcopi potestatem habent confendi Confirmationem & Ordinem, quam non habent Sacerdotes.

Contra illa fidei dogmata insurrexerunt

Hæretici. Et primò quidem Cataphryges an. 181. qui voluerunt mulieres posse Sacris ordinibus initiari, cui errori adhæserunt Pe-puzitæ. Secundò Tandenus Germanus. an. 1124. qui docuit ordinem Sacerdotalem & Episcopalem nihil esse, omnesque Christianos Sacerdotes esse; quem ertorem secutus est Lutherus. Tertio Calvinus, qui non alios agnoscit Ministros, quam fideles ætate seniores.

DE MATRIMONIO Credendum de fide. I. Quod Matrimonium verum sit novæ Legis Sacramentum. II. Quod nulli liceat plures habere uxores. III. Quod impedimenta ab Ecclesia inducta Matrimonium, vel impedianc contrahendum, vel perperam contractum dirimant. IV. Quod Matrimonium ratum & non consummatum dissolvatur per professionem Religiosam; Matrimonium vero consummatum per solam mortem dissolvi. V. Matrimonium clandestinum sine præsentia Parochi & duplicis testis celebratum nullum esse.

Sacramentum hoc & verbo & opere Hæretici non-nulli prophanaerunt. Marcion an. 155. nuptias dixit esse illicitas. Montanus an. 181. docuit nuptiarum fœdus & vinculum pro conjugum arbitrio posse dissolvi; quod postea græci quidam schismati ci assenserunt. Tatiani an. 173. nuptias scortationem habuerunt. Adamæi an. 194. Matrimonium tanquam per se malum damnarunt. Manichæi an. 272. nuptias illicitas esse docuerunt. Armeni an. 640. nega-

runt Matrimonium esse Sacramentum. Lutherus, & Melanthon, & alii non solum negant Matrimonium esse Sacramentum, sed & dissolvi posse docent, nimirum juxta Legem Mosaicam, scilicet propter adulterium more Judæorum, afferentes posse saltem partem innocentem, conjugi superflite, alteri per Matrimonium conjungi.

Brevis hæc expositio fidei ex instructione ad Armenos & ex Tridentino extracta est; Hæretici verò, qui eam impugnarunt, referuntur ab Holdeno Doctore Sorbonico: refutabuntur à nobis in decursu hujus operis. Si quis velit singulos Hæreticos refellere, legat Alphonsum à Castro contra Hæreses.

## CAPUT I.

## INVARIAS SECTIONES DIVISUM.

*Quænam sint, quæ reddant Sacramentum validum, vel invalidum; licitum, vel illicitum.*

**N**ota. Sacramentum potest considerari.  
1. Præcisè ut validum, vel ut invalidum. 2. Ut validum simul, & licitum. 3. Ut validum quidem, sed illicitum.

Sacramentum est validum præcisè, quando habet tantum ea, quæ sunt absolute necessaria ad constituendum Sacramentum: habet, v. g. debitam materiam, debitam formam, debitam intentionem; adest insuper Minister potens conferre, & subiectum potens recipere.

Sacramentum est invalidum, quando carent aliquo, quod sit ad constitendum Sacramentum absolutè necessarium, v. g. Carent vel debita materia, vel debitâ formâ, vel debitâ intentione; vel adest Minister, qui possit validè conferre, aut subjectum quod possit validè recipere.

Sacramentum est validum simul, & licitum, quando habet ea omnia, quæ necessariò requiruntur ad constituendum Sacramentum, & comites habet eas cæmonias, quas Ecclesia adhiberi jubet, & nihil sit vel ex parte Ministri conferentis, vel ex parte subjecti recipientis, quod Sacramentum illicitum reddat & infructuosum efficiat.

Sacramentum est validum, sed illicitum, quando habet quidem omnia essentialiter requisita ad constituendum Sacramentum, sed deest aliquid præter naturam Sacramenti requisitum, vel adest aliquid, quo ratione aliqua lœditur accidentaliter Sacramentum, v. g. intervenit mutatio accidentalis, vel in materia, vel in forma, vel in intentione: intervenit omissione alicujus cæremoniæ, aut alicujus decentiæ, quam Deus, & Ecclesia in collatione Sacramentorum observari volunt: vel demùm aut in Ministro conferente, aut in subjecto recipiente non adest ea Sanctitas, quam Deus in utroque exigit, quod ut clarius pateat, sit.

## SECTIO I. CAPITIS I.

Quot, & quæ requirantur, ut Sacramentum sit præcisè validum; quot verò, & quæ exigantur, ut Sacramentum sit validum simul, & licitum; demum quæ omissio redat Sacramentum invalidum, quæve omissio faciat Sacramentum illicitum.

**P**ropositio prima fundamentalis. Ut fiat Sacramentum, quatuor requiruntur essentialiter, scilicet materia, & forma, seu res & verba, subjectum potens recipere, & Minister potens conferre, unà cum intentione faciendi fieri, & non jocosè id, quod facit Ecclesia; id est cum intentione exercendi actionem Sacmentalem, quatenus cæmoniam Sacram, vel habitam ut Sactam apud Christianos.

Probatur i. scriptura. hæc verba Christi Mathæi 28. v. 19. euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, denotant ista quatuor; nam hæc vox euntes denotat Ministrum, eos verò denotat subjectum, Baptizantes denotat materiam, scilicet aquam, hæc verò verba in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti denotant formam: & quia Minister confitens, & adulter recipiens debent se gerere moraliter, conferens debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; suscipiens verò adultus debet habere intentionem recipiendi Sacramentum, quod coafertur in Ecclesia.

2. Ex Concilio Florentino. Sacra-  
menta tribus perficiuntur, rebus tanquam mate-  
ria, verbis, tanquam formâ, & personâ Mi-  
nistri conferentis Sacraenta, cum intentio-  
ne faciendi quod facit Ecclesia: quorum si ali-  
quid desit, non perficitur Sacramentum. Ita  
in litteris unionis; ergo ut fiat Sacra-  
mentum, quatuor requiruntur materia, forma,  
subjectum recipiens, & Minister confetens,  
una cum intentione faciendi, quod facit  
Ecclesia.

3. Ratione. Sacramentum est composi-  
tum Morale: ergo quatenus compositum,  
constat rebus, & verbis, rebus tanquam  
materiâ, verbis tanquam formâ; omne e-  
nim compositum constat materiâ, & formâ;  
quotenâ vero compositum Morale requi-  
rit, quod subjectum recipiens, & Minis-  
ter confertens se gerant moraliter: ergo  
quod habeant intentionem aliquam.

Dixi autem, quod intentio debet esse  
interna, & non externa; quia actio ex-  
terna Sacramenti est indifferens ad multa,  
v. g. ablutio aquæ potest ordinari ad mun-  
ditiam corporalem, ad sanitatem, ad lu-  
dum; ergo debet determinari ad esse cæ-  
remoniale, & Sacramentale per internam  
Ministri intentionem.

Dixi, quod intentio debet esse, vel ac-  
tualis, vel virtualis, & non habitualis so-  
lum; quia intentio habitualis solum non  
facit, quod minister gerat se moraliter,  
cum talis intentio possit reperiri in amente,  
in dormiente.

Dixi, quod sufficit intentionem spectare

id, quod est de natura Sacramenti; quia cum bona, vel mala intentio fertur ad id, quod est extra naturam Sacramenti; tunc non irritat Sacmentum, cum Sacmentum supponatur jam validum, & peractum.

Propositio secunda fundamentalis. Ut Sacmentum sit validum simul & licitum isthac requiruntur I. Ad validitatem requiruntur debita materia, debita forma, debita intentio, subjectum potens recipere, & minister potens conferre. II. Ad decentiam requiruntur ritus illi, qui in Ecclesia adhiberi consueverunt, debita insuper Sanctitas in ministro conferente, & debita dispositio in adulto recipiente.

Probatur prima pars. Ex Augustino accedit verbum ad elementum & sit Sacmentum; atqui elementum idem est ac materia, verbum idem est ac forma; ergo ad Sacmentum requiritur materia debita, & forma debita: illud autem elementum & verbum uniti non possunt in esse Sacmenti; nisi sit minister conferens, & subjectum recipiens: ergo requiritur ad validitatem Sacmenti neminem materia & forma; sed insuper minister conferens, & subjectum recipiens. Sed quia minister debet in conferendis Sacmentis moraliter & liberè se habere, & adultus debet pariter liberè Sacmenta recipere, in utroque requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia; ergo ad valorem Sacmenti isthac requiruntur debita materia, debita forma, debitus minister, & debitus recipiens; cum ea intentione, quam Christus & Ecclesia requirunt.

Probatur secunda pars. Sanctitatem aliquam requiri, tum in Ministris Conferentibus, tum in adultris recipientibus patet ex illo loco Aug. contra Donatistas: totus est in probando quod Sacra menta *obsunt indignè tractantibus, profunt tamen per eos dignè suscipientibus*: ergo sanctitas aliqua requiritur, tum in ministro conferente, tum in subjecto recipiente.

Probatur tertia pars quod scilicet omissione cæmoniarum reddat Sacramentum illicitum. Illud patet ex Trid. sess. 7. Can. 23. ubi declaratur peccare graviter cum, qui Cæmonias in solemni Sacramento rum collatione adhiberi solitas omiserit.

Probatur singulæ partes ratione: ut Sacramentum sit validum, requiruntur ea, quæ sunt de essentia Sacramenti; quia ubi non sunt essentialia Sacramento, ibi non est Sacramentum: ergo ad validitatem Sacramenti requiruntur debita materia, debita forma, debita intentio, subjectum potens recipere, & minister potens conferre; quia isthæc omnia sunt de essentia Sacramenti. Ut Sacramentum sit licitum, requiruntur ea, quæ sunt de decentia Sacramenti; quia si desit aliquid eorum, quæ ex decentia conjungi debent cum Sacramento, Sacramentum illicitè tractatur; & proinde sit illicitum: ergo ad decentiam Sacramenti requiruntur, ritus solemnies adhiberi soliti ut Sacramentum illis titibus adornetur. 2. requiritur sanctitas debita in ministro conferente, & in adulto recipiente, ut Sacramentum non indignè pertractetur.

*Propositiones aliæ minus generales ex ipsis  
duabus prioribus propositionibus eductæ.*

Propositio I. illata ex duplice priore propositione. Totiès Sacramentum est invalidum, & nullum, quotiès adhibetur aut materia, aut forma diversa ab ea, quam Christus instituit, aut intervenit, vel minister conferens, vel homo recipiens alius, quam Christus elegit, aut reperitur vel in conferente, vel in recipiente intentio diversa ab ea intentione, quam Christus in utroque exigit.

Probatur. 1<sup>o</sup>. ex Florentino in litteris unionis. *Sacramenta tribus perficiuntur*, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; *quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum*. ergo totiès Sacramentum est invalidum & nullum, quotiès non adhibetur aliquid ex iis, quibus Christus voluit *Sacramentum perfici*.

2<sup>o</sup>. Ratione Sacramentum est Cæremonia à Christo instituta ad conferendam gratiam; & ad uniendum homines in eadem religione: ergo tunc tantùm Sacramentum censabitur validum, quando observabuntur ea, quæ Christus ad Sacramenti valorem requiri voluit; invalidum vero, si aliquid desit, quod Christus ad constituendum Sacramentum elegit; ea enim quæ pendent ex mero arbitrio instituentis, tunc tantùm censentur valere, quandò ea habent, quæ institutor

institutor ad eorum valorem elegit, & sicut contractus non sunt validi, nisi cum habent eas conditiones, quas ad eorum valorem legislator praefixit; ita Sacramentum non erit validum, nisi quando habuerit ea, quæ Christus institutor determinavit, scilicet eam materiam, eam formam, eum ministerium, & eam intentionem, & eum recipientem, demum singula, quæ fuerunt à Christo determinata.

Propositio II. illata ex duplice propositione fundamentali. Totiès Sacramentum etiamsi validum in se, erit infructuosum recipienti, quotiès recipiens illud suscipiet sine debitis dispositionibus, & totiès erit infructuosum conferenti, quotiès conferens illud ministrabit sine debitis dispositionibus ex parte ipsius, v. g. sine deitate sanctitate, vel omittat Cætermonias non essentiales, in Sacramentorum tamen collatione ex usu Ecclesiæ adhiberi solitas, vel scienter negligit eum ordinem eamque decentiam, quam Deus vult observari.

Probatur 1º. Scripturā. Generaliter & quibuscumque tractatibus Sacraenta sive conferendo, sive recipiendo, dicitur levit. 19. v. 2. Sancti estote, quia ego Sanctus sum, Ministris adhuc deputatis specialiter dicitur Ecclesiast. 10. v. 2. secundum judicem populi sic & ministri ejus; id est, ut exponit D. Thom. Minister Sacramentorum debet esse conformis Christo, qui est autor Sacramentorum & recepturis Baptismū (idem sentiendum de aliis Sacramentis) dicitur act. 2. v. 38. penitentiam agite, &

Baptizetur unusquisque vestrum : ergo totiès Sacramentum est illicitum ; & infructuosum tum recipienti , tum Conferenti , quotiès non tractatur sanctè.

2º. Ex Dyonisio , ceu ex autore Cœlestis Hierarchia bap. i. *malis non est fas Sacra Symbola* , id est Sacraenta tangere ; qui contactus utique fit vel conferendo , vel recipiendo Sacraenta : ergo Sacramentum inquinat conferentem , si indevotè conferat , inquinat pariter recipientem , si indevotè recipiat.

3º. Ratione : Totiès Sacramentum inquinat conferentem , quotiès ab illo indevotè tractatur , & totiès inquinat recipientem , quotiès ab eo indevotè recipitur : **ea enim est rei sanctæ dignitas** , ut dignè tractantem sanctificet , indignè tractantem coinquinet : ergo Sacramentum etiam si validum in se , erit infructuosum recipienti , si illud sine debita sanctitate administret. De quo ita D. Thom. 3. p. qu. 64. art. 7. ad i. *Sacraenta* , inquit , *in se ipsis quandam sanctificationem habent per mysticam consecrationem* ; & ideo præexigitur *in ministro sanctitas justitiae* , ut congruat ministerio ; & ideo incongruè agit ; & peccat , si *in peccato existens ad tale ministerium accedat* . Et in corp. ejusdem articuli ait : & quia hoc peccatum , inquit , pertinet ad irreverentiam Dei , & contaminationem Sacramentorum.... *consequens est* , quid tale peccatum ex genere suo sit mortale .

Si juxta divum Thom. *Sacrilegium committat* ; qui sine debita sanctitate Sacramentum confert ; ita & *sacrilegium com-*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 27  
mittit adlatus, qui sine debitiss dispositio-  
nibus Sacramentum recipit.

Propositio III. illata ex duplice proposi-  
tione priore fundamentali. Quoties Cære-  
moniæ in solemni Sacramentorum adminis-  
tratione adhiberi solitæ omissuntur, toties  
Sacramentum remanet validum, sed fit il-  
licitum.

Probatur 1<sup>a</sup>. ex Cathechismo Trid. 2.  
parte de Sacramentis in genere num. 18.  
ubi sic habetur: *Cæmoniæ tametsi præter-  
mitti sine peccato non possint, nisi aliud facere  
ipsa necessitas cogat; tamen si quando omittan-  
tur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil  
de vera Sacramenti ratione imminui credendum  
est.*

Probatur 2<sup>a</sup>. ratione. Licet Cæmoniæ  
non sint necessariæ necessitate Sacramenti,  
tamen ad multa inserviunt. 1<sup>o</sup>. Ad majo-  
rem Sacramenti solemnitatem; quo enim  
plures, & graviores adhibentur cæmo-  
niæ, eò profundior reverentia videtur Sa-  
cramentis exhiberi. 2<sup>o</sup>. Ad majorem devo-  
tionem excitandam, tum in Ministro con-  
ferente, tum in subiecto recipiente; cære-  
moniæ enim efficiunt, ut sanctius Sacra-  
menta tractentur. 3<sup>o</sup>. Ad faciliorem rudium  
populorum instructionem; cæmoniæ enim  
sunt quasi vivæ imagines, quæ ob oculos  
ponunt, quidquid per vim Sacramentorum  
efficitur: ergo licet cæmoniæ non sint ne-  
cessariæ necessitate Sacramenti, sunt tamen  
necessariæ necessitate præcepti; & ideo si  
omittantur, Sacramentum est quidem vali-  
dum, sed illicitum.

Propositio IV. illata ex duplice propositione fundamentali. Toties Sacramentum validum in se sit illicitum, quoties servatis etiam solemnioribus Cæremoniis, & supposita eam sanctitate ministri conferentis, & adulti recipientis, omittuntur aliquæ circumstantiæ vel loci, vel temporis, vel personarum, quas Ecclesia omitti vetat, v. g. Sacraenta conferuntur alio in tempore, alio in loco, quam Ecclesia velit conferri, vel dantur à ministro, aut recipiuntur à subiecto aliter affectis quam Ecclesia velit.

Probatur 1<sup>a</sup>. autoritate Dionysii. ut Sacramentum sit licium, debet esse integrum, non solum in substantia, sed etiam in omnibus circumstantiis; quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu: ergo Sacramentum validum in se fiet illicitum, si detur vel accipiatur in aliqua circumstantia vel loci, vel temporis, vel personarum, in qua circumstantia Ecclesia vetat Sacramentum conferri.

2<sup>a</sup>. Ratione præter materiam & formam, præter personam legitimè conferentem, & personam legitimè recipientem, quæ quatuor requiruntur, ut Sacra mentum sit validum. præter solemniores cæremonias, & sanctitatem Ministri ex officio conferentis, & sanctitatem adulti recipientis, quæ duo requiruntur ut Sacramentum sit licium, exigitur insuper ab Ecclesia observantia quatuorundam circumstantiarum loci & temporis & personarum, quæ aliquatenus distinguuntur à solemnioribus cæremoniis, quas tamen observari Ecclesia strictè jubet, - v-

g. Ecclesia præcipit Baptismum solemniter conferri in Templo , numquani vero in domibus privatorum , vult etiam conferri intra octavam diem , & non ulterius differti , jubet etiam Baptismum solemniter dari vel ab Episcopo , vel à Sacerdote , vel à Diacono , minime vero à simplici Clerico , idem dic de aliis Sacramentis : atqui omissione illarum circumstantiarum reddit Sacramentum illicitum , cum talis collatio Sacramenti sit contra vetitum Ecclesiae : ergo toties Sacramentum validum inse , fiet illicitum , quoties servatis etiam solemnioribus cæremoniis , & supposita etiam Ministri conferentis & adulti recipientis sanctitate , omittitur aliqua circumstantia loci , vel temporis , vel personarum , quam Ecclesia omitti vetat.

Notandum quod numquam scienter omittitur hoc præceptum Ecclesiae sine peccato & proinde quod omissione earum circumstantiarum conjungatur cum defectu sanctitatis in eo , qui voluntarie talem circumstantiam omittit . Fateor etiam quod illæ circumstantiæ vocari possint cæremoniæ , saltem non solemniores , sed observantia illarum circumstantiarum est aliquatenus diversa à solemnioribus circumstantiis , sanctitate requirata in Ministro ex officio conferente , & in adulto recipiente : ideo quartam istam propositionem ex principiis supra statutis educendam putavi .

MONITUM ad totum tractatum præliminare . Sacramentum erit validum , quando habebit materiam , & formam debitam .

30 MORALIS CHRISTIANA.  
personam validè conferentem , & personam  
validè recipientem ; invalidum verò , si ali-  
quid eorum dēsit . Sacramentum validum  
in se , fiet illicitum , si constans ex dēbitā ma-  
teria & dēbitā formā , & collatum à legitimo  
Ministro , & receptum à legitimo subiecto ,  
interveniat defectus sanctitatis in Ministro  
ex officio conferente vel in adūlo reci-  
piente , vel omittantur solemniores cære-  
moniæ ab Ecclesia præscriptæ , aut ne-  
gligantur circumstantiæ minus solemnes &  
lōci , & temporis , & personarum , quas  
circumstantias Ecclesia omitti vetat .

## SECTIO II. CAPITIS I.

*De debita materia , formâ & intentione cu-  
juslibet Sacramenti in particulari .*

*Inquiritur quæ mutatio in materia , forma ,  
& intentione reddit Sacramentum nullum ,  
& invalidum ; quæ verò mutatio reddit :  
Sacramentum illicitum .*

*Statuitur principium ad explicandam integrā  
sektionem .*

**P**ropositio unica & fundamentalis , cui  
innititur integra hæc sectio . Mutatio  
substantialis in materia , forma , & inten-  
tione reddit Sacramentum nullum , & inva-  
lidum ; mutatio verò accidentalis reddit  
Sacramentum illicitum .

Probatur prima pars . Mutatā essentiā rei  
non est res , y. g. si homo mutetur subs-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 31  
tantialiter in brutum, non est homo: Ita si materia & forma, & intentio, quæ constituunt Sacramentum mutentur substancialiter, non erit Sacramentum.

Probatur secunda pars. Mutata accidenitaliter essentia rei remanet res, v. g. si homo ex albo fiat niger, remanet homo: ergo si materia, forma, & intentio, quibus perficitur Sacramentum, mutentur solum accidentialiter, remanet Sacramentum, & validum, & verum.

Probatur tertia pars. Cum intervenit mutatio accidentalis in materia, forma, & intentione, quibus Sacramentum constat, tunc Sacramentum est illicitum ex parte illius, qui conscientis est hujus-modi mutationis accidentalis; quia tunc non observatur præceptum vel Divinum. vel Ecclesiasticum, quo vetatur ne fiat mutatio etiam accidentalis in Sacramentis.

Explicatur fusiūs eadem propositiō. Mutationis substancialis in materia Sacramentorum est ea, per quam materia à Christo determinata transit Physicē in aliam speciem, v. g. conversio aquæ in cervisiam, vel materia determinata à Christo, fit inepta ad usum Sacramenti, v. g. aqua fit congelata, in quo statu est inepta ad ablutionem, nisi liquefiat.

Mutationis accidentalis in materia Sacramentorum ea est, per quam materia à Christo determinata consistit in sua specie, & remanet apta ad usum Sacramenti, v. g. Calefactio in aqua, quæ nec tollit naturam aquæ, nec impedit quominus apta sit ad ablutionem.

C iiiij.

Mutatio substantialis in forma est conversio verborum in sensum planè diversum, v. g. si quis diceret, ego te baptizo in nomine *Matris*.

Mutatio accidentalis in forma Sacramenti est alteratio verborum retento eorum sensu, saltem quoad substantiam, v. g. si quis diceret, ego te abluo, te lavo, &c.

Mutatio substantialis in intentione est ea alteratio propositi in conferente Sacramentum, quā fiat, ut non amplius remaneat intentio faciendi quod facit Ecclesia, v. g. ablutio facta ab amente, in quo non est usus rationis, nec proindē intentio: ablutio pariter facta ab adulto rationis compote, sed jocosè, & contumeliosè gerente.

Mutatio accidentalis in intentione est ea alteratio propositi in conferente Sacramentum, quā fiat, ut semper remaneat intentio faciendi, quod facit Ecclesia, v. g. ablutio facta sine devotione interiori, facta ex sordida intentione lucrandi penunias, &c.



## ARTICULUS I.

*In quo predictum principium, scilicet mutatione essentia lis tollit Sacramentum, minime vero accidentalis, applicatur ad Sacramentum Baptismi.*

**P**ropositio I. Materia hujus Sacramenti, id est Baptismi, est aqua vera, & naturalis: nec refert frigida sit, an calida. Forma autem est: ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ita expressè Florentinum.

Probatur. 1º. Scripturā Matth. 18. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi hæc vox Baptizantes donat ablutionem debere fieri in aquâ, quâ communius utimur ad abluerendum. Et hæc verba *in nomine patris*, denotant Baptismum conferendum in nomine trium personarum, quæ sunt objectum fidei nostræ, quam suscipimus in Baptismo.

2º. Ex Trid. sell. 7. de Baptis. can. 2. ubi sic habetur. *Si qui dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.* & can. 4. ibidem ait: *si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hereticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.* Ergo materia Baptismi est aqua na-

34 MORALIS CHRISTIANA.  
turalis, & forma sunt hæc verba, ego te  
Baptizo in nominē Patris &c.

3<sup>o</sup>. Ratione. Ex Christi institutione, quæ  
nobis per scripturam, per traditionem, &  
per perennem Ecclesiæ usum innotescit, ad  
conferendum validè Baptismum requiritur  
aqua naturalis tamquam materia, requirun-  
tur hæc verba, ego te Baptizo in nomine  
Patris &c. & intentio faciendi, quod facit  
Ecclesia: numquam enim aliter validè col-  
latum est Baptisma Christi. Ergo si in con-  
ferendo Baptismate contingat mutatio sub-  
stantialis circa prædicta, nullus erit Baptis-  
mus; si mutatio sit tantum accidentalis,  
Baptismus erit quidem validus sed illicitus.

*Consectaria hujus Doctrinae.*

Consectarium. I. De multiplici muta-  
tione, quæ contingere potest in Baptismo  
Ex parte materiæ, nimirum aquæ mutatio  
intervenit in istis casibus. I. Si quis loco  
aquæ naturalis uteretur alio liquore, v. g.  
vino, oleo, sanguine, salivâ, sudore, a-  
quâ ex herbis per artem chymicam extrac-  
ta, qualis est aqua rosacea, non conficeretur  
Baptismus; prædicti enim liquores non  
sunt aqua naturalis. Ita Florentinum, &  
Div. Thom. 3. p. 66. a. 4. ad. 5. Idem  
juxta non-nulos sentiendum est de aqua ex  
vitibus distillante. II. Si quis aquæ natu-  
rali admisceat aliud liquorem, qui non dis-  
solvat speciem aquæ, conficitur Baptismus  
v. g. si aquæ admisceatur chrysma. Div.  
Thom. 3. p. q. 66. a. 4. ad. 2. III. Si  
quis uteretur aquâ matis, paludis, &c.

TRACT. DE SACRAMENTIS. 35  
dulci , vel salsa , pluviali , fluviali , frigi-  
dā , calidā , nive , aut glacie liquefactis ,  
consicitur Baptismus , aqua enim illa est  
naturalis . 3. p. q. 66. a. 4. IV. Si quis u-  
teretur mixto aquoso , v. g. lixivio , luto ,  
brodio , conficeretur Baptismus , si aqua  
multum prævalereret ; sed non conficeretur  
Baptismus , si aqua non prævalereret ; mix-  
tum enim in quo aqua pravalet , est sub-  
stantialiter aqua , mixtum verò in quo aqua  
non pravalet , non est aqua , sed aliud com-  
positum . 3. p. q. 66. a. 4. ad. 2. Peccaret ta-  
men , qui citrā urgētēti necessitatē , vel  
ignorātiā invincibilem Baptizaret cum  
mixto illo aquoso ; quia non satis dignè  
tractaret .

Consecrarium II. De mutatione , quæ  
contingere potest circa materiam proxi-  
mam , scilicet ablutionem , contingit au-  
tem mutatio in his , aut similibus casib⁹.  
I. Si quis loco aquæ poneret nivem , gla-  
ciem supra pellem Baptizandi , non esset  
Baptismus ; etenim non esset ablutio . II.  
Si quis vestes , capillos , ungues tantūm  
ablueret , non esset Baptismus ; homo e-  
nim tunc non posset dici ablutus . III. Si  
quis pedem tantūm , aut extremam ma-  
nuum partem ablueret , dubium est an esset  
Baptismus , quia tunc homo non videtur  
dici posse certò ablutus . Peccaret graviter ,  
qui sic extra necessitatē Baptizaret ; ex-  
poneret enim Sacramentum nullitati : & qui  
etiam in necessitate esset sic Baptizatus ,  
deberet sub conditione rebaptizari .

IV. Si caput , scapula , venter , aut alia

partes præcipuae abluantur, conficitur Baptismus; quia haec partes sunt insigniores, quibus ablutis homo certò censetur ablatus.

Consectarium III. de mutatione, quæ contingere posset in Baptismo ex parte formæ. In forma contingit mutatio diversimodè, scilicet per additionem, per detractionem, per correctionem, per transpositionem, per interpolationem, per synonymationem, idest per substitutionem aliorum verborum, quæ singulæ mutationes solent in sequentibus casibus evenire. I. Per additionem destruentem, ut si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris majoris, in nomine Filii minoris, &c. non conficitur Baptismus; variatur enim omnino sensus formæ, & ponitur diversitas inter personas Trinitatis: demùn aperte inducit error Ariatorum.

Si quis dicat pariter: Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. non conficitur Baptismus; nomen enim in plurali numero adhibitum significat essentiam in Divinis multiplicari, & inducit aperte errorem Trinitarum. Div. Thom. p. q. 66. a. 5. ad. 6. Dubius esset Baptismus, si diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti; quia non exprimitur explicitè unitas essentiæ Divinæ.

Si quis dicat: Ego te baptizo *cum* Patre, *cum* Filio, *cum* Spiritu Sancto, non conficitur Baptismus; modus enim ille loquendi non exprimit unitatem essentiæ, sed solum

lum Trinitatem personarum; & baptizans declarare videtur se esse causam principalem Baptismi unà cum Trinitate.

II. *Per additionem non destruentem*, ut si quis dicat: Ego te Baptizo in nomine Patris omnipotentis, qui te creavit, Filii sapientis, qui te redemit, Spiritus Sancti, qui in te effusus est, conficitur Baptismus; talis enim additio non destruit sensum formæ. Si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris & filii & Spiritus Sancti & in nomine Mariæ, si intendatur quod nomen Mariæ aliquid operetur in Baptismo, non conficitur Baptismus; mutatur enim sensus formæ inducitur quippe quarta persona in Divinis. Si vero intendatur tantum, quod oratio Mariæ pro sit baptizato, conficitur Baptismus; quia non mutatur sensus formæ. *Div. Thom. 3. p. q. 60. a. 8.*

III. *Per subtractionem non destruentem*. Si quis dicat: Ego te Baptizo nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omittendo particulam *in*, & particulam *amen*, conficitur Baptismus; quia talis detractione non tollit fidem circa Trinitatem, nec expressionem explicitam Trinitatis. Si quis dicat: Ego Baptizo, omittendo *te*, ponendo aliquid æquivalens, v. g. hunc puerum, hanc Dei creaturam, vel Baptizo celitudinem tuam, indicando illum, qui Baptizatur, conficitur Baptismus; detractione enim hujus particulae *te* suppletur per aliquid æquivalens. Idem dicendum, si dicatur tantum Baptizo *te*; quia in latino idiomate non semper necessariò exprimi debet nominati-

IV. *Per detractionem destruentem*, si quis dicat: Ego te Baptizo in nomine Trinitatis, non conficitur Baptismus, quia non sit explicita expressio trium personarum. D. Th. 3. p. q. 66. a. 6. ad. 3. Si quis dicat tantum: Ego te Baptizo in nomine Christi, non conficitur Baptismus, nisi id fieret ex speciali revelatione, uti factum ab Apostolis, credit D. Thomas ob specialem revelationem. 3. p. q. 56. a. a. 6. in c. cum autem Nicolaus dixit Baptismum collatum in nomine Christi valere, vel intellexit, si loco Filii ponatur Christi, qui verè est Filius Dei, vel in nomine Christi facit hunc sensum: Apostoli baptizabant vice & autoritate Christi, vel Nicolaus locutus erat Doctor particularis.

Sunt tamen Doctores, qui dicunt Apostolos Baptizasse in nomine Christi, id est autoritate Christi, adhibendo tamen formam hanc à Christo acceptam: Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Si quis dicat: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen, omittendo hanc particulam, Baptizo, non conficitur Baptismus; pervertitur enim sensus formæ. D. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 5. ad. 2.

V. *Per corruptionem destruentem*, qualis est illa, quæfit initio vocis, ut si quis dicat: Ego te Baptizo in nomine Matri, Milii, & Miritus Sancti, non conficitur Baptismus; corruptio enim initio vocis facta vulgo de-

fruit sensum formæ , ut notat. D. Thom.

VI. *Per corruptionem non destruentem*, qualis est illa , quæ fit in fine vocis , v. g. si quis dicat : Ego te baptizo in nomine Patrias , Filias , & Spirituas Sanctas , conficitur Baptismus , corruptio enim facta in fine vulgo non immutat sensum formæ , ut notat. D. Thom.

VII. *Per transpositionem destruentem* , ut si quis dicat : nomine ego , Patris in baptizo , Spiritus Filii et amen Sancti , non conficitur Baptismus ; hæc enim ridicula transpositio vocum tollit omnino sensum formæ .

VIII. *Per transpositionem non destruentem* , ut si quis dicat ; in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti ego te baptizo , conficitur Baptismus ; tunc enim non immutatur sensus formæ .

IX. *Per interpolationem destruentem* , ut si quis dicat : ego te baptizo , posteà reciter Psalmum , aut per longam moram taceat , deinde subjiciat in nomine Patris , &c. non conficitur baptismus ; hæc enim interrupcio abrumpit omnino sensum formæ .

X. *Per interpolationem non destruentem* , ut si quis dicat : ego te baptizo , & subjiciat quasi incidenter hæc verba , aqua est frigida , vel parùm sileat , russiat , tunc conficitur Baptismus ; est enim tunc cum unitate intentionis unitas formæ D. Th. 3. p. q. 6o. a. 8. in c.

XI. *Per synonimationem , seu similiūm aut quasi similiūm vocum substitutionem destruentem* , ut si quis dicat : ego te baptizo in nomine genitoris , & geniti , & spirati , non

conficitur Baptismus, inquit D. Thom. Quia hæc nomina genitor, genitus, spiritus non exprimunt personas subsistentes, sed agentes, vel patientes. 3. p. q. 66. a. 5. ad. 7.

Item si quis diceret: ego te baptizo in nomine Dci unius in essentia, & trini in personis, non conficeretur Baptismus; tunc enim non explicite exprimeretur quælibet persona.

Si quis pariter dicat: ego te baptizo in virtute Patris, Filii, & Spiritus Sancti, dubium est an conficiatur Baptismus; *virtus* enim non est vox synonima omnino cum hac voce *nomine*; *virtus* enim non tot significat, quot *nomen*; *virtus* enim significat solum vim agendi, *nomen* vero significat essentiam, & *virtutem*.

XII. Per synonimationem non destruenter, ut si quis solitariè baptizans dicat: nos te baptizamus in nomine Patris, &c. conficitur Baptismus, potest enim quis loquendo de se uti numero, vel plurali, vel singulari.

Si quis baptizans principem dicat honoris causâ ego vos baptizo, conficitur Baptismus, honoris enim causâ possumus alloqui principem in plurali; si tamen id fieret passim, & fine causa esset peccatum, inquit D. Thom. 3. part. q. 66. a. 5. ad. 4.

Si quis baptizans utatur idiomate, quo alii non utuntur, v. g. apud Latinos utatur Græco idiomate, apud Græcos utatur Latino, apud utrosque utatur lingua vernacula, modò caveat, ut utatur verbis idem

TRACT DE SACRAMENTIS. 41  
omnino significantibus, quod ista verba si-  
gnificant: Ego te baptizo &c. conficitur Ba-  
ptismus, quia tunc, ut supponimus, non  
mutatur sensus formæ.

Si quis dicat baptizetur, vel baptizatur,  
servus Christi N. in nomine Patris, &c. ut  
sit apud Græcos, conficitur Baptismus; quia  
non invertitur sensus formæ; idem enim  
sensus exprimi potest, vel per activam,  
vel per passivam vocem, ut docent gram-  
matici. D. Thom. 3. part. quæst. 66. a.  
5. ad. 1.

Consecrarium IV. De varia mutatione,  
quæ contingere potest in baptismo circa  
intentionem, quam Minister debet habere  
faciendi, quod facit Ecclesia, & circa in-  
tentionem, quam adultus recipiens debet ha-  
bere recipiendi, quod offertur ab Ecclesia.  
Mutatio circa intentionem potest contin-  
gere in Baptismo sequentibus in casibus, in  
quibus aliquando destruitur Baptismus, a-  
liquando non destruitur.

Tunc intentio est destruens Sacramen-  
tum, quandò non remanet propositum fa-  
ciendi, quod facit Ecclesia.

I. Intentio ~~Ministri~~ destruens *baptismum*.  
Si Minister jocosè, derisorie, vel ~~contu-~~  
~~meliosè~~ exerceat actionem Sacramentalem,  
puta ablutionem, non conficitur Baptis-  
mus; talis enim intentio impedit, ne ac-  
tio sit Sacramentalis: actio enim sacra, aut  
habita apud Christianos ut sacra, debet essen-  
tialiter fieri *serio*, ut dicit Trident. agens de  
absolutione Sacerdotis in *Sacramento po-*  
*nitentiae*. sess. 14. c. 6.

Si Minister conferat Baptismum sub conditione de futuro, v.g. dicendo: Ego te baptizo si vixeris per diem integrum, vel si Pater tuus mihi deinceps innotuerit, &c. non conficitur Baptismus, quamvis conditio postea adimpleatur; quia in omnibus Sacramentis (excepto matrimonio, eò quod sit contractus) intentio conditionalis de futuro impedit Sacramentum, eò quod impedit, ne materia, & forma simul sint, & moraliter uniantur; nunc enim v.g. in hoc tempore pronunciantur verba, & intentio suspenditur usque ad tempus futurum.

II. *Intentio Ministri non destruens Baptismum.* Si Minister intendat verè dare Baptismum, qui datur in Ecclesia, ut postea devoveat baptizatum Diabolo, vel si intendat verè dare Baptismum, ut ex collatione Baptismi consequatur pecunias, verè conficitur baptismus; talis enim intentio, quatenus prava, non attingit naturam Sacramenti, ut impedit, ne sit Sacramentum, sed solum Sacramentum verè faciendum attingit, ut eo jam facto utatur ad malum finem, nec vitiat actionem quatenus Sacramentalem, sed quatenus meitoriam.

Si Minister Græcus baptizet sub forma Latinæ Ecclesiæ, putans erronee formam Græcorum esse invalidam; si Minister Latinus baptizet sub forma Ecclesiæ Græcæ, putans erroneè formam Latinorum esse nullam, uterque verè baptizat; uterque enim habet intentionem faciendo, quod facit ve-

ra Ecclesia quamvis uterque erret, putans Ecclesiam vel Græcam, vel Latinam errare circa formam baptismi, error personalis non impedit valorem Sacramenti.

Si Minister hæreticus conferat baptismum, uti confertur in Ecclesia Romana, quamvis credat in Ecclesia Romana non esse veram de baptismo doctrinam, nec per baptismum conferri gratiam habitualem, characterem &c. verè tamen baptizat, ut dicit Trident. ss. 7. Can. 4. error enim personalis non tollit Sacramentum in forma Ecclesiæ collatum. Si Minister conferat baptismum sub conditione de præterito, vel de præsenti, dicens. v. g. Ego te baptizo, si tu non es baptizatus, si vivis, &c. confititur baptismus, si ponatur conditio expressa, intentio enim conditionata adimplēta conditione transit in absolutam; prædicta enim propositio facit hunc sensum; quia non es baptizatus; quia es vivens, ego te baptizo.

III. Intentio accedens ad baptismum, impediens baptismum. Si quis adultus accedit ad baptismum omnino invitus non recipit Sacramentum, repugnantia enim, & contradic̄tio recipientis tollit valorem Sacramenti; quia receptio Sacramenti in adultis est actio Moralis, & Religionis exercitium, ergo est nulla, ubi est repugnantia, & contradic̄tio. Sicuti enim homo non nisi voluntariè perit, ita non nisi voluntarie salvari debet. conc. tolet. 4. Can. 55. Si quis adultus recipiat baptismum mere negativè se habens, non recipit Sacramen-

tum ; indifferentia enim negativa non sufficit in adultis ad validitatem Sacramenti ; sicuti non sufficit ad valorem actus Religiosi. Ita docent passim Thologi contra cajetanum.

I V. *Intentio recipientis baptismum non tollens Sacramentum.* Siquis non adultus v. g. infans, amens à nativitate recipiat baptismum sine ulla intentione personali , validè recipit baptismum , quia non requiritur intentio personalis , ut non adulti baptizen- tur ; sicuti enim sine privata voluntate inficiuntur nascendo in Adamo , ita sine pri- vata voluntate justificantur renascendo in Christo. Si quis adultus recipiat baptismum ex metu gravi , validè recipit ; quod enim ex metu facimus , voluntariè facimus. Conc. Toletan 4. Can. 55. oportet , inquit , ut fidem etiam quamvis , vel necessitate suscep- perunt , tenere cogantur. Si quis adultus Catechumenus , vel dormiens , vel factus amens tempore Catechumenatus , reci- piat baptismum , validè recipit ; intentio enim interpretativa sufficit , ad validè recipiendum baptismi. Conc. Carthag. 3. Can. 34. & Can. Majores.

Consectarium V. de varia mutatione , quæ contingere potest in Baptismo ob actionem Ministri , qui utique debet se habere activè , cum Christus dicat *Baptizantes*. Hæc mutatio contingit in sequentibus casibus.

I. Actio Ministri confidentis Baptismum. Si minister dicat : ego te Baptizo ; & se habeat activè in ablutione , vel quia injicit aquam supra puerum , vel quia sustentat

TRACT. DE SACRAMENTIS. 45  
puerni suppositum aquæ è fonte, è te<sup>c</sup>to,  
è cælo decidenti, conficitur Baptismus,  
imò si injiciat puerum in flumen; in his  
enim singulis casibus minister se habet activè  
in ablutione, & in pronunciatione  
verborum In ultimo casu injiciendo puerum  
in puteum, ut ipsum Baptizet, peccat  
graviter; numquam enim facienda sunt ma-  
la, ut inde veniant bona.

Si minister dicat: ego te Baptizo, &  
abluat sive per aspersionem, sive per im-  
mersionem, sive per infusionem, conficitur  
Baptismus; Minister enim in singulis illis  
casibus se habet activè, & ad ablutionem  
factam per aquam, & ad verborum pro-  
nunciationem. can. doctrina 80. de consecr.  
dist. 4.

II. Actio ministri, qua non conficitur  
Baptismus. Si unus minister dicat: ego te  
Baptizo, & alius injiciat aquam supra pue-  
rum, vel unus sustentet puerum suppositum  
aquæ decidenti, & alius pronuntiet verba,  
quod potest contingere ex electione duo-  
rum ministrorum volentium eundem Bapti-  
zare vel ex necessitate, si duo tantum essent  
quorum alter esset mutus, alter vero non  
mutus, sed mancus manibus; atque ideo  
mutus effunderet aquam, & mancus ma-  
nibus pronuntiaret verba, non conficeretur  
Baptismus; quia minister proferens verba  
non se hiberet activè in effusione aquæ, vel  
in sustentatione pueri suppositi aquæ deci-  
denti. Si plures ministri conjunctim a-  
bluant, & formam pronuntient intendentes  
singuli simul Baptizare, quilibet depen-

dentur ab alio , quilibet ut causa particula-  
ris , sive dicant , ego te Baptizo , sive di-  
cant , nos te Baptizamus , juxta D. Thom.  
non conficitur Baptismus ; sensus enim for-  
mæ à Christo institutæ est : ego te Baptizo  
& sensus formæ , quâ illi utuntur est , ego  
te Baptizo cum alio .

Si quilibet per se intendat Baptizare  
independenter ab alio , qui priùs abluit,  
& verba pronuntiat , verè Baptizat , non  
verò secundus . Primus puniendus est ut  
inordinate Baptizans , secundus ut rebap-  
tizans . primus qui abluit , & verba pro-  
nuntiat , baptizat verè ; quia ponit omnia  
requisita ad Baptismum ; secundus nihil  
efficit ; quia abluit cum , qui jam est Bap-  
tizatus ; & idè iste puniendus , ut rebap-  
tizans ; quia rebaptizat jam baptizatum ,  
alter puniendus , ut inordinate baptizans ;  
quia non baptizat secundum ritum Eccle-  
siæ . si quilibet per se intendat baptizare  
una cum alio , sicuti Sacerdotes intendunt  
consecrare unâ cum Episcopo , quando or-  
dinantur , & uterque simul abluat , & ver-  
ba pronuntiet , Baptismus videtur validus ,  
uti valida est consecratio in Missa ordina-  
tionis , licet sit à pluribus , sed Baptismus  
eo modo collatus est illicitus ; quia non est  
secundum usum Ecclesiæ D. Thom. 3. p.  
q. 67. a. 6.

Si quis dicat : ego me Baptizo , & se in  
aquani immergat , non est Baptismus ; si-  
cuti enim nemo potest se generare corporaliter , ita nenio potest se regenerare spiritu-  
tualiter , inquit D. Thom. 3. p. q. 66. a. 5.

Adultus tamen, qui in mortis articulo bona fide se ipsum Baptizare attentaret, si statim moreretur, salvus esset, non propter Baptismum qui nullus est, sed propter votum Sacramenti: cap. debitum de Baptismo & D. Thom. ibid.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*In quo predictum principium, scilicet mutatio essentialis tollit Sacramentum, minimè vero mutatio accidentalis, applicatur ad Sacramentum confirmationis.*

**N**OTA. circā materiam remotam confirmationis triplex est sententia. Prima est eorum, qui docent impositionem manuum Episcopi esse materiam essentialē, juxta illud actuum 8. v. 17. *Tunc imponerant manus super illos; & accipiebant spiritum sanctum,* & juxta communem patrum loquendi modum, qui confirmationem vocant impositionem manuum. secunda est eorum, qui docent juxta instructionem Eugenii quarti ad Armenos, solum chrisma esse hujus Sacramenti materiam, sive ex oleo, solo juxta quosdam, sive ex oleo, & balsamo juxta alios confectum sit, quod oleum alii volunt à solo Episopo posse & debere consecrari, alii à simplici presbitero, saltem ex commissione valide, & licet posse consecrari contendunt. Tertia sententia est eorum, qui docent impositionem manuum, & chrisma æquè esse materiam essentialē confirmationis. Quæ circā materiam confirmationis est dis-

48 MORALIS CHRISTIANA.  
ceptatio inter Theologos , eadem est & circa formam ; aliis docentibus , solam orationem esse formam essentialiem , juxta illud act. cap. 8. v. 15. oraverunt pro ipsis , ut acciperent spiritum sanctum ; aliis affirmantibus non aliam esse formam essentialiem hujus Sacramenti , quam verba ab Episcopo confirmante prolatas , nempè , signo te signo crucis &c. nos hujusmodi quæstionibus nihil immorantes statuimus pro decisione casuum duplex principium , alterum circa materiam , alterum circa formam . unde sit.

Propositio 1. Juxta presentem Ecclesiæ præxim , pro materia confirmationis adhibenda est impositio manuum Episcopi , & chrisma ex oleo olivarum , & balsamo consecutum , & ab Episcopo consecratum , adeò ut si aliquid horum defuerit , confirmationis Sacramentum erit vel invalidum , vel illicitum . Pro forma Sacramenti confirmationis adhibenda est oratio , & verba ab Eugenio IV. præscripta , scilicet signo te signo crucis &c. adeò ut si aliquid horum desit , Sacramentum confirmationis futrum sit vel invalidum , vel illicitum .

Probatur . Ex Florent. seu instruptione Eugenii IV. ad Armenos ubi sic habetur : Secundum Sacramentum est Confirmatio , cuius materia est Chrisma , consecutum ex oleo , quod nitorem significat conscientia , & Balzamo quod odorem significat bona fama , per Episcopum benedicto : forma autem , signo te signo crucis , & Confirmo te , chrismate salutis , in nomine Patris , & Filii & Spiritus Sancti .

2. Ratione. *Quod Universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolicā traditum rectissimè creditur, inquit Augus. lib. 4. de Bap. cap. 24.* & proindè circa natum Sacramentorum, vel pro materia & forma habendum est, vel pro rītu absolutè necessario: quæ enim libera sunt & indifferētia, non adeò constanti Legē ab omnibus ubique & semper observantur: atqui in collatione Confirmationis prædicta omnia, nempe impositio manuum, & oratio, à tempore Apostolorum adhibita fuerunt, ut constat, tum ex actib⁹ Apostolorum, tum ex Sanctis Patribus, præcipue ex Sacramentario Gregorii: & hæc verba signo te signo crucis, &c. præscripta sunt à Florentino, ut à longo tempore usurpata in collatione Confirmationis: ergo sunt aut materia, aut forma Confirmationis, vel ritus ita necessarii, ut eorum omissio reddat Confirmationem, vel invalidam, vel illicitam.

*consecaria hujus Doctrinæ.*

Consecarium. I. De multiplici mutatione, quæ potest contingere in Confirmatione, ex parte materiæ remotæ, sive ea sit impositio manuum, sive chrismatio, sive utrumque simul. Hæc autem mutatio contingit in sequentibus casibus.

Si quis loco chrismatiſ adhiberet aliam materiam ad ungendum v. g. Butyrum, adipem, aut aliud hujusmodi aptum ad un-

gendum, non esset confirmatio; quia praedicta omnia non possunt dici chrisma, confessum ex oleo, tamen patres exigunt chrisma in confirmationis Sacramento. Sic habet optatus lib. 7. in fine oleum simplex est.... confessum jam chrisma vocatur. & Dionys. celest. hier. cap. 2. & 4. de chrismate in confirmatione adhibendo fusè loquitur. Greg. in cant. ait: *in Engaddi Balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali Benedictione chrisma efficitur.* & Cypria. Epis. 70. sic habet: *ungi quoque necesse est eum, qui Baptizatus est, ut accepto chrismate idest unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.*

Si quis loco chrismatis adhiberet, vel solum Balsamum, vel solum oleum, dubium an esset Confirmatio; quia Balsamum solum, oleum solum, non possunt dici Chrisma confessum ex Balsamo & oleo, licet Canus & alii doceant solum Balsamum sufficere, & Cajetanus contendat, solum oleum pariter sufficere, neutrius tamen sententia in praxi amplectanda est; quia in praxi, circa materiam Sacramentorum, secundum id, quod est tutius; Patres autem dicunt chrisma Confirmationis ex utroque constare. Greg. in cant. ait chrisma ex oleo & Balsamo conficitur. In sermone de unctione chrismati apud Cyp. sic habetur: *bodie sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo Balsamum, Regiae & Sacerdotalis gratiae exprimit unitatem.* Ideo Innoc. III. vult chrisma suppleri in eo, qui non chrismate, sed oleo simplici Confirmatus fue-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 51  
rat decret. tit. 16. cap. 1. Pastoralis.

Si quis loco chrismatis confecti ex oleo olivarum, adhiberet chrisma consecutum ex oleo nucum, ex oleo piscium, &c. non esset Confirmatio in hypothesi, quod chrisma sit necessarium; quia tale compositum non posset dici chrisma consecutum ex oleo olivarum & Balsamo, quod tamen chrisma *ex Apostolico jure defluxisse* docet Pacianus. Epist. ad Sympronium, & Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. idem habet div. Th. 3. p. q. 61. art. 2. ad. 3. *proprietates*, inquit, *olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo.*

Si quis loco Balsami, adhiberet aliam materiam, quantumvis magis odoriferam, in hypothesi quod chrisma sit necessarium, non esset Confirmatio; quia tale compositum non posset dici chrisma, confectum ex oleo olivarum & Balsamo, uti jubet Ecclesia, & late explicat Catechismus Trident. dicens chrisma Confirmationis, illud tantum modo unguentum esse, *quod ex oleo & Balsamo. solemni Episcopi consecratione confertur.* Et D. Th. 3. p. q. 61. art. 2. in c. ait: *Licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur Balsamum, propter fragrantiam odoris, qua redundat ad alios, id dicitur: Christi bonus odor sumus.*

Si quis adhiberet Chrisma non benedicatum ab Episcopo, dubium an esset Sacramentum confirmationis; quia Chrisma debet esse ab Episcopo benedicatum, quidquid in contrarium dicat Cajetanus; quia in mate-

42 MORALIS CHRISTIANA.  
¶ Sacramentorum sequendum id, quod est  
tutius. De qua consecrationis necessitate,  
ita Catechis. Trid. quoniam igitur, inquit,  
*Dominus hanc confirmationis materiam u[er]o ip-  
so & tradatione non sacravit, necessum est ut  
Sanctis & Religiosis Episcopi precationibus  
consecretur... neque ad alium nisi Episcopum  
ea confessio pertinere potest.*

Si quis uteretur mixto oleaginoso, in quo  
prævalereret chrisma, esset confirmatio; quia  
semper tale mixtum est verum chrisma; pe-  
caret tamen, qui citrā necessitatem, vel  
citrā ignorantiam invincibilem uteretur tali  
materia: Si autem chrisma non prævalereret,  
non esset confirmatio; quia tale mixtum,  
in quo chrisma non prævalet, non est chris-  
ma, sed mixtum aliquod aliud.

Si quis uteretur chrismate, sive novo,  
sive veteri, conficeretur confirmatio; quia  
semper tale mixtum est verum chrisma:  
Peccaret tamen qui uteretur chrismate non  
confecto eodem anno; ageret enim contrā  
præceptum Ecclesiæ, quæ jubet vetus chris-  
ma comburi, & novum quolibet anno confi-  
ci.

Consecrarium. II. de mutatione, quæ  
potest contingere ex parte Materiæ proxi-  
mæ, quæ mutatio intervenit in sequen-  
tibus casibus. Si quis loco chrismatis fluidi  
& apti ad ungendum, adhiberet chrisma  
concretum quasi in lapidem, non est con-  
firmatio; quia non est unctio, unctio au-  
tem requiritur, dicit enim Tertul. de Bapt.  
cap. 7. *Egressi de lavacro angimur Benedic-  
ta unctione... Si quis vestes tantum, ca-*

pillos, ungues, manus, pedes &c. inungeret, non esset confirmatio, quia unctio debet fieri in fronte. *Multa Sacra menta*, inquit Aug. in Psal. 141. aliter, atque alter accipimus, quædam sicut nostris ore accipimus, quædam per totum corpus, quædam in fronte persignum crucis. & in Psal. 61. ait alludens ad confirmationem: *Videam ego in frontibus Regum crucem crucifixi.*

Si quis ungeret frontem sinistrâ manu, esset confirmatio; quia verè esset impositio manus; peccaret tamen qui citrâ necessitatem, uteretur sinistrâ manu, potius quam dextrâ, ageret enim contrâ usum receptum in Ecclesiâ. Si quis ungeret frontem mediante aliquo instrumento, v. g. virgulto, videtur quod non esset confirmatio; quia non esset verâ manus impositio. Dicitur tamen de Apostolis concrentibus confirmationem, & imponebant manus. Et Tertul. de bapt. loquens simul de confirmatione ait, *dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.*

**Consecutarium III.** de multiplici mutatione, quæ potest fieri ex parte formæ, quæ contingit in sequentibus casibus.

I. Per additionem destruientem sensum formæ, si quis diceret: ego te signo crucis &c. in nomine Patris majoris &c. in nominibus Patris &c. egò signo te cum patre, cum filio, cum Spiritu Sancto, non esset confirmatio: quia destrueretur sensus formæ propter rationem suprà dict. m, ubi de baptismo.

II. *Per additionem non destruentem.* Si quis dicat; ego te signo, in nomine Patris omnipotentis, qui te creavit &c. In nomine Filii, qui te redemit &c. conficitur confirmatio; quia non destruitur sensus formæ.

III. *Per detractionem destruentem.* Si quis dicat: Ego te confirmo in nomine Dei, in nomine Trinitatis, in nomine Christi, &c. non conficitur confirmatio; quia destruitur sensus formæ.

IV. *Per detractionem non destruentem.* Si quis dicat; confirmo te, omissendo ego, conficitur confirmatio; quia non destruitur sensus formæ: vox enim ego in verbo includitur subaudita.

V. *Per corruptionem destruentem,* Qualis est ea, quæ fit initio vocis, v. g. confirmo te in nomine Matris, non conficitur confirmatio; quia destruitur sensus formæ.

VI. *Per corruptionem non destruentem;* qualis est ea, quæ fit in fine vocis. v. g. confirmo te in nomine Patrias, conficitur confirmatio; quia non destruitur sensus formæ.

VII. *Per transpositionem destruentem,* Si quis dicat, te Patris ego in confirmo, non conficitur confirmatio; quia destruitur sensus formæ.

VIII. *Per transpositionem non destruentem,* si quis dicat, in nomine Patris &c. confirmo te, conficitur confirmatio, quia non destruitur sensus formæ.

IX. *Per interpolationem destruentem,* Si quis dicat: ego te confirmo, & multum post temporis dicat, in nomine Patris, non

TRACT. DE SACRAMENTIS. 55  
conficitur confirmatio; quia tanta interruptio temporis impedit, ne prolatio formæ censeatur moraliter eadem.

X. *Per interpolationem non destruentem*, si quis dicat; ego te confirmo, & verbum aliquod aliud interserat, v. g. recedite, afferre chrisma &c. conficitur confirmatio; quia brevis illa interruptio non destruit sensum formæ nec impudicit quominus prolatio formæ dicatur eadem moraliter.

X I. *Per Synonimationem destruentem*, si quis dicat: ego te confirmo in virtute genitoris, geniti, & procedentis ab utroque, non videtur confici confirmatio, propter rationem dictam, ubi de Baptismate.

X I I. *Per synonimotionem non destruentem*, si quis dicat; egò roboro te, conficitur confirmatio; quia roborare & confidere sunt voces synonimæ.

Couſeſtarium IV. Si quis omitteret, vel impositionem manuum, vel preces præscriptas & adhiberi solitas, peccaret juxta omnes; quia non servaret præscriptum Ecclesiæ, & juxta eos, qui volunt impositionem manuum, & preces esse de substantia Sacramenti confirmationis, non conferretur confirmatio: Quia Sacramentū stare nequit sine eo, quod est de ejus substantia.

Conſeſtarium V. *de multiplici mutatione, quæ potest contingere ex parte intentionis* Totiès confirmatio est nulla, quotiès Episcopus non habet intentionem faciendi, quodd facit Ecclesia: Sic si Episcopus jocosè, derisorie, contumeliosè se gerat in conferenda confirmatione, non est confirmatio. Talis

56 MORALIS CHRISTIANA.  
enim actio non est Sacramentalis; actio quippe Sacramentalis debet fieri seriò.

Si Minister, v.g. Episcopus adhibeat materiam, & formam Confirmationis, physicè solùm sinè ullà intentione, non conficitur Confirmatio; quia actio solùm physicè exercita non est Sacramentalis.

Item si Minister seriò agens, & non jocose quantùm ad actionem externam, interiùs tamen intendat non facere actionem Sacramentalem, non conficitur Confirmatio; quia actio non est Sacramentalis, nisi quatenus intenditur, vel ut Cærimonialis, vel quatenus habetur, ut cærimonialis.

Item si Minister Confirmationis confitmet ex vi solius intentionis habitualis, quod contingeret, si Minister esset ebrius, amens &c. non conficitur confirmatio; quia intentio habitualis non sufficit. Intentio enim, quā confertur validè Confirmationis, ea debet esse, quā velit conferre illud Sacramentum, & non aliam cæmoniam exercere. Unde Gregorius Turonensis lib. 7. cap. 44. refert actionem cuiusdam Episcopi, qui in exorcismo frontem puellæ sacra unctione unxit, tamen agnoscit, quod ea unctione non fuit verum confirmationis Sacramentum; quia non intendebat facere, quod facit Ecclesia, dum dat Sacramentum Confirmationis. II. Totiès confirmationis est valida, quotiè Episcopus adhibet materiam, & formam, licet habeat intentionem circa aliquid, quod pertineat ad id, quod constituit confirmationem sic si Minister interiùs intendat facere, quod

facit Ecclesia, & ea intione confirmet, quamvis privatā malitiā nolit aliquid subsequens ad Sacramentum, vel privata infidelitate nihil credat eorum, quæ pertinent ad Sacramentum v. g. interius optet confirmationem non producere suum effectum in eo quem ungit, vel putet nullos effectus à confirmatione produci; tamen verè conficitur confirmatio; quia ea intentio, quantumvis perversa, ut pote terminata ad ea, quæ sequuntur confectionem sacramenti, non destruit naturam sacramenti. Sic si Minister confirmans ungt sub conditione de præsenti, vel de præterito, si conditio vel præsens, vel præterita sit vera, conficitur confirmatio; quia intentio conditionalis, posita conditione, transit in absolutam.

III. Totiès repugnantia ex parte recipientis confirmationem, impedit ne sit Sacramentum, quotiès tanta est, ut constet eum nolle recipere Sacramentum; quia aliqua requiritur intentio in adulto recipiente Sacramentum.

Sic si quis adultus recipiat confirmationem omnino invitus, nec gratiam, nec characterem confirmationis recipit. De quo ita Innocent cap. *majores de baptis.* ille vero, inquit, *qui numquam consensit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscepit Sacramenti;* quia plus est expressè contradicere, quam minimè consentire.

Sic si quis adultus recipiat confirmationem merè negativè se habens, non recipit Sacramentum, indifferentia enim negativa verat validitatem Sacramenti.

IV. Totiès reluctantia ex parte recipientis non tollit confirmationem, quotiès omnibus pensatis non impedit, quominus Sacramentum voluntariè accipiatur; ea enim intentio, ut pote voluntaria, sufficit ad receptionem validam Sacramenti.

Sic si quis adultus recipiat confirmationem ex metu gravi, valide recipit; quod enim ex metu facimus voluntariè facimus.

Sic qui si offert ministro conferenti confirmationem, valide illam recipit, licet explicitè non dicat, ego volo suscipere confirmationem; intentio enim interpretativa sufficit ad valide recipiendum Sacramentum, ut docet Innoc. 3. his verbis: *Tunc enim characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrarie non invenit obfistentem.*

### ARTICULUS TERTIUS.

*In quo prædictum principium, scilicet mutatio essentialis tollit Sacramentum, minimè vero mutatio accidentalis, applicatur ad Sacramentum Euch. ristiae.*

**P**ropositio prima. Materia Sacramenti Eucharistie est panis triticeus, & vinum de vite, forma vero consecrans panem est hæc: *hoc est enim corpus meum.* Forma consecrans vinum est hujusmodi: *hic est enim calix sanguinis mei, novi, & aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Probatur 1<sup>o</sup>. ex Conc. Flor. ibidem. Tertiū est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. .... forma hujus Sacramenti sunt verba salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur: Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum; ex praxi autem Ecclesiæ habemus predictam formam adhibendam esse ad conficiendum hoc Sacramentum.

2. Ratione Materia, & forma Eucharistiæ non alia potest assumi, quam ea, quā Christus in celebrationē Eucharistiæ utendum præcepit; cum enim Sacramentum sit ex institutione Christi, tota ejus natura, tam quoad materiam, quam quoad formam ex Christo instituente dependet: Atqui Christus pane & vino & prædicta forma in celebrationē Eucharistiæ nos uti præcepit ut patet ex scriptura; etenim Mathæus Cap. 26. Marcus Cap. 14. & Lucas Cap. 22. & Paulus. I. ad Corint. II. dicunt quod Christus accepto pane, & vino dixerit. *Accipite, & comedite. Hoc est enim corpus meum... Hic est enim calix sanguinis mei & deinde subdidit, hoc facite in meam commemorationem, nempe idem, quod feci:* Ergo panis & vinum sunt Materia Eucharistiæ; prædicta vero verba sunt illius forma.

Et quidem panis, & vinum sunt aptissima materia. I. Quantum ad usum: Uti enim aqua aptissima est materia ad abluendum, ita panis, & vinum aptissima est materia ad

nutriendum ; & uti ablutio corporalis per aquam, aptissime demonstrat, & efficit ablutionem spiritualem in mente ; ita nutritio corporalis per species panis, & vini aptissime demonstrat, & efficit nutritionem spiritualem in anima. Demum sicuti panis ex multis granis, & vinum ex multis acinis conficitur, & in unum pabulum tendit; ita ex multis Christianis in Eucharistiae communione unitis Ecclesia consurgit.

Verba etiam praedicta aptissimè dicuntur esse forma Eucharistiae ; etenim verè efficiunt, quod significant, ut passim docent Sancti Patres. Tertullianus enim explicans, quæ esset fides Ecclesiæ circa hoc Sacramentum sic habet contra Marcionem lib. 4. cap. 40. *acceptum panem, inquit, & distributum discipulis corpus suum illum effecit, hoc est Corpus meum dicendo.* Et Damascenus referens fidem Ecclesiæ, sic habet lib. 4. cap. 15. de fide Orthodoxa. *Sicut Deus dicendo, fiat lux, fecit lumen : Ita dicendo, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, perfecit hoc Sacramentum.* Patres vero mediantes inter Tertullianum & Damascenum idem docent ; sic enim habet Chrysost. de proditione Judæ : *hoc est corpus meum ; hoc verbo proposita consecrantur.* Et Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Consecratio igitur cuius verbis est, & cuius sermonibus? Domini Jesu.* Sacerdos enim consecrans hæc dicit in persona Christi,

*Consecrarium hujus Doctrinae.*

**C O N S E C T A R I U M I.** *De multiplici mutatione, quæ potest contingere in Sacramento Eucharistiae ex parte materiæ remotæ.* Defectus ex parte materiæ totiès reddir Sacramentum Eucharistiae nullum, quotiès non ponitur verus panis, & verum vinum, reddit vero Sacramentum illicitum, quotiès ponitur quidem verum vinum, & verus panis, sed hæc elemen-ta non ponuntur, qualia debent poni; quia ratio substantialis reddit Sacramentum nul-lum, mutatio vero accidentalis reddit Sa-cramentum illicitum. sic defectus subse-quentes, vel tollunt Sacramentum Eu-charistiae, vel reddunt illicitum.

*Defectus tollens Sacramentum Eucharistiae.*

Si quis nec panem, nec vinum adhiberet ad consecrandum, non conficeretur Eu-charistia; quia ubi non est materia Sacra-menti, ibi non est Sacramentum; idèò de-fectu panis aliquando in Lybiâ desit offerri sacrificium, ut habetur in **Con. Chalced.** actione 3.

Si quis loco panis adhiberet mel, lac, carnes, & alia similia, quæ in sacrificiis veteris Legis adhibebantur, non esset Eu-charistia; quia non esset ibi materia Eu-charistiae. **Div. Thom. parte 3. quest. 54. a. 1.**

*Defectus non tollens Sacramentum.*

Si quis unicam solum speciem vel vini , vel panis consecraret , conficeretur Eucharistia ; quia altera species vel panis , vel vini , est verè materia Sacramenti. Div. Thom. 3. parte quæst. 74. a. 1. ad secundum.

Peccaret tamen graviter sacerdos , nisi ignorantia facti excusaretur ; quia ex institutione & ex praxi Ecclesiæ semper ambæ species consecrantur ; casus autem ille potest contingere culpabiliter hoc pacto : Si quis vellet consecrare solam materiam vel panis , vel vini , uti faciebant Aquarii , qui loco vini aquam consecrabant ; casus verò ille posset contingere inculpabiliter hoc pacto : Si quis non advertens loco vini consecraret aquam cum pane , vel loco panis triticei consecraret panem ex Leguminibus confectum , vel si quis consecrato pane statim moreretur , aut comprehendenderetur ab hostibus ; ita ut non posset alia species consecrari.

*Defectus tollens Sacramentum ex parte panis.*

Si quis loco panis triticei consecraret panem ex leguminibus confectum , ex oriza , hordeo , avenâ , milio , amigdalî , pisâ , fabis , aliisq[ue] leguminibus , aut ex arborum fructibus , non conficeretur Eucharistia ; quia prædicta omnia non sunt panis usualis. div. Th. 3. p. 74. a. 3.

Si quis loco panis cocti adhibeat massam triticeam, crudam vel non coctam per modum panis, v. g. massam triticeam, frixam, vel elixam, non conficitur Eucharistia; quia praedicta omnia non sunt panis usualis.

Si quis loco panis ex farina, & aquâ naturali confecti adhibeat massam triticeam maceratam, seu omnino dilutam, vel aquis artificialibus, vel oleo, butiro, lacte, ovis, saccharo, aliisve liquoribus, non conficitur Eucharistia; quia praedicta omnia non sunt panis usualis.

Si quis loco panis usualis, ponat panem macidum, & corruptum totaliter, non conficitur Eucharistia; quia panis corruptus non est panis.

*Defectus ex parte panis reddens Sacramentum  
non invalidum sed illicitum.*

Si quis loco panis triticei ponat panem, in quo permixta sunt multa grana alterius speciei, ita tamen ut prævaleat triticum, conficitur Eucharistia; quia triticum prævalens facit, ut panis ille sit absolute panis triticeus. D. Th. 3. p. q. 74. a. 3. ad. Tertium.

Si quis loco panis confecti ex aquâ naturali ponat panem confectum ex aquâ artificiali, in quo tamen prævaleat aqua naturalis, conficitur Eucharistia; aqua etenim naturalis prævalens, facit ut panis ille sit absolute panis.

Si quis apud Latinos consecret panem

64 MORALIS CHRISTIANA.  
fermentatum; Si quis apud Græcos consecret panem azimum, conficitur Eucharistia; quia uterque consecrat materiam, quæ est absolute panis, sed uterque peccat; quia non servat usum suæ Ecclesiæ.

Si quis apud Latinos contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ, consecret hostiam figuræ quadratæ, & in Ecclesiâ Græcâ consecret hostiam figuræ orbicularis, conficitur Eucharistia; figura enim quadrata, vel orbicularis non impediunt, quo minus utraque hostia sit verus panis.

Si quis loco panis usualis adhibeat panem aliquatenus corruptum, ita tamen ut corruptio non prævaleat, conficitur Eucharistia; quia panis tendens ad corruptionem est verè panis. in prædictis autem casibus peccatur mortaliter; quia non adhibetur materia solita.

*Defectus ex parte panis reddens Sacramentum  
Eucharistie dubium.*

Si quis loco panis triticei ponat panem confectum ex spelta, vel filagine non ortæ ex frumento, dubium est an conficiatur Eucharistia; quia dubitatur an spelta, & siliqua non orta ex frumento, sint grana ejusdem speciei cum tritico; de filagine generata ex grano frumenti potest ex D. Thom. fieri Eucharistia, 3. p. q. 74. a. 3 ad secundum.

Si quis loco panis triticei ex aquâ communis confecti utatur pane triticeo ex aquâ marini confecto, dubium est an conficiatur Eucharistia; quia dubitatur, an aqua ma-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 652  
rina faciat panem naturalem : licet enim apta sit ad ablutionem , & proinde ad Baptismum , tamen non videtur apta ad panem usualem conficiendum.

*Defectus ex parte vini reddens Eucharistie Sacramentum nullum.*

Si quis loco vini ex vite , ponat liquorem ex pomis , ex moris , ex malo-granatis &c. extractum , non conficitur Eucharistia , talis enim liquor non est usuale vinum D. Thom. 3. p. q. 74. a. 15.

Si quis loco vini ex vite , ponat liquorem ex uvis omnino acidis aut non maturis extractum , non conficitur Eucharistia ; quia talis liquor non est vinum usuale.

Si quis loco vini usualis ponat acetum , vappam , id est vinum corruptum , non conficitur Eucharistia ; quia vinum corruptum non est vinum p. 3. q. 74. a. 5. ad secundum.

Si quis loco vini usualis ponat racemos , non conficitur Eucharistia ; quia racemos non est vinum ; sed id , ex quo educitur vinum.

Si quis loco vini usualis ponit vinum imbibitum in pane calido , non conficitur Eucharistia ; quia vinum illud non est usuale , nec potabile.

*Defectus ex parte vini reddens Sacramentum illicitum , sed non invalidum.*

Si quis loco vini usualis ponat mustum , conficitur Eucharistia ; quia mustum est

66 MORALIS CHRISTIANA.  
absolutè vinum, quamvis non sit perfectè  
depuratum. p. 3. q. 74. a. 5. ad. 3.

Si quis loco vini usualis ponat vinum ex  
racemis, vel uvis passis expressum, con-  
ficitur Eucharistia; talis enim liquor est  
vinum absolutè, quamvis non sit perfectè  
defæcatum..

Si quis loco vini usualis ponat vinum,  
in quo admixtus est aliis liquor; ita ta-  
men, ut vinum prævaleat, conficitur Eu-  
charistia. p. 3. q. 74. a. 7. ad 3.

Si quis utatur vino, cui contrà præcep-  
tum Ecclesiæ non fuerit admixtum  
pauxillum aquæ naturalis, vel cui admix-  
tum sit pauxillum aquæ artificialis, v. g.  
aquæ rosaceæ, conficitur Eucharistia; quia  
tale mixtum est absolutè vinum. D. Thom.  
ibid. in prædictis tamen casibus peccatur  
mortaliter; quia iron adhibetur materia  
solita: christum enim usum esse vino mixto  
aquâ docet traditio; ut habetur apud Cyp.  
Epis. 3.

*Defectus ex parte vini reddens Sacramentum  
dubium.*

Si quis loco vini usualis, ponat vinum,  
cui tantum aquæ admixtum sit, ut dubi-  
etur, an species vini soluta fuerit, dubium  
est an conficiatur Eucharistia, quia non est  
certum an illud mixtum sit vinum.

Si quis loco vini usualis ponat vinum con-  
gelatum, dubium est juxta Estum, an  
conficiatur Eucharistia, quia vinum non est  
potabile. Idem sentit de musto nullatenus  
depurato.

Consecrarium II. ex parte actionis terminatae ad species consecrandas. Totiès consecratio censemur nulla, quotiès materiâ Eucharistiae non est moraliter præsens, censemur vero valida, si sit moraliter præsens; quia haec verba, *hoc est corpus meum, hic est calix*, denotant materiam Eucharistiae debere esse moraliter præsentem.

Deinde Ecclesia non solet consecrare species absentes, aut longè distantes.

*Defectus præsentiae reddens Sacramentum Eucharistiae invalidum.*

Si species consecrandæ sint extra partem Ecclesiae, à tergo Sacerdotis, in Tabernaculo clausæ, non conficitur Eucharistia; quia illa materia non est moraliter præsens.

*Defectus præsentiae reddens quidem Sacramentum illicitum, sed non invalidum.*

Si species consecrandæ sint sub mappâ, sub corporali, sub missali, panis sit clausus in ciborio, vel vinum sit in calice cooperito, conficitur Sacramentum; quia quod est super altare, censemur moraliter præsens. Peccatur tamen: quia in illis casibus non adhibetur ea præsentia, quæ soleat in Ecclesiâ adhiberi.

*Defectus præsentie reddens Sacramentum dubium.*

Si intra Ecclesiam species consecrandæ sint longè distantes. v. g. viginti passibus juxta aliquos, centum juxta alios, dubium est, an conficiatur Eucharistia; quia materia non videtur esse moraliter præsens.

CONSECTARIUM III. de multiplici mutatione, quæ potest fieri ex parte formæ, quæque contingit in sequentibus casibus.

I. Per additionem destruentem. Si quis dicat: *hoc est enim figurativè corpus meum, hic est enim figurativè calix sanguinis mei*, non conficitur Eucharistia; quia variatur sensus formæ, & expressè inducitur error Calvinistarum.

II. Per additionem non destruentem. Si quis dicat: *hoc est enim verè corpus meum, hic est enim verè calix sanguinis mei, hoc est corpus meum*, quod de virginе sumpti, conficitur Encharistia; quia non variatur sensus formæ.

III. Per detractionem destruentem. Si quis dicat: *ecce corpus meum videtur, non conficitur Eucharistia*; talis enim detractio variare videtur sensum formæ, etenim verbum, *est*, operatur transubstantiationem; minimè vero hæc particula *ecce*; aut saltē habemus ex usu Ecclesiæ, quod verbum *est* operetur transubstantiationem, quod non possumus asserere de ista voce *ecce*.

Per detractionem non destruentem. Si quis dicat *hoc est corpus meum, hic est calix san-*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 69  
guinis mei , omittendo particulam , enim ,  
conficitur Eucharistia ; talis enim omissio  
non variat sensus formæ. Ita D. Thom. 3.  
p. q. 6. a. 8.

IV. *Per corruptionem destruentem.* Si quis  
dicat , h̄ic , adverbialiter id est , ibi , vel  
in illo loco est corpus meum , vel si di-  
cat h̄ic adverbialiter , id est ibi , est ca-  
lix sanguinis mei , non videtur confici  
Eucharistia ; quia modus ille loquendi va-  
riare videtur sensum formæ ; non enim sig-  
nificat , quod materia fuerit conversa in  
corpus , vel sanguinem Christi , sed so-  
lum quod ibi lateat corpus Christi. Si quis  
dicat : H̄ic ponitur corpus meum , h̄ic con-  
vertitur vinum in sanguinem meum , non  
conficitur Eucharistia ; quia modus ille lo-  
quendi non est operativus , sed indicati-  
vus rei aliundē effectæ.

*Per corruptionem non destruentem.* Si quis  
dicat ; h̄ec est corpus meus , hoc est ca-  
lix sanguinis meæ , ponendo unum genus  
pro alio , conficitur Sacramentum ; quia  
error contra regulas generum non tollit sen-  
sum formæ.

V. *Per transpositionem destruentem.* Si quis  
dicat ; meum hoc , corpus est , non con-  
ficitur Eucharistia ; quia h̄ec propositio  
facit istum sensum , hoc meum , quod teneo ,  
corpus est,

*Per transpositionem non destruentem.* Si  
quis dicat , enim hoc est corpus meum ,  
conficitur Eucharistia ; quia non variatur  
sensus formæ.

VII. *Per synominationem destruentem* Si quis dicat, h̄ic panis convertitur in corpus meum, non conficitur Eucharistia; quia destruitur sensus formæ, etenim propositio illa non est operativa, ut oportet, sed indicativa.

*Per synominationem non destruentem.* Si quis dicat, h̄ic cibus est corpus meum, h̄ic potus est sanguis meus, conficitur Eucharistia; quia non destruitur sensus formæ.

Confectarium. IV. *Ex parte mutationis, quæ potest contingere circa intentionem vel conficiendi, vel distribuendi; vel recipiendi Eucharistiam, quæ potest in sequentibus casibus evenire.*

Si sacerdos conficiens Eucharistiam non habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sed vel physicè solùm, vel derisorie se habeat, non conficitur Eucharistia.

Si sacerdos conficiens Eucharistiam moraliter, & seriò se habeat, & intendat vere facere, quod facit Ecclesia, conficitur Eucharistia; licet consecret propter malum finem, scilicet ad maleficia, vel ut consecutum Sacramentum irrideat; quia prava illa intentio non attingit substantiam Sacramenti, non est circa ipsum Sacramentum, sed circa usum Sacramenti.

II. *Quæcumque sit intentio, vel physica solùm, vel etiam derisoria in distributione, & receptione Eucharistiae, verè distribuitur, & recipitur Eucharistia.* Cum enim Christus sit in hoc Sacramento loco

TRACT. DE SACRAMENTIS. 71  
substantiæ panis, & vini: Sicuti verè datur, & reciperetur panis, si adesset, quæcumque interveniret vel dantis, vel accipientis intentio, ita verè datur & accipitur Christus, cum post consecrationem dantur & accipiuntur species Sacramentales, quæcumque sit vel dantis vel accipientis intentio.

## ARTICULUS QUARTUS.

*In quo prædictum principium, scilicet mutatio essentialis tollit Sacramentum, minimè verò mutatio accidentalis, applicatur ad Sacramentum pœnitentiæ.*

UT sciatur, quæ mutatio sit essentialis, quæ verò accidentalis, inquirendum, quæ sit materia, quæ forma in hoc Sacramento, quare sit.

Propositio unica. Materia Sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio; forma verò sunt verba Sacerdotis jurisdictionem habentis, scilicet ista: *ego te absolvō à peccatis tuis.*

Probatur. 1º. Ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. ubi sic habetur: *docet præterea sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse, ego te absolvō &c. postea verò addit, sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio:* Si autem vocet eos actus quasi materiam,

72 MORALIS CHRISTIANA.  
hoc ideo dicitur, non quod non sint vere  
materia, sed quia ejus generis materia non  
sunt, quae ex ira secus adhibeatur, ut aqua in  
Baptismo, & chrysmatio in confirmatione  
inquit Catechis Trid.

2'. Ratione. In omni judicio exercendo  
circa reum actus ipsius rei habent rationem  
formæ; quia quidquid pertinet ad hoc  
judicium determinatur per sententiam ju-  
dicis: atqui in Sacramento pœnitentiae pœ-  
nitens subit vices rei, Sacerdos vero vi-  
ces judicis, ut expressè docet Trident.  
sess. 14. cap. 2. dicens quod pœnitentia sit  
tribunal, in quo per sententiam Sacerdotum  
non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad  
ipsum pœnitentes consugerint possunt liberari:  
ergo actus pœnitentis, scilicet contritio,  
confessio, & satisfactio habent rationem  
materiæ; sententia vero judicis expressa  
per hæc verba: *ego te abservo*, habet ra-  
tionem formæ.

*Conseffarium generale totius hujus Doctrinae.*

Toties Sacramentum pœnitentiae erit  
nullum, quoties non aderit contritio,  
confessio, & satisfactio, qualis debet esse,  
cum prædicti actus habeant rationem ma-  
teriæ; erit pariter nullum, quoties abso-  
lutio non erit talis, qualis debet esse,  
cum absolutio habeat rationem formæ;  
qualis autem debeat esse contritio, confessio  
satisfactio, & absolutio sequentibus para-  
graphis ostendemus.

## §. I.

*Qualis debeat esse contritio in Sacramento pœnitentie.*

Nota, quod contritio definitur à Trident. sess. 14. cap. 4. *dolor animi, ac detestatio de peccato commissō cum proposito non peccandi de cetero.*

*Propositio unica.* Contritio seu dolor, qui est materia sufficiens in Sacramento pœnitentie, debet esse 1<sup>o</sup>. supernaturalis, 2<sup>o</sup>. universalis, 3<sup>o</sup>. internus, 4<sup>o</sup>. supremus, 5<sup>o</sup>. cum amore initiali conjunctus, 6<sup>o</sup>. Sacramentalis, id est in ordine ad Sacramentum elicitus.

Probatur 1<sup>o</sup>. scripturā. Contritio sufficiens in Sacramento debet esse.

I. *Supernaturalis.* etenim ex D. Paul ad corint. 7. v. 10. quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sacerduli autem tristitia mortem operatur: ergo contritio salutaris in pœnitentia debet esse secundum Deum, sive supernaturalis.

II. *Universalis.* Etenim, ut docet Ezechiel 18. v. 10. debet esse de omnibus peccatis: *convertimini, inquit, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

III. *Interior.* Quippe, ut docet idem Ezechiel, debet esse in corde. ibid. v. 31. *projicite a vobis, inquit, omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum:*

*& quare moriemini domus Israël.*

IV. *Supremus appretiativè*, ut dicunt, id est debemus magis dolere de gratia Dei perditâ, quam de re quacumque creata, & hoc docet scriptura dicens toto corde Deum quærendum, diligendum, & ejus amissionem tota mente defendam : *cum quæsieris*, inquit, *Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Deut. 4. v. 19. Beati, qui in toto corde exquirunt eum, inquit David. *convertimini ad me in toto corde vestro.*

V. *Conjunctus cum amore initiali.* Etenim si D. Paulus pronuntiet Martyrium non inservire ad gloriam sine charitate, si tradidero inquit *corpus meum*, ita ut ardeam ; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, 1.cor.13. v.3. idem videtur dicendum de Sacramento pœnitentiæ sine amore, saltem initiali, recipiatur.

2º. Ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. dolor, qui à Theologis censetur sufficere in Sacramento pœnitentiæ, est ille, qui *quamvis*, ut loquitur concilium, *extra Sacramentum ad justificationem perducere non valeat*, tamen ad impetrandam *justificationis gratiam in ipso Sacramento disponit* : atqui dolor ille prædictas habet conditiones, ut patet sequenti inductione : ergo debet esse talis, qualis à nobis describitur. Probatur minor.

I. Dolor ille debet esse supernaturalis; concilium enim declarat verum *donum Dei esse*, & *spiritus sancti impulsus*, non adhuc

quidem inhabitantis, sed tanum moventis,  
quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam  
parat. Trid. ibid.

¶ II. Dolor ille debet esse universalis. Non enim ex eodem Concilio sufficit ad Sacramentum, nisi voluntatem peccandi excludat, & nisi contineat propositum non peccandi de cetero. Vox autem illa infinita non peccandi æqui valet universalis.

III. Dolor ille debet esse internus. Definitur enim à Trid. sess. 14. cap. 4. dolor, non sensus, sed animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero: ergo debet esse interior.

IV. Debet esse supremus, ut enim per peccatum mortale perdimus Deum, quem supra res omnes creatas debemus diligere; ita & ejus amissionem doleamus oportet per dolorem quocumque alio dolore superiorem.

V. Debet esse cum amore initiali conjunctus; quia juxta Concil. dolor requisitus in Cathecumenis ad Baptismum, talis debet esse, ut præter actus fidei & spei, ex charitate, Deum tanquam totius justitiae fontem diligere incipient. Trid. s. 6. c. 6. ergo à fortiori id requiritur in his qui lapsi sunt post Baptismum; cum enim major ibi fuerit ingratitudo, ardenter debet esse in illis dilectio.

VI. Dolor ille debet esse in ordine ad Sacramentum; quia est pars Sacramenti.

3. Ratione. Dolor sufficiens ad Sacramentum pœnitentiae est dispositio ad gratiam justificantem, etenim, ut loquitur

Trident. *Quamvis extra Sacramentum ad justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam justificationis gratiam in ipso Sacramento disponit.*

*Dolor sufficiens ad Sacramentum pénitentiae est dispositio ad gratiam justificantem: ex quo isthac inferes.*

Ergo debet esse supernaturalis, ut est gratia justificans: dispositio enim est ejusdem ordinis cum forma.

Ergo debet esse universalis; id est se extendere ad omnia peccata mortalia, sicuti gratia justificans excludit omnia peccata mortalia: unum enim peccatum mortale non potest remitti sine alio.

Ergo debet esse internus, & in corde conceptus, sicuti gratia justificans eorum nostrum ex immundo mundum efficit.

Ergo debet esse supremus appretiativè; debet enim efficere, ut de Deo amissio ut pote quibuscumque bonis creatis superiorè, magis doleamus quam de aliò quocumque bono amissio.

Ergo debet esse conjunctus cum dilectione initiali, sicuti gratia justificans efficit, ut Deum super omnia diligamus.

Ergo debet esse conjunctus cum Sacramento, cum sit pars illius.

4'. Eadem doctrina ostenditur autoritate Cleri Gallicani an 1700. sic enim loquuntur illustrissimi praesules. Et quidem, inquiunt, de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum baptismi in adultis, ita ad Sacramentum pénitentiae, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam

TRACT. DE SACRAMENTIS. 77  
omittamus, hæc duo imprimis ex sacro-Sancta Synodo Tridentina, monenda & docenda esse duximus. Primum ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut previam, contritionem eam, quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur hominem Deo reconciliat. Alterum, ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei, & spei actus non incipiat diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem: Ergo ex doctrina Cleri gallicani necessaria est dilectio Dei in Sacramento pœnitentia.

Consectaria hujus doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Non sufficit detestatio peccati motivo tantum naturali concepta, v. g. non sufficit dolor conceptus ob infamiam, quæ ex peccato oritur, vel conceptus ob incommoda temporalia, quæ ex illo emanant; expressè enim docet Trid. Sess. 6. Can. 3. hominem non posse pœnitere, sicut oportet, sine gratia, si quis dixerit, inquit, sine præveniente spiritus sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut P O E N I T E R E posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Ad veram quippe pœnitentiam non solùni oportet malum fugere, sed etiam bonum persequi: & utrumque, scilicet execrari malum, & diligere bonum, debemus motivo supernaturali exequi: odite malum, inquit Amos, & diligite bonum. 5. Qui escite agere perverse,

inquit, Isaias, & discite bene facere.

**C**ONSECTARIUM. II. Non sufficit detestatio peccatorum, quæ feratur ad aliqua solum peccata mortalia, sed ad singula debet extendi. Peccator pœnitens debet præterita peccata plangere, futura præcavere; non enim vivet coram Deo, nisi priorem vitam emendet, & novam instituat. Si impius, inquit Ezechiel, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam vita vivet, & non morietur: Oportet ergo ut peccator pœnitens peractam vitam amarè defleat, juxta illud *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isa 38. & novam & quidem sanctiorem proponat juxta illud Davidis: *Dixi, nunc capi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Psal. 76. v. 11. Eam doctrinam ita explicat Gregorius 3. Pastoralis cap. 31. Admonendi sunt, inquit, qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas estimant culpas, quas etsi agendo non multiplicent, nullis tamen fletibus mundant; neque enim scriptor, si a scriptione cesseraverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripscerit delevit, & simili modo nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit. Isthæc omnia paucis concludit Augustinus. Nemo juxta ejus doctrinam eligit novam vitam, nisi quem veteris pœnitet. Ita Tom. 10. lib. 50. hom 50. veteris editionis. Prioris vitæ emendationem & posterioris inchoationem, ita expressit Paulus ad Eph. 4. exuite, inquit, veterem

TRACT. DE SACRAMENTIS. 79  
hominem, & induite novum. Ezechiel nos ad utrumque ita hortatur: *Projicite a vobis prævericationes vestras, & facite vobis cor novum* 18. v. 31. quæ duo si in pœnitentia non conjungantur, confessionis verba, inquit Gregorius, quid sunt aliud nisi folia. in caput 15. primi Regum super illud honora me: & Aug. de verbis Apost. cap. 30. non sufficit, inquit, ut *velis*, converti, sed *adjuvandus es*, ut *planè velis*, & impreas, quod *velis*, scilicet adjuvandus es ut peccata præterita deleas, & futura præcaveas.

CONSECTARIUM. III. Non sufficit detestatio, quæ etiam si feratur ad singula peccata mortalia, si sit tantum exterior, verbis ventilata, & solis inefficacibus promissis expressa; sed ea detestatio debet esse & interior, & pleno corde concepta, & factis obfirmata: de ea enim sic loquitur scriptura: *Furavi & statui custodire iudicia justitiae tue.* Psal. 118. v. 106. & rursus derelinquat *impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas*, & revertatur ad *dominum, & miserebitur ejus.* Isaï. 55. v. 7. Joel vero internam illam, & efficacem contritionem toto corde concipi vult, dum ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Joel 2. v. 12. illud autem propositum pleno corde conceptum non aliter innotescit, quam per novam vitam priori utique sanctiorem, quæ decernimus coaptare animum illis incommutabilibus luminibus virtutibus, quæ incorruptibili-

80 MORALIS CHRISTIANA.  
ter vivunt in ipsa veritate, ut docet Aug.  
lib.2.de lib.arb.6. cap.19. rursus juxta cum-  
dem Aug. nova vita, quæ à pœnitente  
exigitur, ea est quâ castitas impudicitia,  
liberalitas avaritiae succedit. Quando qui fu-  
rabatur, jam non furetur, quando omnis ser-  
mo malus ex ore nostro non procedit . . .  
quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat  
in animo, quod antea dulce fuit in vita. Jam  
tunc bene ingemiscis ad Dominum, & dicis:  
*Tibi soli peccavi.*

CONSECTARIUM IV. non sufficit dolor  
ille internus, et si universalis, si adeò in-  
firmus sit, ut non omnes peccandi occa-  
siones amputet; sed aliquas retineat, ut  
enim dolor in Sacramento sufficiat, de-  
bet includere propositum non peccandi de-  
cetero: Ergo & propositum abscindendi  
omnem occasionem peccandi; qui enim  
amat periculum in illo peribit: Et Christus  
jubet longè à nobis amovendas esse omnes  
peccandi occasions; si enim, inquit, oculus  
tuus scandalizat te, erue eum, & projice  
abs te. Tunc vero peccator pœnitens ve-  
rè censetur omnes peccandi occasions ab-  
sicere, quando ad singulas pertimescit;  
quando singulas studiose vitat; quando spe-  
rat non in propriis viribus se posse sub-  
sistere; sed in sola Dei gratia spem om-  
nem collocat; ubi non dicit superbe cum  
Petro: *Etiam si oportuerit me mori tecum*  
*non te negabo;* sed humiliter fatetur cum  
sapiente: *Scio, quia continens esse non pos-*  
*sum, nisi Deus dederit.*

CONSECTARIUM V. Non sufficit dolor

## TRACT. DE SACRAMENTIS. 8r

supernaturalis , universalis , internus , nisi sit supremus appetitiae , ut dicunt , id est nisi de gratia Dei perdita magis doleamus , quam de quacumque alia re creata perdita . De eo dolore ita loquitur scriptura Math . 10. v. 37. qui amat Patrem & matrem plus quam me , non est me dignus . Et Aug . in Epist . ad Galat pag . 39. edit . nov . quod amplius , inquit , nos delectat , secundum id operemur necesse est , v. g. occurrit formâ speciosâ fœmina , & movet ad delectationem fornicationis , sed si plus delectat pulchritudo illa intima , & sincera castitatis . . secundum hanc vivimus , secundum hanc operamur : Ergo si dolor , quo ad Sacramentum pœnitentiae accedimus , supremus deber est : oportet ut secundum illum operemur , & ex vi illius ab omni peccato retrahamur . Censetur autem dolor ille summus esse , non ex lacrimis , non ex affectiōnibus sensibilibus , sed ex quâdam cordis propensione , quâ delectamur in Deo , & magis placet omnibus rebus mundanis abrenuntiare , quâm divina præcepta infringere : Lacrimas autem facta & æquivoca esse signa veri doloris docet Petrus Blesensis de confessione pag . 524. nam , inquit , pœnitentia Caïn , fletus Esaï , & confessio Iude eis cesserunt in iudicium . Et postea eamdem materiam disertè percurrentes : Compassio , inquit , non semper sancta est ; plerumque enim contingit , quod fabulis auditis animus sine fructu ad compassionem moveatur : Sicut v. g. auditâ morte Christi aliqui lugent sine fructu , que

compateris Deo, inquit idem autor, compateris & Didoni; fieri enim etiam potest, ut absque lacrimis, & publicanus in Templō, & latro in cruce veram pœnitentiam egerint, quam Antiochus non egit, dum lamentaretur.

CONSECTARIUM VI. non sufficit dolor conceptus ex timore serviliter servili; eo enim timore ut ait Aug. Epist. 144. non timemus peccare, sed ardere; sed necessarius est timor filialis, quo Deum summè amabilem, & incipiamus amare, & timicamus offendere. Hoc autem passim indicat scriptura; nam Joan 14. v. 24. dicitur: quia non diligit me, sermones meos non servat: ergo qui non diligit, non dolet de peccatis sicuti oportet. Et 1. Joan 3. qui non diligit, manet in morte & 1. cor. ult. v. 22. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum, anathema sit. Unde Aug. Tract. 5. in Epist. Joan. ait: Sola dilectio discernit inter filios Dei, & filios diabolus; timor enim servilis hujusmodi est, inquit Aug. Conc. 25. in Psal. 118. Timor est, quo non amatur iustitia. sed timetur pæna; servilis est, quia carnalis est; & ideo non crucifigit carnem; vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc appetit in opere, quando speratur impunitas; cum vero pæna creditur secutura, latenter vivit; vivit tamen; mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat; quia non spiritualiter delectatur ejus bono. Eò tendit etiam illud axioma ejusdem doctoris: charitas inchoata inchoata iustitia est; charitas consummata consummata iustitia est. Aug. con-

cordat Magister sententiarum in 4. dist. 15. dicens: *quomodo ergo, inquit, qui crimen reservat, de alio reciperet veniam sine AMORE DEI*, sine quo nemo umquam gratiam invenit.

MONITUM Timor servilis, quo, ut loquitur Tid. a peccando abstinemus, non est peccatum; ut enim optimè ait D. Thomas. 2. 2. q. 19. a. 4 *Timor servilis secundum suam substantiam bonus est*, 1. *Quia dum timemus poenam, quæ nos separat a Deo, optamus uniti cum Deo.* 2. *quia ex illo timore ducti eligimus aliquid, quod est bonum ex objecto, scilicet abstinere a peccato.* 3. *Timor ille est donum Dei, supponit enim plerumque fidem, ut docet Aug.* sola autem *servilitas est mala*, quatenus efficit, quod non opereinur ex amore Dei; minimè verò timor servilis, qui est a Deo, & supponit fidem, ut late probat Augustinus sermone 19. de verbis Apost. cap. 9. *si timore gehennæ, inquit, non facis malum, est quidem in te fides, quâ credis futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tue, sed adhuc timeo malitia tuae.* Deus enim cor interrogat non manum. *Lupus venit ad ovile... non occidit, sed tamen Lupus reddit.* Innuuit his verbis timorem illum non immutare interius mentem peccatoris, sicut enim non mutatur lupus, cum timore perterritus ab ovili recedit, ita nec timore servili mutatur peccator; timor enim ille voluntatem peccandi non excludit, ut docet idem in Psal. 32. Enarratione 2. *qui enim, inquit, timendo non facit male*

34 MORALIS CHRISTIANA.  
mallet facere , si liceret ; itaque et si facu-  
tas non datur , voluntas , scilicet peccandi  
seu rea tenetur.

CONSECTARIUM. VI. non sufficit dolor  
qualiscumque , si ille dolor requiritur ,  
qui disponat ad justificationem in Sacra-  
mento obtainendam ; quocirca timor ille  
ex Tridentino Sess. 6. cap. 6. debet se-  
quentes actus includere.

1º. Fidem , quā peccatores se agnoscen-  
tes peccatores vitam veterem odio habeant  
& ad novam , & utique meliorem , &  
sanctiorem aspirent.

2º. Timorem , quo pœnitentes utiliter  
concussi , uti concussi fuerunt Ninivitæ , ac-  
tu cessent à peccato.

3º. Spem , quā excitati proponant sus-  
cipere Sacramentum , inchoare vitam no-  
vam , & servare præcepta Dei.

4º. Denique dilectionem , quā & de-  
testentur peccata , prout sunt offensa Dei ,  
& Deum tanquam omnis justitiæ fontem  
diligere incipient. Certam enim pœnitentiam  
non facit , nisi odium peccati , & amor Dei .  
Aug. Serm. 7. de temp. quippè sine illo  
amore initiali mens adhuc ad hæret peccato ,  
ut docet Leo magnus : Rationabilis ani-  
mus , qui sine dilectione esse non potest , aut Dei  
amator est aut mundi Serm. 4. de jejun. 7. mensis.

CONSECTARIUM VII. Quamvis contri-  
tio imperfecta , qualis describitur hīc à no-  
bis , extra Sacramentum ad justificationem  
perducere non valens , & ad impetrandam  
in ipso Sacramento justificationis gratiam  
disponens , verè juxta communiorē  
Theologo-

Theologorum sententiam sufficiat ad hoc Sacramentum, nec requiratur ea contritio perfecta, quæ hominem cum Deo reconciliat, priusquam hoc Sacramentum recipiatur, modo conjungatur cum voto Sacramenti, & cum proposito confessandi: hortandi tamen sunt populi, ut ad perfectam illam contritionem, quò frequentius poterunt, excitent, eamque à Deo, & precibus, & jejuniiis, & elemosynis enixe postulent; tum quia tutius est contritionem perfectam habere, quam contritionem imperfectam, & semper ad perfectiora enitendum sit, juxta illud pauli, *exemplum amini charismata meliora*: tum quia licet malum non sit cupiditatem gehennæ metu reprimere; docet enim Aug. de catechizandis rudibus cap. 17. eum esse verum Christianum, qui propter felicitatem eternam vult esse Christianus, et si gehennam metuat, qui autem, inquit, propter beatitudinem semi-  
eternam & perpetuam requiem, que post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem eternum cum Diabolo, sed in regnum eternum intret cum Christo, vere ipse Christianus est. tamen longè Deo gratius est solo Dei amore cupiditatem vincere, ejusque pravos motus amore virtutis, quam pœnæ fornicidine, refrænare. Etenim, ut passim docet August. *Tunc victa via depulanda sunt, cum Dei amore vincuntur*; sed vehementer nos consolari possunt hæc Aug. verba de verbis Apost. ser. 157. ubi sic habet: *fac vel time-*

86 MORALIS CHRISTIANA.  
re pœnæ , si non dum potes amore justitiae. Veniet domina , & servus abscedet : quia consummata charitas feras mittit timorem. Non enim acceperis spiritum servitutis iterum in timore. 1. ad. Rom. c. 8. v. 15.

## §. II.

### De Confessione Sacramentali.

Qualis debeat esse Confessio Sacramentalis ?

Confessio Sacramentalis definitur : Accusatio peccatorum Sacerdoti facta , ut eorum remissio virtute clavium obtineatur.

Propositio I. Confessio Sacramentalis ita debet esse sincera , & integra ut pœnitens clarè , & apertè manifestet Sacerdoti ea omnia peccata mortalia , easque circumstantias , quæ necessariæ sunt , ut Sacerdos & congruam Medicinam præbere , & æquum judicium ferre valeat.

Probatur , 1. Ex Trident. sess. 14. cap. 9. univerfa , inquit , Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino INTEGRAM peccatorum Confessionem , omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere : ergo Confessio Sacramentalis debet esse integra , &c.

2. Ratione. Sacerdos in Sacramento pœnitentiarum est judex ; & Medicus : ergo debent ei manifestari omnia crimina , de quibus debet judicium ferre ut judex , & omnia vulnera , quibus debet remedium adhibere ut Medicus. Nam , ut optimè do-

cet Concilium Trid. citando Hierony. Si erubescat ægrotus vulnus Medico detegere , quod ignorat , Medicina non curat. Et ut addit idem Concil. sess. 14. cap. 5. Constat Sacerdotes judicium hoc , incognitâ causâ , exercere non potuisse , neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse , si in genere dum taxat , & non potius in specie , ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ergo Confessio debet esse integra , &c.

*Consectaria bujus Doctrinæ.*

Consectarium I. Confitenda sunt omnia , & singula peccata mortalia quoad numerum certum , si haberi potest , vel saltem probabilem , si certus haberi non potest , addendo plus , minusve , vel explicando consuetudinem peccandi , tempus à quo sumus in tali prava consuetudine , & frequentiam in die , in mense , in anno , &c. ita Nectarii tempore mulier particularim Confessio dicitur. De hac obligatione ita Trid. sess. 14. cap. 5. Ex his , inquit , colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia , quorum post diligenter discussionem conscientiam habent , in Confessione recenseri , etiam si occultissima sint . Quæ non numquam animum gravius sauciant , & periculosiora sunt iis , quæ in manifesto admittuntur.

Sic peccat contra integritatem Confessionis , & contra veritatem pœnitens , qui mentitur Confessario circa ea , quæ tenetur confiteri. Mendacium certè in omni ma-

28 MORALIS CHRISTIANA.  
teria damnabile, sed in tribunalí pœnitentiæ sacrilegum est, atque execrabile. Et factio illi pœnitenti dici potest, quod dixit Petrus Ananiæ: *non es mentitus hominibus, sed Deo.* Si verò mentiatur circa ea, quæ non tenetut confiteri, peccat quidem contra veritatem, sed non contra integritatem Confessionis.

Consecrarium. II. Pœnitens tenetur confiteri peccata mortalia, non solum quoad numerum, sed etiam quoad circumstantias, quæ peccati speciem mutant; is enim semper fuit usus in Ecclesia; alia siquidem pœnitentia dabatur puellæ simplici peccanti, alia sacræ Virgini, alia adulteris, alia stupratoribus. Quænam autem sint peccata specie distincta diximus primo tomo, ubi de distinctione numerica, & specifica peccatorum. Quid autem circumstantiæ speciem mutantes sint confitendæ habemus ex Trid. ibid. Colligitur præterea, inquit, etiam eas circumstantias in Confessione explandas esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.

Consecrarium III. Pœnitens tenetur confiteri circumstantias notabilitè aggravantes, juxta omnes, quandò illæ circumstantiæ continent. 1. Gradum affinitatis in incestu. 2. Quantitatem furti, injuriæ, &c. quæ egent satisfactione. 3. Quando uno acu plures sunt occisi, vel infamati apud

plures. 4. Diurnitatem temporis; quia tunc solent plures actus exerceri qui degredi sunt. 5. Peccatum inter Confessarium, & pœnitentem. 6. Si circumstantia secum invehat censuram, vel reservationem, vel aliquid necessarium in bonum pœnitentis; quia tunc illæ circumstantiæ, licet solum aggravantes, æquivalent ut fatentur omnes, vel multiplicationi numericæ, vel multiplicationi specificæ.

Confectarium IV. Circumstantiæ peccatum intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, vel minuentes, etiam extra causas in superiori confessatio expositos, sunt necessario in Confessione explicandæ. Ita aperte docet Catechis. Trid. part. 2. de Confess. num. 48. Neque solum, inquit, peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, que unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent, vel minuunt... Que vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possent. Id manifeste evincit perpetuus Ecclesiæ usus; peccatum enim internum, & externum intra eamdem speciem non differt nisi penes circumstantias aggravantes; tamen peccata solum interna minus puniebantur quam externa. Peccata impudicitiæ interius solum commissa aliquâ pœnitentiâ puniebantur, ut docet Tertul. lib. de pœnit. cap. 3. Mulieres vero adulteras occulto etiam adulterio stare jubet sine Communione Basil. Epist. Can. Alia imponebatur pœnitentia his, qui cogitatione solum idolatriæ consenserant; alia sed gra-

90 MORALIS CHRISTIANA.  
vior, iis qui libellis se polluerant; alia, sed adhuc durior, his qui incensum idolis obtulerant, ut habes ex Cypr. lib. de Jap-  
fis. Quamvis hæc singula peccata ad ido-  
lolatriam pertinerent. Et meritò quidem  
observavit semper Ecclesia, ut circumstan-  
tiæ notabilitè aggravantes confessorio ape-  
rirentur; aliud enim feremus judicium,  
aliaque præscribemus pœnitentiæ remedia  
duobus hominibus, quorum unus raptim so-  
lùm peccato impudicitia interius consen-  
serit, aliis vero per integras horas prava  
incontinentia cogitata volens, & plenè con-  
scius evolverit; quorum unus præcipiti mo-  
tu hostem occiderit, & statim post occi-  
sionem inimici mortem doluerit; alter ve-  
ro mortem inimici diu meditatus cum clan-  
culum à tergo, & per insidias obtruncave-  
rit, & post occasionem non modò non do-  
leat, sed satiandæ ultionis desiderio pugio-  
ne iterum, atque iterum cōfodiat, sanguinem  
è vulnere scaturientem epotet; morien-  
ti non modò non succurrat, sed risu,  
& cachinnis insultet. Hæc quidem circum-  
stantiæ sunt omnino aperiendæ, ut patet.  
Itaque pœnitens debet confiteri circumstan-  
tias notabilitè aggravantes, vel minuen-  
tes, quas omnes ad sequentia capita redu-  
cemus.

I. Tenetur confiteri quantitatem tempo-  
ris, quo permanxit in committendo pecca-  
to, quandò hæc duratio excedit solitum  
pecandi modum, puta si per horam, per  
diem, cogitationem aliquam pravam animo  
evolverit.

TRACT. DE SACRAMENTIS.

2. Tenetur confiteri ad quot objecta se peccatum extenderit, v. g. vulnera inficta in occidendo inimico, homines occisos, nummos subreptos, &c.

3. Tenetur confiteri modum peccandi insigniter enormem, v. g. tenetur dicere vulneravi aperta vi, fraude, per insidias, &c.

4. Tenetur pariter confiteri circumstantias notabilitatem minuentes, non quidem motivo excusationis, sed motivo sinceritatis, ut se tales, qualis est, & medico, & judici suo patefaciat. Tenetur confiteri an peccatum commiserit, vel plena cognitione, vel ex ea ignorantia, quæ juxta Aug. non excusat à toto, sed à tanto; an ex metu mortis, an ex malitia.

5. Ergo ex eodem principio eruitur non teneri pœnitentem confiteri eas circumstantias, quæ leviter tantum vel augent, vel minuunt peccata. Sic v. g. qualitas personæ, nisi concurrat ad scandalum, non est Confessario aperienda. Lapsus est v. g. Episcopus, Abbas in occultum crimen luxurie, non est necesse, quod dicat se esse Episcopum vel Abbatem, sufficit quod dicat se esse vel Sacerdotem, vel Religiosum; hæc enim dignitas non insigniter auget peccatum occultum; bene tamen publicum. Item peccavit quis die festo peccato, quod tamen nec à Missâ audienda, nec ab aliis pietatis operibus die festo imperatis eum avocavit, non tenetur juxta Ludovicum Granatensem hanc circumstantiam diei festi explicare, quia non insigniter aggravat peccatum. Sunt tamen graves Theologi,

qui velint eam circumstantiam temporis sa-  
cri non minus aggravare , quām circum-  
stantiam loci faciū ; uti enim , inquit ,  
teneris confiteri te occidisse hominem  
*in loco sacro* , ita à te occisum esse tem-  
pore *sacro* ; quare crediderim ego quod in  
praxi bonum sit circumstantiam temporis  
sacri aperire , præcipue quando in causa  
est , quod diem festum non ea , quā de-  
cet , sanctitate duxerimus .

CONSECTARIUM V. quando pœnitens non  
potest aliter suum peccatum integrè decla-  
re , nisi manifestando personam compli-  
cem Confessario , potest , imò debet ,  
eam personam indirecte Confessario decla-  
re , præcipue si prævideat confessarium  
ea declaratione usurum in bonum ip-  
sius complicis . Talis videtur fuisse  
usus antiquæ Ecclesiæ Basil. Epif. 3.  
Can. 70. ait : *Qui unius cujusque prædic-  
itorum peccatorum fuit conscius , & non con-  
fessus , sed convictus est , tanto tempore pu-  
nietur , quanto & ipse malorum effector .* Eum  
usum viguisse in Ecclesia probat Aug. ex-  
pliicans istum locum Lev. 5. Si audierit vo-  
cem jurantis per falsos deos , nisi indicavit ,  
portabit iniuriam suam , & idem Aug. ho-  
mil. 49. sic habet : *omnino igitur moneo ,  
Ego jubeo , Episcopus jubet , Christus in me  
jubet . . . nolite viros vestros permettere for-  
nicari , interpellate contra illos Ecclesiam .*  
Id que videtur Christus indicasse dicens :  
si te non audierit , dic Ecclesiæ Math. 18.  
& Paulus 2. ad Thessal. 3. v. 14. si quis non  
obedit verbo nostro per Epistolam , hunc notate .

TRACT. DE SACRAMENTIS. 9

Re ipsa quomodo antiqui patochi , quibus  
solis fiebat confessio , potuissent incestus ,  
& peccata inter conjugatos secundum Ca-  
nones punire , nisi pœnitentes personas com-  
plices declarassent . Divus Thomas opusc.  
12. ostendit eam praxim esse etiam isto  
tempore observandam . Sic enim habet q.  
7. Si pœnitens speciem peccati exprimere nos-  
possit , nisi exprimendo personam , cum qua  
peccavit , putà si cum sorore concubuit , ne-  
cessè est ut exprimendo peccati speciem , ex-  
primat personam . Sed si fieri potest , debet  
quærere talem confessorem , qui personam foro-  
ris penitus non cognoscat . Idem habet Div.  
Bonav. in sent. dist. 22. q. 3. & Div.  
Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 2. ratio  
etiam suffragatur ; pœnitens enim est ac-  
cusator , & testis contra se ipsum : ergo si-  
cūt accusator & testis possunt contra reum ,  
eiusque complices agere , pœnitens potest  
contra se ipsum , & complices agere ,  
præcipue cum talis declaratio inserviat  
pœnitenti ad integratam confessionis , &  
complici non noceat , quin imò ad ejus  
conversionem inservire possit , nec diffam-  
atoria sit cum non fiat animo ipsum deni-  
grandi , sed potius animo eum ad Deum con-  
vertendi , demum cum facta confessario ,  
censeatur facta Deo , non homini .

CONSECTARIUM VI. Confitenda sunt pec-  
cata mortalia dubia , ut dubia ; quippe  
ex Trident Sess. 14 cap. 5. & Can. 7.  
confitenda sunt oninia peccata mortalia ,  
quorum conscientia habetur , sic enim lo-  
quitur , oportet , inquit , à pœnitentibus

omnia peccata, mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent in confessione recenseri: atque verè habetur conscientia peccati dubii, ut dubii: ergo debet manifestari, ut dubium, & si quando locum habeat hæc regula: in dubiis taurior pars est amplectenda, maximè in iis circumstantiis, ubi de obtainenda absolutionis gratia agitur.

CONSECTARIUM VII. Ad integritatem confessionis prærequititur diligens examen pro capacitate pœnitentis, pro temporis mora, & cæteris circumstantiis; quia Trid. postulat diligentem sui discussionem: Ergo exigit in examinanda conscientia eam diligentiam, qualem vir prudens in negotiis arduis solet adhibere. Itaque pœnitens ad discutiendam conscientiam se ab omni sæculari negotio semoveat; gratiam à Deo enixè postuler quā occulros cordis recessus valeat introspicere, istas aut similes preces effundat: *Domine ut videam illumina tenebras meas. &c.* postea verò percurrat præcepta decalogi, & Ecclesiæ, & officia singula suæ conditionis, videat qne in quo, cogitatione, verbo, opere, exemplo, consilio, omissione &c. peccaverit; & singula peccata, aut memoriæ infigat, aut cartæ inscribat. Sed præcipue interius dileat, imitetur que Ezechiam de peracta vita interius gementem: *recogitabo tibi*, inquit, *annos meos in amaritudine animæ meæ*. Postea verò confessario aperiat sincere, & peccatorum, quibus inficitur, originem & occasiones, & relapsus, & consuetudinem;

Hec enim omnia mirè ad conversionem sinceram inseruiunt, & ad integritatem confessionis conducunt.

CONSECTARIUM VIII. Si quis aliquod peccatum mortale, vel aliquam circumstantiam variantem specificè, aut notabiliter aggravantem confiteri omiserit, vel sponte, & data operâ, vel ex negligentiâ magnâ, tunc in utroque casu committitur sacrilegium; & iteranda est confessio, minimè verò si id fiat involuntariè, aut ex modica negligentia. Ita casus illos determinat Catechis. Trid. 2. p. de conf. num. 49. & 50. adeò, inquit, ad confessionem necessarium est, ut *integra* sit, & *absoluta*, ut si quis dedita opera, alia quidem ex his, quæ explicari debent, prætermittat; alia verò tantum modo confiteatur... is novo scelere se obstringit, confessionem repetere est necessè, si adeo remissè conscientiam nostram scrutati simus...ut ne ea quidem recordari voluisse merito videri possimus; id enim si factum fuerit, confessionem iterare omnino oportebit.

At vero si alia de causa confessioni aliquid defuisse videatur, vel quia pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conscientiæ latebras non ita accurate perquisierit, cum tamen illud in animo haberet, ut integrè omnia peccata confiteatur, nihil opus erit ei confessionem iterare.

CONSECTARIUM IX. non peccatur contra integritatem confessionis, quando peccata mortalia olim rite declarata, quamvis conscientiam remordeant, denuò non de-

claramus, nec etiam quando peccata venialia numquam declarata non subjicimus clavibus Ecclesiae; quia non ea fuit praxis Ecclesiae, ut fideles obstringeret peccata mortalia saepius declarare deinde si peccata haec mortalia cum debitis dispositiobibus fuerint in Sacramento pœnitentie detecta, meritò censentur remissia.

De peccatis vero venialibus sic sapienter nos admonet Trid. sess. 14. cap. 5, *venialia peccata, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod priorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remedii expiari possunt.* Et circa hoc diversa fuit Ecclesiae praxis. Hieronymus peccata venialia expiari volebat voluntariâ, & simul humili sacræ Eucharistie abstinentiâ. Sic enim habet: *Quando iratus fuero, & aliquid malum in animo meo cogitavero & me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas martyrum intrare non audeo. Insuper damnat perversitatem judicii eorum, qui cum post usum Matrimonii Basilicas intrare non auderent, domi tamen Eucharistiam percipere non verebantur.* Chrysostomus, & liber de imitatione Christi lib. 4. cap. 4, *peccata venialia expiari suadent confessio ne facta Deo.* Aug. de fide & oper. *peccata venialia remitti docet confessione facta hominibus.* Emendamur, inquit, cum lapsus nostros iis, qui nobis sapientiores sunt, detegimus humiliter. Secundum præsentem

sentem Ecclesiæ praxim peccata venialia expiantur orationis dominicæ recitatione, aquæ benedictæ aspersione, vel Sacramentali vel generali confessione, Eucharistiae devota sumptione. Ea omnia habes cap. *omnis utriusque* 12. & can. *de quotidianis* 20. de pœnitent. dist. 3. & can. *aquam* 20. de consec. dist. 3.

Expiantur insuper jejunii & eleemosinis. Can. *Medicina* 76. & can. *quamobtem* 68. de pœnitent. dist. 1.

Remittuntur etiam peccata venialia pectoris percussione, Episcopali benedictione. can. *tres sunt*. 81. de pœnitent. dist. 1. can. *dicitum* 96. 1. q. 1.

**Propositio. II.** Non est semper necesse, quod confessio sit *integra Materialiter*; sed sufficit, quod sit *integra formaliter*.

Explicatur confessio est *integra Materialiter*, quando dicuntur sacerdoti omnia & singula peccata, nullumque omnino peccatum mortale omittitur. Tunc confessio est *integra formaliter*, quando dicuntur omnia peccata, quæ possunt & debent dici; omittuntur vero ea mortalia, quæ vel non possunt, vel non debent declarari, quia eorum declaratio, vel est *impossibilis*, vel est graviter nocitura. Propositio sic explicata.

Probatur. Tunc confessio non debet esse *integra Materialiter*, ut aiunt, quando vel est *impossibilis*, vel est *nocitura*; quia Deus numquam *impossibilia jubet*; & quia in Sacramento pœnitentiæ non jubet, nisi quod est in bonum nostrum, cum Sacra-

98 MORALIS CHRISTIANA.  
menta sint, non in damnationem, sed in  
salutem: Ergo confessio non debet esse in-  
tegra materialiter, quando vel est impossi-  
bilis, vel est nocitura.

*Consectaria hujus doctrinæ.*

CONSECTARIUM I. Quotiescumque con-  
fessionis integritas erit impossibilis, vel  
ex parte pœnitentis, vel ex parte confes-  
sarii, totiès sufficiet confessio eorum pec-  
catorum, quæ fieri poterit, & impenden-  
da erit absolutio omnium peccatorum;  
manebit tamen obligatio confitendi pecca-  
tum illud, quod tunc declaratum non  
sunt. Primo sufficiet confessio, quæ fieri po-  
terit; quia ad impossibile nemo tenetur.  
Tamen manebit obligatio confitendi pec-  
catorum non declaratum, integritas enim  
confessionis est de jure divino: ergo cum  
occurret occasio, erit observanda: idem  
damnata est sequens propositio ab Alexand.  
7. *Peccata in confessione omissa, seu obli-  
ta ab infans periculum vitæ, aut ob aliam  
causam non tenemur in sequenti confessione  
exprimere.*

Sic si pœnitens nequeat peccata sua  
confiteri, ob defectum memorie, quo fit  
ut inculpabiliter non recordetur peccata  
commessa; ob defectum vocis, vel scrip-  
tionis, vel nutuum, quo fit, ut v. g.  
Iapsus in apoplexiā loqui non valeat, det-  
amen, aut dederit signa pœnitentiae; ob  
defectum temporis, quo fit ut non valeat

Omnia peccata commissa percurrere, putà si sit in præsenti naufragio, in proximo incendio, in urgente cum hostibus confitu: in his, & similibus casibus poterit absolvi, etiam si singula peccata non integrè confiteatur.

Sic si Confessarius prævideatur moritus, aliumque Confessarium adire nequeas, potes petere absolutionem ante peractam integrè Confessionem.

Consecrarium II. quotiescumque Confessio alicujus peccati certò prævidetur graviter nocitura, vel pœnitenti, vel Confessario, vel alicui tertio, totiès poterit omitti, si alius Confessarius adiri nequeat; & posteà datâ primâ occasione peccatum prudentè occultatum declarandum erit; quia Deus non censetur velle obligare ad Confessionem peccati; cuius declaratio nocitura est.

Sic si sit periculum moraliter certum, quod Confessarius abusurus sit Confessione, vel non observando sigillum, vel utendo Confessione ad sollicitandum pœnitentem ad peccatum, vel quod usurus sit eadē Confessione ad diffamandum pœnitentem, vel complices illius peccati, quod auditurus est in Confessione, poterit prudentè tunc ea peccata pœnitens in specie non declarare.... Talia tamen pericula non sunt facile fingenda, sed oportet de his clam, & evidentem, moralem tamen convictionem habere. Ita Gonetus, tractatu de Sacramentis. Natalis Alexander de sacram pœnitent. Reg. 7.

700 MORALIS CHRISTIANA.

Propositio III. Ut confessio peccatorum sit utilis, non solùm debet esse integra, sed insuper cum cordis compunctione conjuncta.

Probatur 1. Scripturā *A mortuo*, scilicet per affectum peccati, *quasi qui non sit*, perit *Confessio*. Eccles. 17. v. 26. ergo ut utilis sit *Confessio* debet fieri ab eo, qui optet à peccato recedere, quivę sit extra affectum peccati.

2. Ex Patrib. 1. Aug. ita eos arguit, qui sine ullo dolore confitentur. *Multi*, inquit, serm. 7. de temp. *Affidæ se dicunt esse peccatores*; & tamen illos adhuc delectat peccare. *Professio est, non emendatio, accusatur anima, non sanatur: pronunciatur offensa, non tollitur: pænitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* & Gregor magnus lib. 16. in lib. 1. Reg. cap. 2. sic habet. *Signum verae conversionis non est in oris Confessione, sed in afflictione pænitentiae... In fructu ergo, non in foliis, aut ramis pænitentia cognoscenda est.*

3. Ut *Confessio* peccatorum sit fructuosa debet esse dispositio ad gratiam obtinendam; ergo debet cum cordis compunctione conjungi.

*Consecaria hujus Doctrinæ.*

Consecarium I. Ut *Confessio* peccatorum nostrorum inserviat ad justificationem in Sacramento obtinendam, non sufficit, quod fiat soli Deo, qualis fuit *Confessio Davidis* dicentis: *dixi, confitebor adversum*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 301  
me iniquitatem meam, & rursus: tibi soli peccavi. Non sufficit, quod fiat homini tanquam amico, ut ab eo solatium accipiamus, vel fiat homini tanquam Doctori, ut ab eo Consilium accipiamus, sed debet fieri Sacerdoti tanquam Patri, tanquam medico, tanquam judici, ut correptionem à Patre, remedium à medico, absolutionem à judice accipiamus.

Consecutarium II. Ut confessio facta Sacerdoti tanquam Patri, tanquam medico, tanquam judici, sit salutis, non debet esse narratio mere Historica, sed debet cum sequentibus conditionibus conjungi.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,  
Atque frequens, nuda, & discreta, vera,  
verecunda  
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,  
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

*Simplex* excludit admixtionem peccati ab alio commisso. *humilis* excludit superbiam mentis aut verborum. *pura* excludit omnem perversam intentionem. *fidelis* excludit quamcumque fictionem, & falsitatem. *frequens* excludit negligentiam, quam saepius confitendo vincimus. *nuda* excludit multiplicatem, & obscuritatem verborum. *discreta* excludit imprudentiam, quia omnia peccata ut aequalia habentur. *lubens* excludit coactionem. *verecunda* excludit jactantiam de peccato. *integra* excludit reticen-

102 MORALIS CHRISTIANA  
tiam ejus peccati aut circumstantiæ dicendæ. *Secreta* vetat publicitatem, quæ scandalum pareret. *lacrymabilis* vetat complacentiam in peccato. *accelerata* vetat dilationem confitendi. *fortis* excludit reporem & pigritiam. *accusans* prohibet adhiberi excusationes in peccatis. *obediens* includit propositum exequendi pœnitentiam injunctam.

### §. III.

*Quæm necessaria sit satisfactio peccatoribus post Baptismum lapsis, & qualis debeat esse illa satisfactio.*

Nota quod satisfactio definitur : studium placandi Deum offensum exhibendo ei voluntariam sui castigationem.

Propositio I. Sacerdos tenetur præscribere, & penitens tenetur acceptare satisfactiones salutares, & pro modo culpæ congruas.

Probatur i. Ex Trid. sess. 14. cap. 3. debent ergo, inquit Synodus, Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesterit, pro qualitate criminis, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentiis cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorū participes efficiantur: ergo si Sacerdotes debeant salutares satisfactiones imponere, pœnitentes tenentur eas subire; quando enim duo connectantur, ut re vera conjunguntur pœnitentia.

TRACT. DE SACRAMENTIS. 103  
impositio, & ejus acceptatio, cum Deus  
præcipit unum, præcipit & aliud.

2. Ex Patribus. Primi quidem Cyprianus ad calcem libri de lapis ita habet : *Quam magna deliquimus, tam granditer deseamus. Alto vulneri diligens, & longa Medicina non desit. Pœnitentia criminis minor non sit.* Aug. in Psal. 44. sic loquitur : *Omnis iniustitia parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante... Proorsus aut punis, aut puniat, vis non puniat, puni tu ergo.*

3. Inductione. Nulla est iniustitia, quæ omnino impunita relinquatur a Deo, non quidem quod Deus ea pœna delectetur ; sed ut naturalis æquitas observetur. Sic in damnatis punitur peccatum non voluntariæ satisfactione, sed involuntario cruciatu, scilicet summi boni amissione : *hoc enim adepto inquit Aug. beata est anima, quo amissio misera est* lib. 12. de civ. c. 4. *sicutus est enim homo malo dignus aeterno, qui hoc in se peremisit bonum, quod posset esse aeternum.* De civ. 21. c. 12. In eo enim sita est damnatio, ut perverfa damnatorum voluntas sit invita subdita Deo per dolorem, quæ volens noluit subesse Deo per amorem. *Quid enim, inquit Bernardus tam pœnale quam semper velle, quod nunquam erit : etenim quod vult damnatus, in aeternum non obtinebit, & quod non vult, in aeternum subfiniebit.* lib. 5. de consid. c. 12. Item punitur peccatum in Purgatorio, non meritoria satisfactione, sed purgante satis-passione : non meritoria satisfactione, quia animæ in Purgatorio non sunt in statu

viæ, ut possint mereri; sed in eo statu sunt, ut possint à maculis, quibus non plenè purgatæ sunt, emundari: itaque si peccatum in inferno, in purgatorio puniatur: ergo in peccatoribus relapsis, sed pœnitentibus debet puniri peccatum per satisfactiones, & à sacerdotibus impositas, & voluntariè acceptatas à pœnitentibus.

4º. Ratione. Confessarius debet salutares satisfactiones imponere, & pœnitens debet eas acceptare, si ita exigat ordo à Christo in Ecclesia statutus, quia nefas est quemquam à tali ordine se subducere: atqui ita est, ut patet sequenti inductione: ergo & confessarij tenetur salutares satisfactiones imponere & pœnitens tenetur eas acceptare. Hoc autem ita exigit,

I. Natura ipsius conversionis, quæ satisfactionem in pœnitente exigit. Fuit quidem, inquit Trid. pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam subsequendam necessaria.... unde Propheta ait: convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Sess. 14. cap. 1. non est autem vera pœnitentia, quam non subsequentur fructus digni pœnitentiæ, juxta illud, facite fructus dignos pœnitentiæ.

II. Divina justitia, ut docet Trid. sess. 14. cap. 8. sane, inquit, divina justitia ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 165

ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto spiritus sancti dono, scientes Templum Dei violaverint, & spiritum sanctum contristare non formidaverint. Baptizatis itaque nulla imponitur satisfactio, quâ plectantur crimina prioris vitæ; quippe vetus vita in Christo sepelitur, novaque fit creatura, Christi sanguine aspersa & quasi Christi vestimentis induta, omnique ex parte gratiis, & donis spiritus sancti decorata.

III. Hanc satisfactionem exigit divina Clementia. *Divinam clementiam decet, inquit Conc. ibid. ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumeliosi spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.*

IV. Eas satisfactiones postulat ea quæ debet esse nostri cum Christo conformitas. accedit, inquit Conc. ibidem, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit; ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque hinc arribam habentes, quod si compatimur, & glorificabimur.

V. Eam satisfactionem præscribit sanctus, & perenniter observatus Ecclesiasticae disciplinæ vigor. de quo ita Trid. ibid. neque vero, inquit, securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Deo pænam, quam ut hæc pænitentia opera homines cum vero an-

186 MORALIS CHRISTIANA.  
*mi dolore frequentent ; ea de causa statuti  
in prioribus Ecclesiæ sæculis Canones pœ-  
nitentiales , & à sancto Carolo Borromæo  
Collecti , ut nuperis istis temporibus , &  
confessariis , & pœnitentibus essent obvii,  
ut isti eam , quam præscribunt , pœnitentia  
formam æmularentur : illi vero , quan-  
tum patitur sæculorum perversitas , non a-  
liam in præscribendis satisfactionibus re-  
gulam sibi proponerent imitandam.*

VI. Ad eas pœnitentias salutares invitit  
nos nostra ipsorum utilitas ; utiles enim  
sunt ejus-modi satisfactiones , primò his ,  
qui nondum reconciliati sunt ad impe-  
trandum ex congruo peccatorum remissio-  
nem , atque ad redimendam pœnam æter-  
nam , juxta illud Danielis 4. *peccata tua  
eleemosinis redime , & juxta illud Ambr.  
fletuque culpa solvitur.* Secundò utiles  
sunt his , qui sunt jam justificati , ut do-  
cet Trident. ibid. his verbis : *procul du-  
bio enim magnopere à peccato revocant , &  
quasi fræno quodam coereent hæ satisfac-  
toriæ pœnae , cautoresque & vigilantes in  
futurum pœnitentes efficiunt ; medentur quo-  
què peccatorum reliquis , & vitiros habitus  
male vivendo comparatos contrariis virtutum  
actionibus tollunt.*

*consectaria hujus doctrinæ.*

*Quā docetur confessarium debere imponere  
salutares satisfactiones.*

CONSECTARIUM I. peccat sacerdos ,  
qui vel ex malitia , vel ex inscitia , vel

TRACT. DE SACRAMENTIS. 107  
ex negligentia, velex timore mundano sa-  
lutares non præscribit pœnitentibus suis  
satisfactiones. Ex malitiâ quidem, ut facie-  
bant Scribæ, & Pharisæi, qui inutilibus  
cæremoniis, & traditionibus populum  
occupatum detinebant, & à præceptis ne-  
cessariò observandis avertebant, ut eis  
exprobat Christus Math. 23. v. 23. *væ*  
*vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui*  
*decimatis mentham, & anethum, & cymimum &*  
*reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium,*  
*misericordiam, & fidem; hæc oportuit facere,*  
*illa non omittere.*

Ex inscitia verò, uti faciunt illi, qui  
ignorantes antiquam, & præsentem Ec-  
clesiæ disciplinam circa Canonicas satisfa-  
ctiones, putant sui Juris esse prolibito pœ-  
nitentiam imponere; cum tamen in hoc  
non privatum lumen, sed lumen Ecclesiæ  
Consulendum sit. *Quod si civilium cau-*  
*sarum judicibus dicitur: eruditini quæ*  
*judicatis terram; à fortiori spiritualibus*  
*judicibus, dicitur: Scrutamini leges Ec-*  
*clesiæ, qui in tribunali pœnitentiæ judicatis.*

Ex timore mundano, uti faciunt  
illi, qui iis pœnitentibus, à quibus  
vel aliquid boni sperant, vel aliquid mali  
metuunt, perniciösimè adblandiuntur, qui-  
bus aptè convenit illud scripturæ: *Noli*  
*querere fieri iudex, nisi virtute valeas irrum-*  
*pere iniquitates Eccl. 7. 6.*

Ex negligentia, uti faciunt illi, qui  
pertæsi ejus laboris, qui in remittendis,  
& revocandis səpiùs iisdem pœnitentibus  
reperitur, malunt præcipiti absolitione sol-

108 MORALIS CHRISTIANA.  
vere pœnitentem, quām eum salutifera  
satisfactione ligare. Quos quidem à tam  
præcipiti judicio deterrere debet illud scrip-  
turæ: *Sanguinem ejus de manu tua requi-  
ram.* Quippe ut optimè monet Cypri. lib.  
dè lapsis: *cum peccatori adulámur, non eri-  
gitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis  
impellitur ad ruinam;* & Epist. 4. *non est  
pax illa, sed bellum; persecutio hæc alia &  
alia tentatio.*

CONSECTARIUM II. peccat sacerdos, qui  
sue causa, quæ à Deo probanda sit, pro  
gravibus peccatis leves imponit pœnitentias. Sciat se sibi & pœnitenti graviter no-  
cere: sibi quidem, quia juxtâ Trident.  
*Si indulgentius cum pœnitentibus agat,* alienorū peccatorum particeps efficitur: pœni-  
tenti verò, quia, ut ait Amb. in Psal.  
118. *facilitas veniae incenitivum tribuit delin-  
quenti.* Et juxta Greg. tunc vera est abso-  
lutio sacerdotis, *cum interni sequitur arbitrium judicis.* Molliori enim hac indulgen-  
tiâ datur opera, inquit Cypr. lib. de lap-  
sis, *ne satisfactionibus, ac lamentationibus jus-  
tis delicta redimantur, ne vulnera lacrimis  
abluantur.*

CONSECTARIUM III. peccat sacerdos,  
qui vel ex Zelo, qui non est secundūm  
scientiam, vel ex defectu attentionis ad  
singula incongruas præscribit satisfactiones,  
v. g. Eleemosinam mendicanti, jejunia  
ægrotanti, &c. cum ē contra juxta pruden-  
tiam Avaris esset præscribenda eleemosina,  
maceratio corporalis incontinentibus, su-  
perbis oratio, singulis verò ardens, & hu-  
milis

TRACT. DE SACRAMENTIS. 109  
mis in Christum fiducia.

CONSECTARIUM IV. peccat sacerdos qui impositam ab alio confessario pœnitentiam, & facultati pœnitentis & peccatis convenientem, & futuris peccatis evitandis aptam, sine rationali causa immutat; pœnitentia enim præteritum peccatum puniens, & futurum impediens est de jure naturæ: ergo immutari non potest, nisi Superiori aliqua ratione hæc eadem mutatio pœnitenti magis profutura videatur; utque confessarius prudenter in tam difficiili materia se gerat, legat Cypr. lib. de lapsis.

CONSECTARIUM V. peccat sacerdos, qui pœnitentias etiam imprudenter injunctas, modò pœnitenti spiritualiter non sint nocituaræ, immutat non auditis in confessione Sacramentali his peccatis, quibus hæc pœnitentia imprudenter injuncta est; confessarius enim non potest injunctam pœnitentiam pœnitenti non nocitaram, nisi per modum judicii immutare, non potest autem illud judicium exercere, nisi audito pœnitente in sacro tribunali, ad quod pœnitens potest accedere, non viæ quidem appellationis; quia omnes confessarii sunt æquales, cum sint ejusdem Christi Ministri, sed viæ novi judicii: Cum enim tribunal pœnitentiæ sit in favorem rei sece accusantis, potest diversis se judicibus sistere, & ejus iudicio acquiescere, qui utilius pro ætetna animæ salute judicaverit.

CONSECTARIUM VI. sacerdos non debet leviter pœnitentes audire, qui petunt in-

Tome VII.

K

XIO MORALIS CHRISTIANA.  
junctas sibi à primò confessario pœnitentias immutare , nisi eas aperte videat saluti pœnitentium nocituras. De quo ita Carolus Borromeus in actis Eccles. Mediol. patt. 4. qui sine causa , inquit , confessores mutant , arguendi sunt , nec ad confessionem facile hic admittatur , qui ab aliis confessoribus passus repulsam fuerit , ne quod alius aut ædificaverit , aut ædificare nitebatur , destruatur.

*Consectaria hujus doctrine.*

*Quā docetur pœnitentem teneri acceptare salutares satisfactiones*

CONSECTARIUM I. peccat pœnitens , qui pertinaciter renuit subire convenientes , & salutares satisfactiones , quamvis aliunde naturæ ejus corruptæ gravès videantur. Debet enim alte animo infigere , quod quamvis pœnitentia sit tribunal misericordiæ , est tamen tribunal justitiæ , in quo oportet & Deo veniam misericorditer indulgenti gratias agere , & Deo justè aliquam reparationem exigenti pro viribus satisfactionem exhibere. Duplicem hanc veritatem docet Aug. in Psal. 50. explicans illa verba : *Ecce enim veritatem dilexisti ubi sic loquitur : veritatem dilexisti ; ideo impunita peccata etiam eorum , quibus ignoscis , non reliquisti. Sic misericordiam prorogasti , ut servares & veritatem. Ignoscis confitenti ; ignoscis quidem sed se ipsum punienti. Ita seruatur misericordia , & veritas ; misericordia ; quia homo liberatur : veritas ; quia*

TRACT. DE SACRAMENTIS. III  
peccatum punitur.

CONSECTARIUM. II. peccaret pœnitens, qui injunctam à sacerdote pœnitentiam nollet per se sed tantum per alium exequi, vel eam in Purgatorio adimplendam remitteret: tum quia sicut ipse peccati illecebras percepit, ita & ejus debet experiri amaritudinem, juxta illud scripturæ dictum peccatori: *Et tu porta peccatum tuum: tum etiam quia Aug. jam jam citatus dicit, quod Deus ignoscit peccatori se ipsum punienti, & non sibi ab blandienti: tum de-* *mum cum peccator rei personam in tribunali pœnitentiæ sustineat, ejus est obedi-* *re sacerdoti, & non præcipere, ejus est obsequi Joanni dicenti: facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Nec penes eum est satis-* *factionem datam, & acceptatam in Purga-* *torio adimplendam remittere: Satisfactio* *enim acceptata est de præcepto, mandata* *autem in hac vita, & non in altera adim-* *plenda sunt. Insuper hæc satisfactio pars* *est integralis Sacramenti: Ergo non licet* *pœnitenti eam pro libito in altera vita* *adimplendam remittere, denique praxis Ec-* *clesiæ semper fuit neminem ad commu-* *nionem admittere, qui sacerdoti obe-* *diens non fuisset, & alienum de se judi-* *cium non expectaret ut loquitur Cyp. Epis. 26.*

CONSECTARIUM III peccat pœnitens, qui pœnitentiam injunctam, & acceptatam non diligenter exequitur, sed eam vel differt, vel minuit, vel in aliam etiam rigidiorem immutat propriâ autoritate: Ejus enim est obedire sacerdoti, &

312 M<sup>A</sup>R<sup>I</sup>ALIS C<sup>H</sup>RI<sup>S</sup>T<sup>I</sup>ANA.  
subire vices rei, & non judicis: Eas enim  
satisfactiones, quas contra voluntatem sa-  
cerdotis, superbo potius quam pœnitentia-  
ti animo subimus, rejicit Deus, ut patet  
ex Isaï 58. v. 3. *Quare jejunavimus & non  
aspexisti: Ecce in diebus jejunii vestri inveni-  
tur voluntas vestra; melior est enim apud  
Deum obedientia, quam victimæ.*

CONSECTARIUM IV. Si pœnitens pœnitentia-  
tiam injunctam oblitus fuerit, debet eundem  
adire Sacerdotem, si possit, ut ab eo  
addiscat pœnitentiam injunctam, si confes-  
sor impositæ pœnitentiæ non recorderur,  
oblivionem illam ut pote culpabilem sub-  
jiciat pœnitens judicio Sacerdotis, immo si  
ita judicaverit Sacerdos pœnitens suam ite-  
ret Confessionem. docet autem Antoninus tit.  
14. c. 18. §. 19. id necessarium esse, sic e-  
nīm loquitur: si ejus, id est pœnitentiæ,  
obitus fuerit, pœnitens tenetur iterum confi-  
teri.

CONSECTARIUM V. Peccat pœnitens, si  
impositam à Sacerdote pœnitentiam exce-  
dentem, quod raro contingit, sed quod fortè  
posset contingere; si pœnitens confitere-  
tur solum peccata venialia, vel mortalia o-  
lim declarata: peccat, inquam, si pœnitentia-  
tiam injunctam, & acceptatam non exequatur  
etsi excedentem. De hoc ita D. Thom.  
quodlib. 5. q. 13. si Sacerdos, inquit, im-  
ponat majorem pœnitentiam, quam pœnitens  
facere teneatur pensata remissione, que facta  
est per vim clavium, & contritionem præce-  
dentem nihilominus pœnitens tenetur facere,  
quod sibi injunctum est, si adsit facultas.

CONSECTARIUM VI. Si Sacerdos incongruam injungat pœnitentiam , & præteritis peccatis parum conformem , & futuris præcavendis non satis idoneam, debet pœnitens sibi aliquas satisfactiones imponere. ita docet D. Thom. ibidem. peccator , inquit , est debitor alicujus satisfactionis dupliciter : uno modo ex injunctione Sacerdotis ; alio modo ex peccato commisso : unde si contingat quod Sacerdos minorem imponat satisfactionem pœnitenti ; quam sit illa , ad quam alligatur ex quantitate sui peccati , substracto eod , quod remittitur virtute clavium , & contritionis praecedentis , nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur ; quod si in hac vita non perficiat , in purgatorio exsolvet.

Ut autem aliquam nobis efformemus ideam ejus , quam à nobis Deus exigit satisfactionem , non aliam consulamus regulam , quam Canones pœnitentiales , quibus haud dubie Deus voluit nos instruere ejus pœnitentia & satisfactionis , quæ in hac mortali vita majestatem ejus offensam placare possumus. Ideò sit.

Propositio II. Non eadem semper fuit in Ecclesia in imponendis salutaribus satisfactionibus disciplina, sed diversa juxta diversas temporum rationes , & circumstantias.

Hæc propositio non aliter probari potest , quam per quædam monita , quibus historicè percurremus lapsa à Christo usque ad nos diversa sæcula.

MONITUM I. Quadruplex fuit in Ecclesiæ genus pœnitentia , scilicet pœnitentia peccatorum mortalium , pœnitentia pec-

Pœnitentia peccatorum mortalium siebat vulgo separatione ab Eucharistia ; Patres enim, ut videre est, apud Aug. olim inter homil. 50. hom. 27. nunc serm. 352. triplicem tantum pœnitentiam agnovere, unam ante Baptismum peccatorum quorumlibet ; alteram post Baptismum, eamque quotidianam peccatorum scilicet venialium; tertiam similiter post Baptismum, sed mortalium delictorum. Porro de hac tertia pœnitentia loquens Aug. alias hom. 27. jam serm. 352. de pœnitent. ultrò ait : *est pœnitentia gravior, atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes remoti etiam à Sacramentis altaris participandis, ne accipiendo indignè, judicium manducent, & bibant.* Ideò consciī peccatorum mortaliū se ab Eucharistiæ participatione separabant. Quocirca dicit Cœsarius hom. 8. *ultra nos ipsos, inquit, à communione Ecclesiæ removentes.* Vel id siebat judicio Sacerdotum, ut docet Leo Epis. 91. *Mediator, inquit, Dei & hominum Jēsus Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per Januam reconciliationis admitterent.* Quod adeò commune, & vulgare erat in Ecclesia, ut quibuscumque pœnitentibus extra mortis articulu non impenderetur absolutio, nisi perfecta vel in toto, vel ex parte satisfactione; ut late probat Morinus.

## TRACT. DE SACRAMENTIS. 115

Et pœnitentibus in lecto decumbentibus absolutio impenderetur, eo tamen onere, quod si convalescerent, in ordinem pœnitentium amandarentur, ut docet Conc. Arausic. I. c. 3. quod si supervixerint, stent, inquit, in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentia fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipient.

MONITUM II. Pœnitentia peccatorum venialium siebat raro per confessionem Sacramentalem, sed per varia pietatis exercitia. 1. Per orationis Dominicæ recitationem, & per pectoris tensionem, ut docet Aug. hom. 19. ex libro quinquaginta homiliarum, ubi vocat lavacrum quotidianum, Quod peccatum tundimus, & dicimus in oratione Domino nostro, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 2. Per confessionem factam Laico, ut docet Beda, quotidiana, inquit, leviaque peccata alterutrum coequalibus confiteamur in hæc verba Jacobi: *confitemini alterutrum.* 3. Demum variis aliis remediis, ut dicit Trid. sess. 14. cap. 5. venalia peccata quamquam rectè, & utiliter, citra omnem præsumptionem in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.

MONITUM. III. pœnitentia publica ea est, quæ publicè fit; solemnis vero ea est, quæ cum solemnitate ab Episcopo injungebatur vulgo initio quadragesimæ; inde remansit ceremonia cinerum, qui capitibus imponuntur. A Christo usque ad tertium saeculum non præscripta erat pœni-

tentia ratio, sed pœnitentibus manus imponebant sacerdotes, salutares satisfactiones injungebant, quibus peractis pœnitentes reconciliabantur. Hujus satisfactionis exemplum habemus in Corinthio incestuoso, quem Paulus tradidit Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, i. ad Cor. 5. habemus & alterum exemplum in juvene illo latrone homicida, quem Joannes suaviter ad pœnitentiam allexit.

Tertio sœculo in oriente pœnitentes in quatuor stationes divisi sunt, ut docet Greg. Thaumaturgus Can. ult. suæ Epist.

Primus Gradus dicebatur FLETUS, secundus AUDITIO, tertius SUBSTRATIO, quartus CONSISTENTIA.

In primò stationis Gradu flentes erant extra Ecclesiam veste lugubri induiti, cinere aspersi caput, & cilicio induiti. In hac statione nulla manuum impositione aut speciali oratione perfruebantur. Hoc eis solum licitum erat, scilicet ut præ foribus templi cum fletu preces, & vota fidelium exposcerent.

In secundo stationis gradu Audientes erant in porticu interiori Ecclesiæ, & nulla eis concessa manuum impositione una cum Catechumenis audiebant lectionem, & expositionem scripturæ, quæ absoluta abiabant cum Catechumenis.

In tertio stationis gradu substrati erant in Ecclesia eo in loco, qui à porticu ad ambonem usque extendebatur, in quo Epistola, & Evangelium legebatur, oratio fiebat, verbum Dei annuntiabatur, ad quæ

omnia substrati admittebantur, iisque substratis, & humiliatis manus imponebantur, & super ipsos orationes fundebantur.

In quarto stationis gradu consistentes erant in Ecclesia eo in loco, qui ab ambo ad sanctuarium usque extendebatur, ibi missæ sacrificio assistebant, publicis precibus intererant, sine jure tamen oblationis offerendæ, nec Eucharistiæ percipiendæ. Post gradus illos juxta præscriptum tempus transactos sequebatur participatio mysteriorum, interdum tamen pœnitentes à gradu flentium ad substrationem absque media auditione perveniebant, Episcopis ob servorem pœnitentiæ rigorem illum relaxantibus. Totum illud legitur in Historia Ecclesiastica, sed concisè habes expressum in Conc. Ancyrl. Can. 4. placuit eos, inquit, inter audientes uno anno constitui, tribus autem alijs substrerni ac supplices esse, soli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad perfectionem accedere.

Octavo sœculo pœnitentia publica aliam formam suscepit; Theodorus enim Cantuariensis circa an. 680. usum pœnitentiæ redimendæ introduxit, indeque trium quadragesimarum usus in Ecclesia invaluit. postea Urbanus an 1095. indulgentias dedit, & relaxabit pœnitentias Canonicas euntibus ad bellum sacrum ad recuperandam Jerusalem, vel ad hoc milites alentibus, cœpitque tunc absolutio ante peractam pœnitentiam impendi, quæ tamen non nisi impleta satisfactione impen-

218 MORALIS CHRISTIANA.  
denda erat ex Conc. Tolet 3. hinc natus est  
indulgentiarum usus.

MONITUM IV. pœnitentia secreta ea est,  
quæ secreto imponebatur, hi, quibus pœ-  
nitentia secreta imponebatur, erant inter  
consistentes, & domi diversis austерitati-  
bus peccata sua castigabant; ea impone-  
batur secretis delictis, imo & publicis,  
his scilicet peccatoribus, qui semel pœni-  
tentiam solemnem subierant; bis enim non  
imponebatur pœnitentia solemnis in Ec-  
clesia.

Propositio III. quantumvis diversa fue-  
rit Ecclesiæ in imponendis satisfactoriis  
operibus disciplina, ea nunc esse debet  
sacerdotum praxis, ut eas satisfactiones  
imponant, quæ & præterita peccata pu-  
niant, & futuris medeantur, & scanda-  
lum datum Ecclesiæ, damnumve illatum  
proximo reparent.

Probatur 1. scriptura. *Facite ergo, in-  
quit Joannes, fructus dignos pœnitentie.*  
Math. 3. v. 8. ergo satisfactio debet esse  
peccatis conveniens.

2<sup>o</sup>. Ex Patribus inter quos Cyprianus  
lib. de lapsis sic loquitur: *Pœnitentia cri-  
mine minor non sit.* Et Hieronimus Epist.  
1. ad Susan. *Necessaria est pœnitentia, que  
aut æquet crimina, aut certè excedat.* Er-  
go satisfactio imposta à sacerdotibus de-  
bet esse commissis peccatis conveniens.

3<sup>o</sup>. Ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 8.  
ubi hæc leguntur: *Habeant autem, inquit,  
confessarii præ oculis, ut satisfactio, quam  
imponunt, non sit tantum ad novæ vite*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 119  
oustdiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteriorum peccatorum vindictam, & castigationem: Nam claves sacerdotum non ad solvendum dum taxat, sed & ad ligandum concessas; etiam antiqui Patres & credunt, & docent. Ergo ex Concil. satisfactio imposta debet esse, 1<sup>o</sup>. Novæ vitæ custodia, 2. futuri lapsus cautio, 3<sup>o</sup>. utriusque tam præteriti, quam futuri peccati remedium, & demum præteriti peccati vindicta, quæ includit reparationem damni, & scandali, si quod intervenerit.

4<sup>o</sup>. Ratione. Talis debet esse etiam nunc satisfactio, qualis jure naturæ exigitur; jus enim naturæ est immotum neque per varium Ecclesiasticæ disciplinæ usum variari potest. Atqui jure naturæ exigitur, ut satisfactio pro peccatis puniat peccata præterita, impedit futura; cum satisfactio sit solutio peccati præteriti, & medela futuri, & quod scandalum datum Ecclesiæ, & damnum illatum proximo reparet; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui potest: Ergo satisfactio etiam nunc talis debet esse, ut præterita peccata puniat, futuris medeat; scandalum datum Ecclesiæ damnumve illatum proximo tparetur. Cui doctrinæ concordat Aug. Epist. 54. olim nunc 153. nihil aliud agit quem veraciter pœnitent, nisi ut id, quod mali fecerit impunitum esse non sinat eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum, justumque judicium nullus contemptor evadet.

## Consectariā hujus doctrinæ.

CONSECTARIUM I. primà satisfactio, quæ imponenda est pœnitenti est aliqua vivendi ratio, quâ novum vitæ genus, quod pœnitendo inchoavit, diu & perseveranter custodire valeat. De quo Paul. ad coloss. 3. v. 9. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* Exponique debet pœnitenti, quid juxta phrasim Pauli significant hæc verba: *mori peccato... vivere justitiae.... habere spiritum Christi..., conversari digne Evangelio Christi: &c.*

Hæc ergo nova vita interdicit, primò usum eorum omnium, quibus Deum infeliciter offendimus: *hæc est enim*, inquit Aug. *justissima pœna*, ut amittat quisque, *quo benè uti noluit.* 3. de lib. arb. cap. 18. hinc est, quod Adam figura pœnitentium de Paradiſo, quo abusus fuerat, ejectus est, ut sciamus nos sponte nobis metiپsis debere ea interdicere, quibus nimium adhærentes in Deum peccavimus. Hinc est etiam, quod Ecclesia Clericos in peccatum lapsos ab usu officii deponeret: Interdicit secundò usum etiam eorum, quibus sponte privati Deum justè iratum placare possumus. *Qui enim illicitorum veniam postulat, oportet ut à multis etiam licitis abstineat*, v. g. ab usu conjugii, à militia, à negotiatione &c. Leo Epis. 29. Tertio hæc nova vita exigit, ut pœnitens, quantum in ipso est, tantum pro Deo impendar.

pendat, quantum pro saculo terrenorum bonorum consumpsit, tantumque pro aeterna salute labore, quantum pro temporali felicitate curarum impendit, v. g. tantum temporis impendat orationi, quantum consumpsit voluptati; tot expendat opes in eleemosinis, quot in ludis, in comedisiis, aliisque vanis rebus insumpserat. Demum tantus sit in maceranda carne, quantum in deliciis fuit. De quo ita Paulus ad Rom. 6. v. 19. humanum, inquit, dico, propter infirmitatem carnis vestrae: sicut enim exhibuisti membra vestra servire immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.

CONSECTARIUM II. Altera, quæ imponi debet homini peccatori pœnitentia, est satisfactio vindex peccati præteriti; de fide enim est, ut habetur in Trid. sess. 14. can. 13. quod pœnitentia non sit tantum nova vita: *Si quis dixerit, inquit, optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.* Puniat ergo peccator vitam suam præteritam oportet, vel flagellis, quæ veniant à Deo, vel quæ ab ipso sponte suscipiantur, vel quæ ei à confessariò injungantur, tribus enim illis modis Deo satisfacere possumus. Docet præterea sancta Synodus, inquiunt patres Trid. tantam esse divinæ munificentiae largitatem, ut non solum pœnis à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis pa-

122 MORALIS CHRISTIANA.  
pienter toleratis, apud Deum patrem per Iesum Christum satisfacere valeamus. sess. 14.  
cap. 9.

Quando infliguntur à Deo flagella temporalia, v. g. paupertas, morbi &c. tunc dicendum cum Michea 7. v. 9. *Iram domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, video justitiam ejus.* Et cum Paulo: *cum judicamur, à domino corripimur, ut non cùm hoc mundo damnamur.* Ideò docet Basil. Reg. 55. bonum esse hujusmodi mala temporalia multo conatu uon' avertere.

Quandó sponte nobis met - ipsis voluntarias satisfactiones imponimus, cas humiliter subeuntes speremus id quod promisit Paul. 1. ad Corint. 11. v. 31. *si nos met ipsis dijudicaremus, non utique judicaretur.*

Quando verò injunguntur à sacerdote satisfactiones, audenter sperare possumus pœnas illas humiliter toleratas in locum substitui eorum pœnarum, quas Deus nobis justo judicio destinavit: judicium enim sacerdotum est divini judicii vicarium, ut passim docet Tertullianus.

CONSECTARIUM III. Tertia satisfactio, quæ pœnitenti imponenda est, debet esse medicinalis; adhibenda enim sunt, ut docet Gregor. medicamenta contraria peccatis. Cœlestis medicus, inquit, singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte Medicinae Calida frigidis, frigida calidis curantur; ita Dominus noster con-

traria opposuit medicamenta peccatis; ut, lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem. Hom. 32. in Evang. Ergo ad exemplum supremi illius medici injungenda est blasphemis oratio non solum sero, & manè coram tota familia sed etiam certo alio tempore fundenda ut eā internā mentis & externā corporis subjectione Deum cunctis rebus superiorem agnoscant, & scandalum, quod intulerunt familiæ, reparent. Ad exemplum Pauli, qui ut ipse ait ante conversionem suam *blasphemus fuit, persecutor & contumeliosus* 1. ad Tim. 1. v. 13. sed hæc omnia ejuravit, & multis in Christum obsequiis compensavit. Eisdem injungi debent silentium, quotiēs non urget loquendi necessitas, tolerantia detractionum & maledictorum. Cujus duplicitis exercitii exemplum dedit David pœnitens: *posui*, inquit, *oratio custodiam & rursus: in me psallebant, qui bibebant vinum, ego autem orabam.* Eisdem injungi possunt exteriora quædam humilitatis exercitia, putè frequens genuflexio, deosculatio terræ, & humiliis erga Deum in eo statu prostratio, ad exemplum illustrium pœnitentium, qui in Ecclesia prostrati orabant, vel ad exemplum Publicani dicentis: *propitius esto mihi peccatori.*

Sic his, qui mysteria fidei ignorant, injungendum, ut unā cum iis, qui curæ eorum subsunt, Catechismis intersint, ad exemplum Cornelii, qui unā cum famulis suis avidè audire cupiebat à Petro verbum Dei: *bunc ergo, inquit, omnes in conspectu tuo ad-*

124 MORALIS CHRISTIANA.  
sumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta  
sunt à Domino. act. 10. v. 33.

Sic iis, qui Sabbata, & festos dies vio-  
lant, si quid servile illis diebus fecerint, in-  
jungi potest, ut ea, quæ opere isto lucra-  
ti sunt, & aliquid amplius pauperibus ero-  
gent, ad exemplum Israëlitarum, qui in  
poenam violati Sabbatij hæc habent lib. 2.  
Esth. cap. 10. v. 32. Et statuemus super nos pre-  
cepta, ut demus tertiam partem sicut per annum  
ad opus domus Dei nostri.

Sic ii qui Missæ adesse neglexerunt, ju-  
beantur interesse omni officio Ecclesiæ, v.g.  
Missæ Parochiali, vesperis, completorio,  
prædicationi, & aliis piis operibus, & exer-  
citiis, quæ in conventu Ecclesiastico fiunt,  
ad exemplum fidelium Troadis, qui liben-  
tes audiebant verbum Dei, & conventui  
Christianorum assistebant, quamvis Paulus  
sermonem protraheret usque ad medium no-  
ctem act. 20. v. 1

Sic luxuriosis injungi potest abstinencia à  
carnibus, à vino, & præcipi poterit dormi-  
tio super ligna, disciplina, cilicum, soli-  
tudo, & labor corporalis; ut docet Cly-  
macus gradu 26. num. 27.

Sic ebriosis aqua pura in potum præci-  
pienda erit: nolite, inquit Apostolus, ine-  
briari vino, in quo est luxuria. Modicum  
tantum vinum erit permittendum, jejunia  
injungenda, & interdicenda convivia.

Sic usurariis, & latronibus præter alie-  
ni restitutionem imperanda est proprii boni  
largitio. Ita Luc, 19. Zachæus ait: Ecce di-  
midium bonorum meorum do pauperibus, & si

quem fraudavi, reddo quod uultum.

sic iis, qui animo inter se offenso sunt, præter reconciliationem, quæ absolutionem semper præcedere debet, præcipi potest oratio certis diebus pro inimicorum conversione, effusa, & specialis ad Deum postulatio, qui deprecentur, ut bene sit inimicis suis, & in spiritualibus, & temporalibus. Paulus enim vult Christianos pro Regibus orationes fundere etiam eo tempore, quo Reges Ecclesiam persequabantur.

CONSEC TARIUM IV. Quarta, quæ imponi potest pro futuro peccato Medicinalis pœnitentia, est fuga occasionum, sive per se, sive per accidens pellicentium ad peccatum, & eradicatio pravorum habituum inclinantium ad actus vitiosos. De utroque isto casu agemus infra, ubi de differenda absolutione, sed interim abstre non erit hic & justos & peccatores pœnitentes recensere, qui à peccandi occasionibus longissime recesserunt, ut corum exempla Sacerdotes pœnitentibus proponant, & isti eorum exemplo cautiores evadant. Sic Adam primus peccator, & primus pœnitens e paradiſo, ubi peccaverat, ejicitur. Sic Abraham vocatus à Deo de terra sua, & de cognatione sua, ubi facile in idolatriam labi potuisset, et si justus jubetur egredi. Sic Loth. ab impiis Sodomitis, qui cum potuissent pervertere quasi invitus ab angelis eripitur. Sic Agar, & Ismaël ab innocentे Isaac, cum quo Ismaël non Sancte se gerbat, separtantur. Sic Jacob profanum Esau, qui idololatras uxores duxerat, ne cum imitetur, fu-

gere cogitur. Habet in Moysè, in Sansone; & demum in integra Judaica gente, quām necessarium sit ad tuendam innocentiam, tollere omnino vel minimum commercium cum iis, qui possunt nos ad peccatum pellicere. Moyses ab aula Pharaonis egreditur, & magis eligit affligi cum populo Dei, quam temporalis delicti habere jucunditatem. Sanson vi Nazareatus obligatus vīnum non bibere, non modò à vīno, & sicera abstinet, sed à vineis etiam, ubi erant racemi, longè recedit. Tota gens judaica inhibetur matrimonia cum gentilibus contrahere, ne inquit scriptura tali societate corrumperentur: *Non ingrediemini*, ait, *ad eas neque de illis ingredientur ad vestras*: certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum. Quod patet exemplo Salomonis, de quo ita textus sacer. *His itaque copulatus est Salomon ardētissimo amore.* 3. Reg.

Nec minorem in novo testamento adhibuerunt cautionem, quotquot verè conversi sunt peccatores; parem, imò majorem in fugiendis periculis occasionibus ityenes diligentiam. Petrus piscator ad punctionem rediit; quia ea ars nihil habebat periculi, sed Mathæus ad Telonium, ubi occasio peccandi occurrit, non resedit. Petrus interrogatus ab ancilla Christum negat, ubi à Christo respicitur, egreditur foras, & avertit amarè. Magdelena ut cognovit sculli vanitatem, eam impigre deserit. Paulus, qui tanto zelo Judaismum tuitus fuerat, post conversionem deserit Mosaicam legem, quām acriter impugnat. Gentiles conversi

quo zelo libros idololatriæ in ignem conjunct, ne eorum lectione pervertantur. Paganis quot delubra, quot statuas, quot idola, quot demum artis fusoriarum, & architecturæ miracula destruxerunt, ut nullum super esset idololatriæ vestigium, quo ad pravam & antiquam vivendi consuetudinem infelicitè redirent, quod coluerant, combusserunt, & quod combusserant, converunt Sacerdotes. Idem pœnitentibus suis injungant.

CONSECTARSI M V. quinta, quæ imponi debet pœnitentibus satisfactio, est scandali, si quod ortum sit ex peccato, reparatio. De quo ita Trident. sess. 24. cap. 8. de refor. Apostolns, inquit, monet publice peccantes palam esse corripiendos; quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicam injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, sitæ emendationis testimonio ad relam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentie genit in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Ex quo facile intelligi potest confessarium non debere autoritate sua publicam imponere pœnitentiam, sed necessum esse, ut in hujus modi casibus Episcopum consulat, & ab eo, quid sit opus factio, addiscat: ut & Ecclesia quæ scandalum passa est, salutari satisfactione ædificetur, & ut pœnitens, qui publicè lapsus, est, vehementiori quam pars est tristitia non absorbeatur.

128 MORALIS CHRISTIANA  
Cæterum peccatum publicum illudest, non quod vago populi rumore ventilatur: rumor enim populi tam facti, quam veritatem est; sed illud peccatum censetur verè publicum, quod, vel evidentia facti, vel confessione publica ipsius rei, vel convictione, seu quando ipse ut reus declaratus est in iudicio sacerdoti, vel Ecclesiastico. Quando autem peccatum publicum est, vel uno ex illis tribus modis, tum juxta Episcopi directionem satisfactione publica injungenda est; si vero solo populi rumore divulgetur privatim nonendus est peccator, ut scandalo itemedium afferat. Si ex sola privata confessione crimen sit notum, debet denegari Sacramentalis absolutionis; Eucharistia vero, & alia Sacra menta si publice petantur, non debent negari, bene tamen, si petantur privatim.

CONSECTARIUM VI. Peccatoribus, qui aliquod intulerunt damnum proximo, vel in vita, vel in honore, vel in bonis fortunæ, injungenda est restitutio, quæ regulariter loquendo prius facienda est quam absolvantur. Quod circa ita confessarios præmonet Catech. Trident de satisfactione. 79. nemo, inquit, absolvendus est, nisi prius, quæ cuius que fuerint, restituere pollicetur. At promittant quoniam multi sunt quibus & si prolixè, se officios sati facturo, tamen certum est, ac deliberatum numquam missa ex solvere, omnino bi cogendi sunt ut restituant; sæpeque iltud Apostoli ei inculcandum, ut qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Si autem non possit sta-

TRACT. DE SACRAMENTIS, 129.

tim fieri restitutio, si nullum sit diffamatio-  
nis periculum, peti potest relaxatio debiti,  
vel dilatio solutionis ab eo, cui debetur. Ita  
Thom. D. 2. q. 6. 2. a. 8. & Aug. epist. 124. inter-  
rim tamen sive rē contritus sit, potest absolvi

CONSECTARIUM VII. Injungen-  
dum est pœnitenti ut Sacrificio missæ fre-  
quenter inter sit, ut saltem quolibet die,  
si commodè possit, cum magna cotdis com-  
punctione, & longè remotus ab altari, fiat  
huic tremendo Sacrificio præsens, & hu-  
miler, & confidenter cum publicano di-  
cat; proprius esto mihi peccatori: offertur enim  
missæ Sacrificium pro fidelium vivorum pecca-  
tis, pœnis, & satisfactionibus. Trident. sess.  
22. cap. 2. utile esset, si commodè fieri  
posset, præsente pœnitente offerri Sacrifi-  
cium pro eo, sicut olim solitum erat, ut  
per Sanguinem Christi; inquit Ambros. fiat re-  
missio peccatorum, 2. de pœnit. cap. 3. &  
Robertus Pullus, par. 7. cap. 17. sic habet:  
Regeneratione autem peracta, sicut post  
confessionem, oblatio solet fieri Deo, ut  
bene cœpta perficiantur. Hujusmodi autem  
debent fieri à fidelibus, non tamen à Sa-  
cerdotibus extorqueri. . . . quid enim est  
missarum solemnia cum intuitu tempora-  
lis commodi celebrare, nisi cum Iudea  
Christum vendere, Quonodo audienda sit  
Missa, diximus, ubi de præceptis Ecclesiæ.

CONSECTARIUM VIII. Injung-  
endum est pœnitenti, ut quantum in ipso  
est, piis operibus nitatur Deo offendit  
satisfacere, sed in sufficientiæ propriæ con-  
cius ad indulgentias ab Ecclesia misericor-

diter concessas fidens, & devotus recurrat. Eā enim indulgentiā usus est Paulus erga Corinthium incestuosum. 2. ad. Corint. 2. non quod dignus sit, inquit Chrys. hom. 4. in 2. Corint. neque quod sufficien-tem exhibuerit pœnitentiam, sed quod insir-mus sit. Eā utebantur antiqui Episcopi er-ga pœnitentes, vel infirmos, vel in pœnitendo, & satisfaciendo ardenterores, ut docet Conc. Ancyrt. ubi cap. 5. determinatur, quod Episcopus humanius agens se-cundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breviare, aut etiam preclixius, quod cor-rectioni necessarium viderit, addere possit. Eādem usi sunt gratiā sumimi Pontifices erga eos, qui pro recuperanda Jerusalem mili-tiæ nomen suum dederant. Quantumcum-que autem frequens sit modò in Ecclesia indulgentiarum usus, Clemens 7. docet quodde hujus thesauri consumptione seu minu-tione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo quod, quando plures ex ejus applicatione tra-buntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Sed hoītandi sunt dunitaxat fideles, ut piè, & salubri-ter utantur tam benigno ad miniculo, quo Deo satisfaciant. Quod quidem fructuose facient, si instruantur à Sacerdote, qua paecto utendum sit indulgentiis, non quidem opera satisfactoria, & pœnalia omittendo, sed ea ardentiū amplectendo: non enim dantur indulgentiæ; ut disciplina Ecclesiasti-ca enervetur, ut loquitur Trident. sess. 25. cap. 5. Sed ut fideles fiant ad serviens-

dum Deo alacriores , dum vident suam ad satisfaciendum Deo offenso in sufficientiam , tam copioso thesauro adjuvari , imò aliquando omnino suppleri ; ut enim docet D. Thoma tantum valent indulgentiæ , quantum sonant , cum ad hibentur tequisita . Ad applicandum , inquit , indulgentiarum thesaurum , requiritur autoritas conferentis , & charitas suscipientis , & causæ pietas , quibus tribus concurrentibus indulgentiæ tantum valent , quantum prædicantur , in 4. dist. 20.

CONSECTARIUM IX. Injungi possunt pœnitenti non modò opera pœnalia indebita , sed etiam debita , qualis est diligens observantia præceptorum Dei , & Ecclesiæ , & officiorum ejus conditionis , in qua vivit pœnitens ; videmus enim Paulum eam præcipue Corinthiis & Ephesiis præscribere vivendi rationem , ut in eo vitæ statu , in quo vocati sunt , fideles permaneant . Unus quisque , inquit , in qua vocatione vocatus , est in ea permaneat , servus vocatus es ; non sit tibi curæ ; sed et si potes fieri liber , magis utere ad tuam sanctificationem , & peccatorum satisfactionem ex abjectio- nis statu I. ad Corinth. 7. v. 20. Et ad Ephesiros sic habet : obsecro itaque vos ergo vincitus in domino , ut dignè ambuletis vocatione , qua vocati estis cum omni humiliare . & mansuetudine , cum patientia , supportantes invicem in charitate . Ad Ephe. 4. v. i. Quæ quidem mirè adsatisfaciendum Deo pro peccatis inservire possunt . Quem certè satisfaciendi modum Ecclesia non improbat , quin imò ut à Sacerdote imponatur

132 MORALIS CHRISTIANA  
desiderat , dum in precibus quæ in absolu-  
tione ad hibentur , hæc adjungit : *Quid*  
*quid boni feceris , & mali sustinueris , fit tibi*  
*in remissionem peccatorum.* Hæ sunt præci-  
puæ satisfactiones , quæ peccatoribus im-  
poni debent , sed cavendum imprimis , ne  
multitudine , & diversitate oneretur pœni-  
tentis memoria. Seligenda sunt à piuden-  
te confessario , quæ ad salutem pœnitentis  
judicabuntur magis necessaria ; sed in pri-  
mis quod in sequenti consecratio dicturi  
sumus menti pœnitentis erit infigendum.

C O N S E C T A R I U M X . Præcipua ,  
semperque insinuanda pœnitentium menti-  
bus sattsfactio , est humilis erga Deum sub-  
jectio , quâ interius sentiant se nihil posse  
sine gratia , quam proinde enixè postulent  
necessum est. de hoc ita Aug. Ad peccan-  
dum namque non ad juvamur à Deo , justa nu-  
tem agere , vel justitiae præceptum omni ex par-  
te ad implere non possumus , nisi adjuvemur à  
Deo. Sicuti enim corporis oculus non adjuva-  
tur à luce , ut ab eadem luce clausus aversus  
que discedat , ut autem videat adjuvatur ab  
ea , neque hoc omnino , nisi illâ adjuvetur ,  
potest : ita Deus , qui lux est hominis interio-  
ris , adjuvat nostræ mentis obtutum , ut non  
secundum nostram , sed secundum ejus justitiam  
boni aliquid operemur. Si autem ab illo aver-  
timur , nostrum est : & tunc secundum car-  
nem sapimus , tunc conupiscentia carnis ad il-  
licita consentimus. Conversos ergo Deus ad-  
juvat , aversos deserit : sed etiam , ut conver-  
tamur , ipse adjuvat ; quod certe oculis corpo-  
ris lux ista non præstat. Cum ergo nobis jubet  
dicens ;

dicens : convertimini ad me , & ego con-  
vertar ad vos ; nosque illi dicimus , converte  
nos Deus sanitatum nostrarum , & Deus virtu-  
tum converte nos : quid aliud dicimus , quām  
da quod jubes ? cum jubet dicendo : intelligite  
ergo , qui insipientes estis in populo ; & nos  
illi dicimus ; da mihi intellectum , ut discam  
mandata tua ; quid aliud dicimus : quām ,  
da quod jubes jubet ? cum dicendo : post con-  
cupiscentias tuas ne eas ; nosque dicimus ,  
nemo potest esse continens , nisi Deus  
det ; quid aliud dicimus , quām , da quod ju-  
bes . Cum jubet dicendo , facite justitiam ;  
nosque dicimus : doce me justificationes tuas ,  
quid aliud dicimus , quām , da quod jubes . De  
peccat meritis & remiss. lib. 2. cap. 5.  
Cum ergo Sacerdos aliqua/ injungit pœ-  
nitenti , instruat , quantum potest , ut gra-  
tiam à Deo enixe precibus postuler , lacri-  
mis obsecret , gemitibus exoptet , clem-  
emosinis , & jejuniis consequatur . Et ipse-  
met Sacerdos eum in tam urgenti necessi-  
tate non deserat , sed ad exemplum Pauli  
Christo supremo pastori pœnitentes , quos  
dirigit , commendet .

#### §. IV. De Absolutione.

*A quibus , & quibus impendi debet  
absolutio .*

Nota . Potes tas conferendi Sacramentum  
pœnitentiæ est duplex ; potestas ordinis ,  
& potestas jurisdictionis . Potestas ordinis  
nihil aliud est , quām character sacerdotalis .

334 MORALIS CHRISTIANA.  
cum modo extentionis ad Corpus Christi  
mysticum , seu ad fideles, *in quos hæc potes-*  
*tas exerceatur.* Potestas jurisdictionis , est au-  
toritas , quam habet Sacerdos in alios fide-  
les sibi subditos , quos potest absolvere  
à peccatis. Potestas jurisdictionis , est du-  
plex , ordinaria , & delegata. Potestas  
jurisdictionis ordinaria est ea quæ habetur  
*ex vi beneficii* , cui annexa est cura ani-  
marum. Talis est potestas Papæ in tota  
Ecclesia , potestas Episcopi in tota sua Diœ-  
cesi , potestas Parochi in sua parochia , po-  
testas Abbatis in sua Abbatia , potestas Su-  
perioris Religiosi in suo Monasterio , po-  
testas Patriarchæ , vel Archiepiscopi in suo  
Patriarchatu , & Archiepiscopatu , tempo-  
re visitationis , vel in casu appellationis  
ad ipsum. Potestas jurisdictionis delegata est  
autoritas , quam quis habet ex delegatione  
legitimi Superioris , v. g. Potestas quam  
habet Legatus à Papa , Sacerdos ab Episco-  
po , vel ab ejus Vicario Generali , vel a  
Capitulo , Sede vacante.

*Approbatio* non est collatio jurisdictionis ,  
sed deputatio personæ ad audiendas con-  
fessiones. Reservatio est denegatio jurisdic-  
tionis circa aliquod peccatum , quod sibi  
Superior reservat judicandum.

Propositio I. Solus Episcopus , vel Sa-  
cerdos habens jurisdictionem , vel ordi-  
nariam , vel delegatam potest validè ab-  
solvere à peccatis , & nullus aliis sive lai-  
cus , sive Clericus , sive sœularis , sive re-  
gularis ; in quacunque dignitate sit consti-  
tutus , potest validè absolvere à peccatis.

Probatur 1<sup>o</sup>. Scripturā. Hæc verba , quorum remisēritis peccata ; & hæc verba , quodcunque solveris super terram , dicta sunt solis Apostolis , & Discipulis Domini , & eorum successoribus : ergo soli Episcopi , soli Sacerdotes habentes jurisdictionem ordinariam , vel delegatam possunt absolvere à peccatis ; quia illi soli repræsentant Apostolos , vel Discipulos Domini.

2<sup>o</sup>. Expatribus. Chrysostomus de Sacerdotio . cap . 5. ait: quod Sacerdotibus data est potestas , que neque Angelis , neque Archangelis , neque Principibus terræ data est ; quia illis non est dictum ; quorum remisēritis peccata . Divus Ambrosius de pœnitentia . cap . 2. ait : jus hoc , scilicet absolvendi , solis permisum est Sacerdotibus . Et Leo primus Epistola . 91. ait : indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri . Ergo soli Episcopi & Sacerdotes habentes jurisdictionem ordinariam , vel delegatam possunt absolvere .

3<sup>o</sup>. Ex Conciliis. Concilium Trident. sess. 14. cap. 6. sic habet ; declarat sancta Synodus , falsas esse , & à veritate Evangelii penitus alienas Doctrinas omnes , quæ ad alios quosvis homines , præter Episcopos , & Sacerdotes , clavum ministerium perniciofissimè extendunt . Ideò damnata est hæc VViceli propositio : omnes siveles , etiam Laici habent claves ad ligandum , & solvendum : ergo soli Episcopi , vel Sacerdotes habentes jurisdictionem ordinariam , vel delegatam possunt absolyere à peccatis .

4<sup>o</sup>. Ratione judicium non exerceatur in-

136 MORALIS CHRISTIANA.  
discriminatim ab omnibus membris reipu-  
blicæ, sed solum à judicibus, qui in alios  
potestatem exerceant, iisque jus dicant,  
seu leges imponant. ut patet in omni Re-  
publica bene ordinata: aliás omnia con-  
sunderentur, & nulla esset distinctio inter  
eos, qui judicant, & qui judicandi sunt;  
atqui soli Episcopi, & Sacerdotes haben-  
tes jurisdictionem ordinariam, vel delega-  
tam sunt judices in Ecclesia; quia illis so-  
lis in persona Apostolorum, & Discipulo-  
rum dictum est, *quorum remiseritis peccata*,  
&c. ergo illi soli possunt validè ablolvere à  
peccatis.

Et sicuti olim, ut habetur Lev. 13. Sacerdotes,  
qui erant in ministerio, distinguebant inter  
lepram, & lepram, eamque mundabant, ha-  
nunc soli Sacerdotes, qui habent jurisdic-  
tionem, vel ordinariam, vel delegatam, pos-  
sunt validè judicare de lepra interiori, seu  
de peccato, & nos ab ea lepra mundare.

### Consectaria bujus doctrinæ.

CONSECTARIUM I. nullus Laicus, quan-  
tacumque dignitate fulgeat, doctrinæ pol-  
leat, sanctitate ornetur, absolutionem Sa-  
cramentalem potest validè impendere. Epis-  
copo enim soli, vel sacerdoti in persona  
Petri dictum est: *Quodcumque solveris su-  
per terram, erit sicutum ei in Cælis.* Hæc  
autem verba: *dic Ecclesiæ*, Si de Epis-  
copis, sacerdotibus, & Laicis conjunctim  
dicta intelligantur, ut volunt quidam Pa-  
tres, ita interpretanda sunt, ut Laici re-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 137.  
mittant peccata per orationem; Episcopi  
verò, & sacerdotes per absolutionem ju-  
dicalem, ut exponunt Patres suprà ci-  
tati.

Quòd si Laïci aliquandò absolutionem  
dediti legantur, eisque facta sit confessio,  
ut multis probat Gratianus de consecra-  
tione distinc. 4. Can. 36. & de pœnitentia  
Can. quem pœnitet, ea confessio, ea-  
que absolutio non fuit *Sacramentum*, in-  
quit D. Thom. de se etiū legitimī Ministri,  
sed solum quædam cæmonia *Sacramento*lis,  
quatenus & confitens, & absolvens, id  
imitabantur, quòd fit in *Sacramento* pœ-  
nitentiæ. In 4. distinc. 17. q. 3. a. 3.  
quod adeò verum est, ut Martinus 5. di-  
cat: *quòd neque beata Virgo Dei-Para hanc  
habuerit potestatem; propterea quòd ea potes-  
tas nec sanctitatem requirat, nec ab ea depen-  
deat.*

Sic si quis Laïcus simulans malitiose  
se esse sacerdotem audiat confessiones, &  
impertiatur absolutionem, quamvis sit ig-  
norantia inculpabilis ex parte pœnitentis,  
& error communis, ea absolutio tamen est  
nulla; quia potestas ordinis non confertur  
simulato huic sacerdoti per titulum illum  
coloratum, et si ab omnibus reputatum,  
ut verum; potestas enim ordinis conser-  
tur solum in ordinatione per Episcopum  
facta. Et quamvis tunc pœnitens ob bo-  
nam fidem excusat a peccato, quod  
committeret, si sciens Laicum adiret, ut  
ab eo absolveretur: tamen ubi cognovit  
nullam esse absolutionem sibi datam à Laï-

138 MORALIS CHRISTIANA.  
eo , tenetur iterum peccata , quæ confessus est Laico , sacerdoti approbato confiteri , ut ab eis absolvatur , cum antea ab his non fuerit absolutus.

Sic pariter si quis non baptizatus , vel non ordinatus , & proinde nullatenus verus sacerdos , putans tamen errore invincibili se esse sacerdotem , audiat confessiones , & impertiatur absolutionem , ejus absolutio est nulla ; quia non est verè sacerdos , & quamvis , ut jam dixi , pœnitens excusetur ob bonam fidem , tamen ubi illud didicerit , tenebitur iterum confiteri vero sacerdoti approbato. Ea doctrina colligi potest ex simili casu , de quo ita D. Th. supp. q. 8. a. 2. ad. 3. quamvis , inquit , ille confessus in articulo necessitatis consecutus sit veniam à Deo , eo quod propositum , quod concepit confidendi secundum mandatum Dei , sicut potuit , implevit : non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est... ideo oportet , quod iterum confiteatur sacerdoti , cum copiam habere potuerit.

CONSECTARIUM II. nullus Clericus in quatuor minoribus ordinibus constitutus , nullus Diaconus , nullus Subdiaconus in sacris constituti , quocunque Beneficium in Ecclesia obtineant , possunt validè confessiones audire , vel absolutionem Sacramentalem impendere ; illis enim non est dictum : *quorum remiseritis peccata , remittuntur eis.* Si autem pœnitentes apud Cyprianum Epist. 13. exomologesim fecisse dicantur in manibus Diaconorum , & ab eis impositionem manuum accepisse , & ab eisdem

jubente Episcopo communionem fuisse impeditam, ut constat ex Eliberitano Conc. Can. 32. nunquam tamen legitur eos Diaconos absolutionem Sacramentalem impendisse; ea enim absolutio, quæ ab illis impendebatur Sacramentalis non erat, sed erat solum vel absolutio à censuris, quā pœnitentes reconciliabantur Ecclesiæ, vel erat Sacra Eucharistia Collatio, quæ adhibitis precibus poterat dari à Diaconis, cum hoc Sacramentum datum fuerit per puerum Separationi, ut dicit Eusebius lib. 6. cap. 44.

CONSECTARIUM III. simplices sacerdotes, sive sacerdotes, sive regulares, in quacunque sint dignitate constituti, si nullam habent jurisdictionem nec ordinariam, nec delegatam, nequeunt validè confessiones audire, nec Sacramentalem absolutionem impendere, ut expressè docet Trid. sess. 14. cap. 7. quoniam igitur, inquit, natura & ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.

Sic solus Papa in tota Ecclesia, solus Episcopus in tota sua Diœcesi, solus Parochus in sua Parochia, solus Abbas in sua abbatia, solus Prior Regularis in suo prioratu subditos sibi fideles in tribunalí pœnitentiæ audire, & absolvere possunt; quia habent jurisdictionem ordinariam. Sic soli sacerdotes legitimè, & à legitimo supe-

140 MORALIS CHRISTIANA.  
riore approbati possunt subditorum sibi fi-  
delium confessiones audire , eisque absolu-  
tionem impendere ; quia circà eos habent  
jurisdictionem delegatam.

Sic nullus Doctor licentiatus , quantum-  
vis aliundè eruditus , potest ex vi sui gra-  
dus confessiones audire , aut absolutionem  
impendere ; quia doctoratus nec dat juris-  
ditionem , nec approbationem.

Sic nullus sacerdos sive sacerdotalis , sive  
regularis non approbatus de facto , sed tan-  
tum conditionaliter approbadus , et si sciat  
quod superior v. g. Episcopus optaret ip-  
sum audire confessiones in sua Diœcesi , &  
quod pro rato habiturus esset , quod face-  
ret in tribunali pœnitentiae , nullus , in-  
quam , talis potest validè confessiones au-  
dire , & absolutionem impendere quia ex  
Trident. confessarius esse debet approbatus ,  
& non solum approbadus ; & approbatio  
iurisdictionis est actus , qui exercetur non  
per conditionale desiderium , sed per abso-  
lutam deputationem.

Sic sacerdos sive regularis , sive sacer-  
dotalis , cui denegatur approbatio etiam in-  
justè ab Episcopo , non potest validè con-  
fessiones audire , nec absolutionem impen-  
dere ; Concilium enim requirit , ut non so-  
lum approbatio petatur , sed ut de facto ob-  
tineatur , ita enim habet sess. 23. cap. 15.  
quamvis , inquit , presbyteri in sua ordina-  
tione à peccatis absolvendi potestatem acci-  
piant , decernit tamen sancta Synodus nullum  
etiam regularem posse confessiones sacerdotalium  
etiam sacerdotum audire , nec ad id ido-

neum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium aut ab Episcopis per examen, si ipsis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis debet concedi, obtineat: privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus. Illud idem patet ex bulla Urbani 8. quæ incipit, *cum sicut accepimus*, data die 12. Septembris 1628. quæ revocat omnia privilegia in contrarium.

Sic regulares non approbati ab Episcopo, aut non Parochi, etsi casus Papales habeant, nisi ab Episcopo loci approbentur, nequeunt validè confessiones audire, & absolutionem impendere. Ita breve Innocentii decimi editum die 14. Maii anno 1648. quo respondens regularibus, qui confessiones personarum fæcularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui ordinis non petitâ illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ejus licentiâ, vel in Ecclesiis etiam sui ordinis ipso contradicente, statuit posse Episcopum vi constitutiois Gregorii 15. quæ incipit, *inscrutabili*, tanquam sedis Apostolicæ delegatum administrationem Sacramenti pœnitentiæ, ac munus prædicationis eisdem regularibus interdicere, eosque juris remedii coercere ac punire. Idem confirmavit Alexander VII. brevi edito die 26. Februarii 1659. ad Episcopum Andegavensem, quo damnat propositiones, in quibus dicebatur regulares non indigere approbatione Episcopi, & illis semel ab Episcopo approbatis, non posse revocari approbationem, neque limitari;

142 MORALIS CHRISTIANA.  
& ab uno Episcopo semel approbatos censem  
seri ab omnibus approbari.

CONSECTARIUM IV. Jurisdictio ordinaria  
mensurari debet juxta qualitatem beneficij,  
cui annexa est jurisdictio ordinaria; quia  
jurisdictio est quasi accessorium beneficij.  
Ergo mensuratur juxta naturam beneficij;  
quia accessorium sequitur naturam principali.  
Sic alia est jurisdictio ordinaria Papæ,  
alia Episcopi. Papa habet jurisdictionem in  
tota Ecclesia, sed eam per alios non exercet  
in tribunali pœnitentiæ, nisi accedente or-  
dinariorum approbatione.

Episcopus potest ipsem et omnes absolve-  
re, nec nisi illo approbante quisquam in e-  
jus Diœcesi pœnitentem absolvere potest.  
Episcopus Diœcesanis omnibus inhibere  
potest, ne data operâ Sacramentum pœni-  
tentiae à quibuscumque Sacerdotibus ab ipso  
non approbatis accipiant, sive regulares,  
sive sacerulares sint illi Sacerdotes, & absolu-  
tiones ab illis datas potest irritas declara-  
re. Ita Concilium Mediolanense 4. qui ad  
confessarium etiam regularem, inquit, in a-  
lienâ Diœcesi commorantem dedita operâ se  
conferens peccata sua sit confessus, nisi con-  
fessarius ille ab Episcopo Loci, & pœnitentis  
ordinario, & ad confessiones audiendas pro-  
batus erit, ei tamquam inconfesso Paro-  
chus Eucharistie Sacramentum ne præbeat.

Parochus vero jurisdictionem habet in  
Parochia in eos solùm, qui sibi subditi sunt;  
potest v. g. ovibus suis licentiam dare re-  
currendi ad alios Parochos, vel presbyte-  
tos ab Episcopo ejusdem Diœcesos appro-

batos; sed ipse non potest dare licentiam audiendi confessiones Sacerdoti non approbato, non potest etiam presbiteros approbatos pro alia Parochia, imò nec Parochos alterius Parochiæ advocare, ut in sua Parochia confessiones audiant, nisi consentiente Episcopo; fortè enim contingere, quod advocaret eos, quos Episcopus idoneos non judicaret: non potest etiam mittere oves suas ad Parochos alterius Diœcesis, nisi ab Episcopo Parochi mittentis, & ovium misfarum sint approbati, quin etiam non potest Parochus alterius Parochi oves absque illius licentia audire: aliàs nulla erit confessio, & absolutio, & hæc confessio iteranda erit, nisi forte poenitentes peregrini sint, vel in ea Parochia bona fide commorentur. Ea omnia educuntur ex istis Trident. verbis: *nullius momenti ea absolutio est, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem.* Qui autem in prædictis casibus absolvit, nec ordinariam nec delegatam habet jurisdictionem.

Notandum quòd hîc jus commune pastoribus describimus, quo quilibet suas oves debet agnoscere, & pascere, exclusis aliis pastoribus; sed quilibet pastor potest suarum ovium curam cum aliis pastoribus idoneis communicare ad libitum, modo tamen suæ autoritatis. Quare si usus contrarius à pastoribus notus iisdem non contradicentibus invaluerit, alitèr hac de re sentiendum erit, & judicio Episcopi sistendum,

Jurisdictio Patriarchæ , aut Archiepiscopi talis est , ut non exerceatur , nisi vel tempore visitationis , vel in casu appellationis ad ipsum.

Jurisdictio Abbatis aut Prioris claustralis talis est , ut non exerceatur , nisi erga regulares sibi subditos , minime verò erga sacerdtales , aut Laicos , aut Sacerdotes , ut diximus ex Trident. sess. 23. cap. 15.

CONSECTARIUM V. Jurisdictio delegata mensurari debet juxta terminos delegationis , & approbationis ; approbatio autem potest dari vel absolute ad omnes , vel relativè ad aliquos tantum , vel sine ulla restrictione , vel cum restrictione , tum in ordine ad locum , tum in ordine ad personas , tum in ordine ad tempus ; approbatio enim relinquitur iudicio Episcoporum , ut patet ex Trid. sess. 23. cap. 15. decernit , inquit , sancta Synodus , nullum etiam regularem posse sacerdotalium confessiones , etiam Sacerdotum audire , nec ad id idoneum reputari ... nisi approbationem , que gratis debet concedi , obtineat .

Sic Sacerdotes tam regulares , quam sacerdtales habentes solum jurisdictionem delegatam non possunt , nisi juxta terminos delegationis , & approbationis confessiones audire : v. g. nequeunt , neque Sacerdotes , neque Laicos sacerdtales , nisi ad id approbentur , absolvere . Dixi sacerdtales ; nam de regularibus audiendis aliter est judicandum , ut mox dicetur .

Sic Vicarii , sive sint Sacerdtes sacerdtales , sive regulares , si sint tantum approbati pro certa Parochia , non possunt in alia Parochia

Parochia confessiones audire, imò nec oves alterius Parochiæ excipere, nisi in ea Parochia peregrinantes sint, & sine fraude accedant. Quòd si fuerint tantùm pro Annexa Ecclesiâ approbati, non possunt oves Parochiæ principalis audire. Sic confessio etiam extra tempus Paschale validè fieri non potest ulli presbytero absque licentia Parochi, si ille presbyter non est approbatus absolutè, sed tantùm ad confessiones audiendas accedente consensu Parochi, quia tunc necessarius est consensus Parochi. Sic approbatus ad audiendas confessiones sacerdrium, non est approbatus ad audiendas confessiones monialium, & approbatus pro uno Monasterio non est approbatus pro alio. Ita determinavit Alexander VII. ceterum hæc praxis non est conscientiarum tortura; si enim aliqua causa sit non confitendi Parochi, aut designato à Parochi, licentia debet dari ab Episcopo confitendi alteri, ut docet D. Thom. supplem. q. 8. a. 4. ad. 6. In hoc, inquit, quòd oportet proprio sacerdoti confiteri, non arbitratur via salutis, sed sufficiens via ad salutem statuitur; peccaret autem sacerdos si non esset facilis ad præbendam conscientiam alteri confitendi; quia multi sunt a deo infirmi quod potius sine confessionem orerentur, quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui sunt primis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis damnationis laqueum injiciunt; & per consequens sibi ipsis. Accedit quòd sunt pœnitentes; qui multum possent proficere in via perfectionis, si à certis confessariis dirige-

1346 MORALIS CHRISTIANA.  
rentur; quique ab ea perfectione retardantur, si prohibeantur apud illos sacerdotes confiteri.

CONSECTARIUM VI. Sacerdotes sive jurisdictionem ordinariam, sive subdelegatam habentes, non possunt valide absolvere à casibus, quos sibi Episcopus reservavit, nec Episcopus ab his, quos sibi Papa retinuit: ea enim semper fuit Ecclesiae praxis, ut inferiores judices nihil temerarie sine approbatione Episcopi facerent. Presbyter, inquit, Concil. Carthag. 3. Canon. 52. *in consulto Episcopo non reconciliet pénitentem, nisi absenie Episcopo, & necessitate cogente.* Quam antiquam disciplinam Trident. confirmat his verbis: *Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris usum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.* sess. 14. c. 7. unde concludit, & Papam pro bono totius Ecclesiae, & Episcopos pro bono suæ Diocesos, non quidem in destructionem, sed in ædificationem, posse sibi reservare aliquos casus, quæ reservatio nedum in externa politia, verum etiam coram Deo valeat, & postea ad nostrani omnium consolationem hæc addit: *Verumtamen, inquit, piè ad modum ne bâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eâdem semper Ecclesiâ Dei custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque id est omnes sacerdotes quoslibet pénitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Et ad majorem, & distinctiorem de casi-

bus reservatis doctrinam addit, extra quem articulum mortis sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pénitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. quæ reservatio ita strictè observanda est, ut ex constit. Clem. X. quæ incipit, *superna magni*, ille qui habet privilegium absolvendi à casibus papæ reservatis, non possit absolvere à casibus Episcopo reservatis.

Sunt tamen casus, in quibus potest absolviri pénitens, etiam à reservatis.

1. In casu mortis potest quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, absolvere à quibuslibet casibus reservatis, monens pénitentem, ut si convaluerit, sistat se superiori. 2. Si casus, super quem cadit reservatio, sit peccatum mortale olim confessum Sacerdoti valenti absolvere à reservatis, vel peccatum veniale, vel actus non integrè consummatus; quia peccatum mortale confessum, & peccatum veniale, non est materia necessaria, actus verò non integrè consummatus non censetur reservari ab Ecclesia. 3. Tempore jubilæi; quia tunc Sacerdos approbatus ab ordinario recipit à Papa potestatem absolvendi à quibuslibet casibus. 4. Quandò ex parte pénitentis, & confessarii impossibilis est moraliter recursus ad superiorem, si reservatio sit Episcopalis, debet moneri pénitens, ut data occasione sistat se superiori, si reservatio sit Papalis, & casus occultus, potest absolviri absolute, quia ita permituit Papa. 5. Qui bona fide

148 MORALIS CHRISTIANA.  
confitetur nesciens suum casum esse reservatum , vel apud confessarium , qui nescit casum hunc esse reservatum , bona fides excusat , sed relinquit onus fistendi se superiori , ubi error inculpabilis cessaverit. 6. Qui confessus est peccatum reservatum apud confessarium habentem potestatem absolvendi à reservatis , etsi fecerit confessionem invalidam , tamen cognita peractæ confessionis invaliditate , potest à Sacerdote non habente casus reservatos absolvī ; quia prior confessarius substulit reservationem.

CONSECTARTUM VII. *De confessione regularium.* Sacerdos in ordine ad regulares absolvendos potest modò , quidquid poterat ante Trid. quia Consilium nihil immutavit circa confessiones regularium , qui volunt à suis peccatis absolvī .

Sic regularis non approbatus ab Episcopo , sed approbatus à suo superiore , potest confessionem alterius regularis juxta approbationem sui superioris excipere , cumque validè absolvere ; quia id licebat ante Trid. ergo & modò licitum est.

Sic regularis eligens sibi confessarium , potest eligere vel approbatum ab Episcopo , vel non approbatum ; quia ipsemet eligendo approbat pro se tantūm.

Sic regulares possunt , nedum alios regulares sed etiam sæculares , qui sunt in eam domibus commensales absolvere. Ita declaravit Innocent. X. Constitut. quæ incipit , *superna. Ceterum , inquit , in Monasteriis aut etiam Collegiis , ubi juxta regularia statuta vivitur , posse tam præfatos*

regulares, quam confessores regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum secularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum illis deserviunt.

Sic Cardinales, & alii, quibus ex jure datur potestas sibi eligendi confessarios, possunt quemlibet sacerdotem eligere sive approbatum, sive non approbatum; quia eligendo approbant.

Episcopus vero non potest eligere in confessarium nisi sacerdotem sibi subditum, quem jam approbavit, vel quem eligendo approbet; quia non habet eandem facultatem, quam Cardinales, vel regulares.

## §. V.

*Quae sint Officia confessarii erga pénitentes.*

Propositio 1. confessarius tenetur erga pénitentem exercere officia & patris, & medici, & judicis.

Probatur 1. scripturā. Confessarius est pater pénitentis juxta illud Pauli ad Galatas 4. v. 10. *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Est & ejusdem pénitentis medicus juxta illud Lucæ 9. v. 2. dedit Apostolis potestatem, ut languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Est pariter illeius judex, non qui severè puniat, sed qui

342 MORALIS CHRISTIANA.  
misericorditer bene dispositos Deo reconciliat juxta illud: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo confessarius tenetur penitentibus affectum paternum exhibere, prudentis medici curam impendere, & autoritatem judicis exercere Deo reconciliantis.

2<sup>o</sup>. Ex praxi Ecclesiae. Quotquot ad pedes sacerdotis provolvimur, ab eo tanquam à patre benedictionem postulamus his verbis: *benedic mihi pater; quia peccavi.* Curam morborum nostrorum petimus, & commissiōnē peccatorum indulgentiam postulamus; etenim, ut dicit Catech. Trid. post. Aug. confessarius patris, judicis, & medici simul personam gerit: ergo confessarius debet erga penitentem & patris, & medici & judicis reconciliantis Deo officia exercere.

3<sup>o</sup>. Ratione quotquot sumus sacerdotes, tales debemus nos erga penitentes exhibere, quam se Christus erga peccatores exhibuit; ait enim: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Atqui Christus erga peccatores & affectum patris, & curam medici exercuit; ergo & eadem erga penitentes praestare nos convenit. Ed faciunt ea verba Isaiae 61. v. 1. de Christo vaticinantis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit dominus me: ad annuntian- dum mansuetis misit me, ut mederer contritus corde, & praedicarent captivis indulgentiam, & clausis apertio nem.... ut consolarer omnes lugentes.*

## Confessaria hujus doctrinæ.

**CONSECTARIUM I.** Confessarius, quatenus Pater, debet erga pœnitentes eunidem induere animum, quem habent parentes erga filios; 1. dando illis sanam doctrinam, quā nutriantur, non erroneam, quā inficiantur; attendendo ad illud Christi: *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem numquid lapidem porrigit ei.* 2<sup>o</sup>. Debet adinstar nutricis doctrinam etiam sanam iis attemperare initio facilioribus præceptis instruens, postea vero difficilioribus, ad exemplum Pauli, qui dicebat fidelibus, quos instruxerat: *Lac vobis potum dedi, non escam* 1. ad Corint. 3. 2. 3. Exercitiis pœnitentiæ non severioribus, sed mitioribus ad ardentiorem pœnitentiam præparare, ad exemplum Christi, qui dicebat: *Nemo autem immittit commissuram panni rудis in vestimentum vetus;* tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit; neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt; sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur Matth. 9. 16. 4. Debet in omnibus ardenter Zelum pro salute pœnitentium exhibere ad exemplum Pauli, qui his, quos Evangelio pepererat, ait: *Ego autem libentissime impendam, & super impendar pro animabus vestris.* 2. ad Corint. 12. v. 15. 5. Debet esse patiens in audiendo confessiones, suavis in arguendo vitia juxta illud Pauli præcep-

540 MORALIS CHRISTIANA.  
rum : Argue obsecra , increpa in omni patientia, Demum oportet , ut pœnitenti exhibeat singula paterni affectus indicia , quæ his carminibus expressit Div. Thomas.

*Confessor dulcis , affabilis atque suavis ;  
Prudens , discretus , mitis , pius , atque  
benignus.*

CONSECTARIUM II. Confessarius , quatenus Medicus , id debet pœnitenti , quod medicus ægredo. 1°. Causas morborum inquire , cognitas præscindere , & ne præcise renascantur impedire.

Oportet igitur , ut sciat in genere , quæ sit peccatorum nostrorum origo ; intrinseca autem causa est ignorantia & concupiscentia ; extrinsecæ vero sunt tentationes , quæ à diabolo suggeruntur. Diabolus enim circa nos : tanquam leo rugiens circuit , querens quem devoret. Eadem tentationes à mundo incrementum accipiunt ; totus enim mundus in maligno positus est. Ea irritamenta peccatorum à concupiscentia infelicitè approbantur : unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus , & illebus ; deinde concupiscentia , cum conceperit , parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit , generat mortem , Jacob. 1. v. 14. Confessarius ergo , quatenus Medicus , eas omnes peccatorum causas pœnitenti ægredo appetiat , easque à pœnitente præscindi jubeat , si que cum Evangelio audacter dicat : si oculus tuus scandalisat te , erue eum , & pro-

jice abs te, bonum tibi est cum uno oculo ad vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Matth. 5. v. 29. à pœnitente peccatorum causas, ne iterum redeant, salutaribus monitis, ut loquitur Tridentinum, sapienter abducat, proculque amovat.

CONSECTARIUM III. Confessarius, quatenus iudex, debet habere scientiam tanto munceri exercendo necessariam, nam si de judicibus forensibus dicitur: *Eundimi, qui iudicatis*, quantò justius illud dici debet confessariis, qui non terrena, sed cœlestia iudicant, quique invigilare debent non villicationi terrestri, sed spirituali, id est de animabus nostris rationem reddituri, & in quibus specialiter scientia requiritur, juxta illud: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam*: & quibus doctrina specialiter præcipitur juxta illud: *Nulli Sacerdoti, præcipue confessario, liceat canones sacros ignorare*, nec quidquam facere, quod patrum regulis contradicat. Cœlestinus epist. 3. cap. 1.

Oportet ergo, ut confessarius, quatenus iudex, isthac omnia apptimè sciat. 1. Quæ sunt peccata mortalia, quæ venialia, ex genere suo, & quomodo per accidens peccatum mortale possit fieri veniale, vel veniale mortale: quia confessio est nulla, si peccatum mortale omittatur.

2. Quæ species & circumstantiæ peccatorum necessario in confessione explicandæ: quia confessio est nulla, si omittatur aliqua

3. Quæ pertinent ad satisfactionem faciendam, ad reparandum damnum illatum, vel in vita, vel in honore, vel in bonis temporalibus, aut spiritualibus: *Quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

4. Quinam sunt casus reservati, quæ excommunicationes, quæ censuræ, quæ irregularitates, ut sciat, à quibus potest absolvire, à quibus vero non potest.

5. Quæ pœnitentia cuilibet peccato imponenda, quæve remedia eis præscribantur.

Unde gravissimè peccat confessarius, qui sine prædictorum scientia exponit se audiendis confessionibus: quique vel defectu scientiæ, vel defectu examinis, vel defectu advertentiæ, v. g. vel quia non audit, vel quia non attendit; certa peccata incognita judicat, tunc bis peccat. 1. *Quia cum ignorantia munus Angelicis humeris formidandum exercet.* 2. *Quia indebitam absolutionem impendit.* 3. *Demùm quia pœnitentem fallit, qui si conscius sit confessarium sine attentione sufficienti de peccatis incognitis judicasse, confessionem iterare tenetur.*

CONSECTARIUM IV. Sacerdos quatenus Pater, Medicus, & judex tenetur pœnitentem interrogare, & pœnitens tenetur ei respondere circa ea, quæ ad ipsius salutem æternam pertinent: quis enim dicat Patrem non teneri interrogare filium circa

ea, quæ filii statum & conditionem meliorem efficere possunt, aut pejorem? quis neget Medicum non debere ab ægroto causas morbi inquirere? quis judicem eximat ab obligatione reum examinandi? Et cum sincera rei expositio interrogationi correspondeat, si confessarius debeat pœnitentem prudenter interrogare, iste utpote filius, ægrotus & reus, debet Patri, debet medico, debet judici humiliter, & sincerè respondere. Ideo merito damnata est sequens propositio ab Innoc. XI. *Non tenemur confessio interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

CONSECTARIUM V. Totiès confessarius tenetur interrogare pœnitentem, quotiès prudenter judicat id necessarium esse ad promovendam salutem pœnitentis; sic v. g. tenetur interrogare, ut sublevet inicitiam crassam & supinam pœnitentis. 2. Ut consuetudinem peccandi, si quam habet, & cognoscat, & eradicet. 3. Ut gravitatem & circumstantias peccati agnoscat. 4. Ut remedia pro peccatis commissis convenientia præscribat. De hoc ita can. *Qui vult. dist. 6. de pœnit. circa medium: Caveat, inquit, spiritualis judex, ut sicut non commisit crimen notitia, ita non careat munere scientiæ; oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicare: judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut quod debet dijudicare discernat; diligens igitur inquisitor, & subtilis investigator; sapienter, & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare.*

Cognito itaque criminis, varietates ejus non dubitet investigare . . . si enim in iudicio civili oporteat judicantem cuncta rimari, & ordinem rerum plenam inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, objiciendique prebita facultate, à sortiori id oportet fieri in foro interiori conscientiae.

**C O N S E C T A R I U M VI.** Sacerdos retinetur pœnitentem interrogare eā prudentiā, & arte, quā fiat, ut per frequentes interrogations nec sibi noceat, nec pœnitenti, quod qualiter præstandum sit, ita paucis explicat. D. Thom in 4. dist. 19. Dicendum, inquit, quod Sacerdos debet percutari conscientiam peccatoris in confessione, sicut Medicus vulnus, & judex causam; quia frequentēr, quae præconfusione confitens taceret, interrogatus revelat; sed tamen in interrogationibus faciendis tria attendenda. 1. ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quae consueverunt in hominibus illius conditionis abundare; non enim oportet, quod à milite queratur de peccato clericorum, aut religiosorum, aut è converso. 2. Ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis quae omnibus manifesta sunt, de aliis autem ad inventionibus peccatorum, ita debet de longinquō interrogatio fieri; ut si commisit, dicat, si non commisit, non addiscat. 3. Ut de peccatis præcipue casualibus non descendat nimis ad particulares circumstantias; quia hujusmodi delebitabilia, quanto magis in particulari considerantur, magis concupiscentiam nata sunt mouere, ut dicitur. 3. Ethic. & ideo potest contingere, ut Confessor talia querens, & sibi,



TRACT. DE SACRAMENTIS. 145  
& pœnitenti noceat, & sic quandoque defi-  
cient in suo scrutinio iniquitatem scrutantes.

Sic si pœnitentem rudiorem inveniat,  
debet illum examinare, ut ejus supi-  
nam ignorantiam sublevet: si vero pœni-  
tentem sufficienter eruditum inveniat, qui se  
aut neglexerit aut noluerit examinare, debet  
illum remittere, donec se examinaverit: si  
autem inveniat pœnitentem, qui astutè, &  
prudentia in sui pernicieni mentiatur, de-  
bet illum dimittere, ut melius consulat,  
sanctiusque dispositus ad Sacramentum  
accedat.

Si vero pœnitens non se accuset de aliquo  
crimine mortali, cuius tamen reum esse certò  
scit confessarius, vel quia ipsem vidit, vel  
quia plures fideli digni id confessario denuncia-  
runt, debet confessarius pœnitentem illum  
interrogare, an commiserit tale crimen, vi-  
deat num forte illius oblitus sit: si pœni-  
tens persistat, & constanter illud perne-  
get, non debet confessarius ei testes, qui-  
bus convincatur, objicere; non enim ad  
convictionem, quæ reum confundat, sed ad  
contritionem, quæ confitentem salvet,  
institutum est Sacramentum pœnitentiaz;  
sed prudenter faciet confessarius, si cum  
ad tempus remittat, ut sese examinet. Sed  
non tamen video quod stante convictione  
de ejus mendacio possit illum absolvere,  
sed prudenter illum remittet ad alium con-  
fessarium, cui peccator ille suæ pertinaciæ  
pœnitens forte totam conscientiam aperiet.

Si autem Sacerdos crimen; quod pœni-  
tens constanter negat, non aliunde quam

146 MORALIS CHRISTIANA  
ex alterius pœnitentis confessione didicerit,  
potest pœnitentem ad aliud confessarium  
remittere , cui fortè minus verecundè sta-  
tum suum aperiet , si autem id non potest,  
nec commode in aliud tempus differri ab-  
solutio valeat , non video cur isti confiten-  
ti non crederet ; quia non est major ratio,  
quod magis credat accusanti , quam accu-  
sato , quod magis credat primo , quam se-  
cundo . Si autem accedat pœnitens , qui levissi-  
ma dumtaxat peccata confiteatur , vel nulla ,  
cum tamen urgens habetur præsumptio , quod  
pœnitens aliquibus criminibus obnoxius sit ,  
quibus , vel non attendit , vel mederi non  
vult , monendus est ut conscientiam suam  
diligenterius scrutetur , & indicandi sunt lap-  
sus præcipui , in quos decidere potuit , si-  
mulque ad tempus aliquod differendus .  
Hæc omnia exigit officium Patris , Medici ,  
& judicis , quod erga pœnitentes Sacerdos  
exercere debet .

CONSECTARIUM VII. De Sigillo  
confessionis . Sacerdos , quatenus Pater , Medi-  
cus , & judex in nullo casu potest sigillum  
confessionis prodere . 1. Quia jus naturale  
vetat omnino , ne quis commissum secretum  
prodat , quod strictiore lege præcipit jus  
parentibus erga filios , Medicis erga ægros ,  
advocatis erga clientes ; confessarius  
autem non tam est Judex pœnitentis , quam  
illius advocatus . 2. Quia jus Canonicum  
in Lateranensi Concilio Can. 21. id his  
verbis præcipit : *caveant , inquit , omnes ne  
verbo , vel signo , vel alio quovis modo pro-  
ducant aliquem peccatorum . Quod secretum*

Sacerdos infregerit, deponendus est, & ad agendum pœnitentiam in Monasterium in perpetuum amandandus. Illud idem prohibet jus civile, cum confessarius, qui convincitur sigillum confessionis violasse, vivus comburatur. Sed jus divinum quo-cumque alio jure longe fortius secretum illud strictius jubet; cum enim confessarius non alio nomine agat, quâni nomine Dei, ita peccata in confessione declarata non audit, ut homo, sed ut Deus. Ergo sicut Deus peccata in confessione declarata sua justitiâ tegit juxta illud: *beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata;* ita & confessarius peccata sibi revelata profundissimo debet secreto tegere: & sicut Deus peccata seniel dimissâ nunquam deinceps imputat, quia *sine pœnitentia sunt dona Dei;* ita nunquam confessarius debet eadē peccata in mentem suam revocare, nunquam de his cum alio quocumque loqui, sed illud psalmi debet sc̄piùs ad Deum dirigere: *Pone Domine custodiam orimen, & offium circumstantiæ labiis meis,* psal. 14. v. 3.

CONSECTARIUM VIII. Ad quōt extendatur sigillum confessionis. Ad illa omnia se extendit sigillum, quæ confessarius didicit viâ confessionis, quæque pœnitens justo desiderio vult latere, quia ea omnia scit confessarius, non ut homo, sed ut Deus.

Sic peccata mortalia cum suis circumstantiis tam in genere, quâni in specie, & in individuo cadunt sub sigillo; unde con-

confessarius nequit dicere: hic homo apud me confessus est peccata mortalia, & à fortiori hic homo apud me confessus est tale peccatum, v. g. fornicationem, adulterium, &c.

Sic peccata venialia non ingeneri, sed in specie, & in individuo cadunt sub sigillo confessionis; ideo confessarius posset quidem dicer: hic homo confessus est peccata venialia: quia nemo confiteri potest, nisi confiteatur aliquod saltem peccatum veniale, sed nullum potest in specie indicare, v. g. dicere: hic homo confessus est apud me mendacium jocosum.

Sic defectus natalium, v. g. inhabilitatis naturalis, irregularitatis, censuræ, &c. cadunt sub sigillo; ideo confessarius qui hæc omnia via confessionis accepit, non potest ea prodere, v. g. non potest dicere hic homo est nothus, inhabilis est ad matrimonium, irregularis ad ordines, &c. sic personæ complices, & circumstantiæ omnes viâ confessionis cognitæ sunt materia sigilli.

CONSECTARIUM IX. *Quæ personæ obligantur ad sigillum confessionis.* Non solum Sacerdos sed etiam hi omnes, qui concurrent ad confessionem quique viâ sola confessio-  
nis aliquid didicerunt tenentur ad sigillum; quia sincera declaratio non sit, nisi sub spe secreti; & sicut illi sunt cooperatores confessarii, ita ad idem secretum obligantur, per quod obstringitur confessarius.

Sic quando confessarius non intelligit idioma pœnitentis, interpres interveniens ad explicandum confessario peccatum pœnitentis, tenetur ad sigillum: unam enim

TRACT. DE SACRAMENTIS. 149  
cum Sacerdote personam constituit.

Sic Superior, à quo petitur facultas absolvendi à reservato, obligatur ad sigillum, sicut confessarius; cum secretum illud noverit, ut ipse confessor.

Sic qui, vel casu, vel consultò audit aliquid peccatum pœnitentis confitentis, tenetur ad sigillum, sicut confessarius, quia accepit viā confessionis notitiam illius peccati.

Si tamen disceret eadē peccata aliā viā, quām viā confessionis v. g. audiendo pœnitentem colloquenter cum confessatio extra tribunal, vel legendo chartam, non traditam confesario, obligarerur quidem ad silentium vi secreti naturalis, sed noui sigilli confessionis.

CONSECTARIUM X. *An in aliquo casu possit violari sigillum:* Nullus est omnino casus, in quo, vel ad vitandum malum tum generale, tum particulare, vel ad inducendum bonum tum generale, tum particulare, infringere liceat sigillum confessionis. Tum quia violare sigillum suapte naturā malum est, & nunquam facienda sunt mala, ut inde veniant bona; tum quia Sacramentalis confessionis illæsum exercitium longè perfectius, & universalius bonum est, quām quodcumque aliud bonum, quod expectatur, & periculum ne interrumperatur in Ecclesia exercitium confessionis longè pravius malum est, quām quodcumque aliud malum, quod quis violando sigillum vitare vellet.

Sic confessarius in nullo casu potest re-

150 MORALIS CHRISTIANA.  
velare confessionem, vel directe, vel in-  
directe, aut facere aliquid, quod possit  
indicare peccatum declaratum in confes-  
sione.

Sic confessarius interrogatus à judice vel Ecclesiastico, vel civili circa ea quæ didicit viâ confessionis, potest, & debet respondere modeste se foli Deo redditurum rationem de his, quæ sunt in tribunali, & si urgeatur, potest, & debet respondere se nescire ea, quæ didicit viâ confessionis, imò potest jurare, quia revera nescit ut homo sed tantum ut Deus: interrogatur autem ut homo, non ut Deus. Talis est sententia D. Thom. suppl. q. 11. art. 1.  
*ad 3. homo. inquit, non adducitur in testi- monium nisi ut homo; & ideo sine leſione conscientiae potest jurare se nescire, quod scit tan- tum ut Deus.* Sie si confessarius nequeat suum peccatum confiteri; nisi indicando indirecte peccatum pœnitentis, debet reti- nere, & non confiteri illud peccatum, & remittere illius confessionem, donec re- pererit confessarium, cui possit integrè confiteri sine ullo periculo revelationis etiam indirecte: cuius rei ratio est hæc, scilicet quod præceptum de servando si- gillo magis urget, quam præceptum de integritate confessionis.

Sic si confessarius cognoverit viâ confes- sionis pœnitentem inhabilem esse ad ali- quod officium, vel beneficium, non po- test exteriūs uti illa cognitione, ut illum à tali officio amoveat. Id expressè deter- minavit Clemens V I I I. die 16. Mai. anno

TRACT. DE SACRAMENTIS. 157  
1594. tam Superiores, inquit, pro tempore existentes, quām confessarii, qui postea ad superioritates fuerint promoti, caveant diligentissimē ne ea nolunt, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. unde.

Episcopus v. g. sciens viā confessionis aliquem ex ordinandis esse incapacem ordinis v. g. quia fœmina est, quia hermaproditus est; id est utriusque sexus; quia est irregularis; quia est in affectu peccati mortalis; non potest eum hac sola de causa ab ordinatione rejicere. Parochus sciens solā viā confessionis eos, qui benedictionem matrimonialem postulant impedimenta habere Canonica, quibus reddantur inhabiles ad contrahendum non potest benedictionem matrimonialem denegare. Item.

Elector sciens pariter solā viā confessionis eum, qui eligendus proponitur, non posse obtinere licetē dignitatem, ad quam proponitur, si aliunde non habeat motiva exteriora, quibus eum ab officio excludat, non potest licetē suffragium publicum ei denegare; quia in singulis illis casibus, ut optimē ait. D. Thom. supplēm. q. 11. art. 1. ad 3. potest Prælatus dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio; quia non tenetur mederi, ut Deus, sed ut homo.

Sic duo confessarii, qui eundem pœnitentem auierunt, non possunt colloqui de peccatis pœnitentis, etiam in bonum pœnitentis; quia tractant extra tribunam

152 MORALIS CHRISTIANA.  
pœnitentiæ , quod solum tractandum est  
intra tribunal pœnitentiæ.

Sic confessarius non potest loqui , etiam  
cum pœnitente sine facultate ipsius pœni-  
tentis de illis peccatis , quæ viâ confes-  
sionis didicit , quamvis vellet cum eo tra-  
tare de errore aliquo essentiali , quem au-  
diendo ejus confessionem commisiisset :  
quia non licet extra tribunal deducere ,  
quod in solo tribunali tractandum est.

Sic demum in praxi nunquam loquen-  
dum est de his , quæ in Sacramento pœ-  
nitentiæ audivimus , abstinentiumque est  
ab omni colloquio , quo , vel in genere ,  
vel in specie personas , quas in confessione  
audivimus , indigitamus , ut dum dolendo  
dicimus : hic in miseria magna est : in mag-  
no periculo versabitur salus ejus . Item  
fugienda omnino ea licentia , quæ aliquan-  
dò imperitus modus confitendi quorum-  
dam hominum simplicium irridetur .

C O N S E C T A R I U M XI Quandò con-  
fessarius scit aliquid non solum viâ con-  
fessionis , sed alia viâ , potest illud , quod  
scit ut homo , declarare , modò dicat illud  
ut homo : & in his circumstantiis ; in qui-  
bus religio nihil detrimenti patiatur ; quia  
tunc , ut supponitur , non utitur scientiâ  
per confessionem acceptâ . De hoc ita lo-  
quitur D. Thom. illud quod homo aliis  
scit , sive ante confessionem , sive post , non  
tenetur celare quantum ad id , quod scit ut ho-  
mo ; potest enim dicere scio illud , quod vidi ,  
non enim potest dicere : ego hoc audivi in  
confessione ; tamen propter scandalum vitam

TRACT. DE SACRAMENTIS. 353  
dum debet abstinere, ne de hoc loquatur nisi  
imminente necessitate.

Sic si confessarius viderit ante, vel post  
confessionem scelus aliquod committi,  
potest de eo testimonium ferre, licet reus  
illius sceleris ad ipsum accesserit, eique  
commisum crimen confessus fuerit.

CONSECTARIUM XII. Quandò  
confessarius scit solà viâ confessionis para-  
ri, vel Ecclesiæ, vel reipublicæ, vel sibi  
vel aliis ingens malum, debet, quantum  
in ipso est in tribunalí pœnitentiæ deter-  
rere confitentem à tali criminè; extra ve-  
rò tribunal nihil potest facere; quod cri-  
men declaratum notum faciat, sed potest  
prudenter aliquod remedium huic malo  
adhibere, absque tamen revelatione de eo  
casu: ita D. Thom. loquitur supplem. q.  
II. art. I. ad. I. Tamen remedium aliquod  
adhibere debet in prædictis casibus, quan-  
tum potest sine revelatione confessionis, sicut  
monendo eos, qui confitentur, & aliis dilig-  
gentiam apponendo, ne corrumpantur per hæ-  
resim; potest etiam dicere prælato, quod  
diligentius vigilet super gregem suum, ita  
tamen ut non dicat aliquid, per quod verbo  
vel nutu confitentem prodat.

Sic si didicerimus viâ confessionis pec-  
cata aliqua committi: absque revelatione  
hortari possumus Episcops, ut gregibus  
suis invigilent, Superiores regulares, ut  
septa Monasterii diligentius custodiant,  
parentes, ut filios jam adultos, etiam ejus-  
dem sexus simul cubare non permittant, &c.

Propositio II. non sufficit, quod con-

154 MORALIS CHRISTIANA.  
fessarius exerceat officia & Patris, & Me-  
dici, & Judicis erga eos pœnitentes, quos  
pro libito excipit: sed quibuscumque pec-  
catoribus, qui ad eum accesserint, debet  
se facilem, & non morosum exhibere,  
eorum confessiones audire, & juxta statu-  
tas in Ecclesiæ regulas judicare.

Probatur 1<sup>o</sup>. Scripturâ. Christus mittens  
Apostolos eis injungit ut nullum pecca-  
torem à gratia evangelica rejiciant, sed  
quascumque gentes edoetas Sacramento  
baptismatis intingant: *euntes, inquit, do-  
cete omnes gentes, baptizantes eos in nominis  
Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: decen-  
tes eos servare quæcumque præcepi vobis.*  
Math. 28. 19.

Loquens verò de pœnitentia sic distinc-  
tè ait: *Accipite Spiritum sanctum, quo-  
rum remiseritis peccata, remittuntur eis,  
quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20.  
v. 23.

Et loquens in genere de quocumque  
ministerio fine ulla personarum acceptancee,  
sic præcipit: *leprosos mundate, mortuos sus-  
citare, dæmones ejicite, gratis accepistis, gra-  
tis date.* Math. 10. v. 8. Ergo confessio  
non licet alium pœnitentem audire, alium  
vero rejicere, sed qui pro omnibus appro-  
batus est, omnes audiat, & quemlibet  
juxta Ecclesiæ regulas judicet.

2<sup>o</sup>. Exemplis. Christus primus pœnitentia  
Evangelicæ prædicator nullum pecca-  
torem rejicit, sedè contra singulos suavitè  
alliciebat, & benignè complexabatur, &  
singulos attrahebat dicens: *non veni voca-*

re justos, sed peccatores, Matth. 9. v. 15. Venite, inquiebat, ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos Math. 11. v. 28. meretrices vocabat, cum publicanis conversabatur, & id maximæ gloriæ duxit; quod exprobrabatur ei à Pharisæis, scilicet, quod esset peccatorum, & Publicanorum amicus. Joannes verò alter pœnitentiæ Evangelicæ prædicator nullum rejicit, turbas suscipit, Publicanos non subsannat, ipsos etiam milites non dedignatur, turbis ait: *Qui habet duas tunicas, det non habenti;* Publicanis ait: *Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis;* militibus verò: *contenti estote stipendiis vestris.* Petrus gentes peccatrices non excludit, Paulus omnibus omnia factus est: ergo & confessarii debent ea exempla imitari, & quoscumque peccatores benignè recipere.

3<sup>o</sup>. Ratione confessarius nihil debet omittere erga pœnitentem, quod possit eum ad veram pœnitentiam revocare; id enim præcipuum est confessarii officium: atqui experientia constat, quod affabilitas erga pœnitentes, juxta tamen Ecclesiæ regulas exercita, eos ad veram pœnitentiam revocat; ergo maxima erga pœnitentes affabilitate utendum est, & ideo nullus est rejiciendus, omnes sunt ad pœnitentiam admittendi, sed nulli adulatio-nibus nocendum: de quo ita Cypri. lib. de lapsis: *Qui peccantem inquit blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat;* nec comprimit delicta ille

156 MORALIS CHRISTIANA.  
sed nutrit, at qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem: imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum mortale virus inclusum dum servat, exagget: aperendum vulnus est, & secundum, & putridinibus amputatis medelâ fortiore curandum vocifertur; clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget post modum, cum senserit sanitatem

Consectaria hujus doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Nullum est hominum genus, cui confessariū suaviter, & fortiter animum pœnitendi inspirare non valeat, nam sanis, & ægris apta est pœnitentia.

Ægris non tam est imponenda pœnitentia, quam indicanda, ut cum in morbo periculoſo absoluti fuerint ad pœnitentiam vel incipiendam, vel perficiendam obligentur, uti olim observabatur.

Sanis verò ea est imponenda pœnitentia, quæ & viribus conveniat, & peccatis eluendis par esse possit.

Juvenibus, & Senibus apta est pœnitentia.

Juvenes ob animi inconstantiam non tam ad pœnitentiam agendum admittantur, quam piis quibusdam operibus ad seriam peccatorum correctionem præparentur, ut monet Aug. serm. 7. de tempore.

Senes verò decrepiti non ad pœnitentiam externam obligentur, sed ad internam animi amaritudinem incitentur, quā doleant florem juventutis in sceleribus decuruisse

&

TRACT. DE SACRAMENTIS. 157  
& reliquum vitæ tempus in fletibus transi-  
gant.

*Clericis & Laicis* apta est pœnitentia.  
*Clericis* non tam imponenda est pœni-  
tentia, quam antiqua, quæ eis olim im-  
ponebatur, indicenda, ubi peccata, si  
quæ habeant, enormiâ luxuriæ confessi sunt,  
non absolvendi, sed proponendi eis sunt  
Canones antiqui à Concilio Tridentino  
eirca Clericos renovati, in quibus videant  
qualibus gemitibus, quibusve pœnis re-  
paranda sunt hujusmodi flagitia. Detur il-  
lis legendus Prosper lib. 2. de vita con-  
templativa. cap. 7. Damiani liber gomo-  
rianus cap. 2. & 17. & Natalis Alexander  
qui antiquos illos collegit Canones. Et  
ubi hæc legerint, & attentè meditati fue-  
rint, cognoscet confessarius, quo pacto  
cum illis agendum sit.

*Laicis* ea est imponenda pœnitentia,  
quam & vires ferre posunt, & criminum  
gravitas exigit.

*Nobilibus, & ignobilibus* apta est pœni-  
tentia.

*Nobiles* quidem alto animo debent infi-  
gere nec nobilitatem, nec Magistraturam,  
nec divitias quemquam à pœnitentiæ labo-  
ribus eximere; multi enim principes pœni-  
tentiam publicam egisse leguntur. Philip-  
pus imperator an. 248. pœnitentiam pu-  
blicam non recusavit.

Theodosius Imperator eam humiliiter su-  
biit, ut habes ex Ambrosio Epist. 21. &  
28. ob cladem Thessalonicensem. Otho Im-  
perator ei se sponte subjecit, ut habeat

Petrus Damianus in vita Romualdi cap.  
25. Henricus secundus Angliae Rex imposi-  
tam à summo Pontifice pœnitentiam lubens  
sustinuit an. 1172. eò quod occasionem cedi  
Thomæ cantuariensis dedisset.

*Ignobilibus, & plebeis ea est imponen-  
da pœnitentia, quæ eorum statui, & vi-  
ribus conveniat, & peccatis remittendis  
sufficiens esse valeat.*

*Viris, & mulieribus apta est pœnitentia.*

*Adulteræ mulieres pœnitentiæ publicæ  
non subjiciebantur ex Bas. Can. 34. ne  
conjugum Zelotipiam accenderent, sed se-  
cretæ pœnitentiæ laboribus exercebantur,  
imò inter consistentes stabant ut docet Bal-  
samon ut Deum offensum flecterent. Puel-  
lae Virgines non eximebantur à pœnitentia,  
ut docet Inn. I. Epis. 2. cap. 12. & 13. Leo  
Epist. 92. cap. 13. Grego. Turon. 2. cap.  
21. viduæ quoque pœnitentiam egerunt, ut  
docet Hieronimus in epitaphio fabiolæ.  
Hæc & similia exempla in manu prompta  
esse debent, ut confessarius ostendat pœ-  
nitentibus ætatem nullam, conditionem  
nullam, sexum nullum à pœnitentiæ labo-  
ribus eximi posse.*

**CONSECTARIUM. II.** nullum est vitæ tem-  
pus, in quo peccator pœnitentiam agere  
non valeat, & in quo proinde a sacerdote  
non debeat recipi; possibilis enim est pœ-  
nitentia, etiam in exitu ab hoc mundo,  
& in hac ultima vitæ periodo non sunt re-  
jiciendi pœnitentes, sed absolvendi, si  
pœnitentiæ interioris signum aliquod ex-

ternum exhibeant, vel verbis, vel nutibus, vel etiam aliorum adstantium testimonio: id expressè docet Conc. Carthag. 4. cap. 76. ubi sic habetur: *Isqui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositiōnem, & infundatur ori ejus Eucharistiā. Si supervixerit, admoneatur à supradictis testibus, petitioni suæ satisfactum; & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quandiu sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probaverit.*

**MONITUM.** Difficilis & raro vera est usque ad finem vitæ dilata conversio.

Probatur. I. Scripturâ proverb. I. v. 24. dicitur: *Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexitis omne consilium meum, & increationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo vos, cum id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit supervos tribulatio & angustia; tunc invocabunt me & non exaudiam, manè consurgent, & non convenient me, eoquod exosam habuerint disciplinam... comedent igitur fructus vitæ suæ, aversio stultorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos.* Vide quomodo Deus solemniter attestatur se non auditurum peccatores ad mortis articulum conversionem suam defferentes. Et Isaías obstinatos pec-

catores verbis longè minacioribus terret: vos esurietis, inquit, vos sitiatis.... & interficiet te Dominus Deus. Et quæ timebant adducam eis. Et Ierem. 7. v. 13. istud multo magis timendum addit faciam domini huic... sicut feci filo: ergo qui differunt conversionem usque ad finem vitæ, time-re debent, ne à Deo non audiantur, subsannentur, &c.

2<sup>o</sup>. Ex Patribus. Basilius vocat injustam eam conversionem, quâ infine tantum ritæ ad Deum recurrimus: flos enim, inquit, vitæ diabolo consecratur; exitus vero Deo reservatur. Audiat hoc, inquit hugo, senum sera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, & ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se & perse deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum. de. claustro animæ lib. 3. cap. 10. Aug. serm. 36. vocat eam conversionem periculosa. Si quis, inquit, positus in extrema necessitate suæ. ægritudinis voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vedit, fateo vobis, non illi negamus, quod petit; sed non præsumimus, quod bene hinc exit, si securus hinc exit, ego nescio, pænitentiam dare possumus, securitatem autem non. Non quidem dico, damnabitur; sed nec dico liberabitur, vis ergo a dubio liberari; tene certum, & dimitte incertum. Age pænitentiam, dum sanus es: Si sic agis, dico tibi, quod securus es, quia pænitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pænitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non illa.

3<sup>o</sup>. Ex Doctoribus Scholasticis. Magister sententiarum lib. 4. dist. 20. Sic de sera illa pœnitentia loquitur : *sed quoniam, inquit, multa sunt, quæ impediunt, & languorem retrahunt, periculose est, & interiori vicinum ad mortem protrahere pœnitentiae remedium.* Scotus verò ex professo agitans hanc quæstionem, probat multis rationibus pœnitentiam, quæ in fine vitæ peragitur, vix umquam esse sinceram.

1. Quidem, quia vehementia doloris mentem omnino occupat, & ne ad Deum a surgat, maximè impedit. *Cum enim, inquit Hugo Victorinus,* 2. De Sacramentis cap. 5. quando cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest. 2. Quia pœnitentia debet esse libera, & ex amore Dei saltem initiali concepta; tunc autem homo non amore ducitur, sed timore, nec sponte peccata deserit, sed ab illis deseritur, ut dicit Aug. *Si vis pœnitere, inquit, quando jam peccare non potes, peccata te animiserunt, non tu illa.*

3<sup>o</sup>. Quia pravi habitus ita dominantur in anima, eamque captivam detinent, ut eam ad peccandum quasi ineluctabiliter trahant: unde, ut ait Aug. sermone Innocentium, *hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* 4. Demum quia objecta singula, quæ imaginationi aut menti occurruunt, nos à vera conversione avertunt. Terret nos Deus, quem per totam vitam offendimus; captivat nos diabolus, cui semper morem gessimus; deserit nos

mundus, cui adhæsimus; offert se nobis infernus cum omnibus suis tormentis, quæ numquam cogitavimus.

Propositio III. sacerdos approbatus non potest citrā grave peccatum absolutionem denegare ei, quem moraliter noverit verè contritum sincerè confessum, & ex animo paratum Deo offenso satisfacere, dumquæ omnibus pensatis ritè dispositum judicat, ut non modo sine periculo, sed etiam cum fructu possit donari Sacramento.

Probatur 1. scriptura. Sicuti Apostoli missi sunt ad prædicandum Christi Evangelium, & conferenda Sacra menta, juxta illud: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ita jam sacerdotes sunt in Ecclesia, ut doceant populos, eisque Sacra menta Ministrent: ergo sicuti Apostoli crediderunt sibi illicitum esse à prædicatione Evangelii, & receptione Sacramentorum rejicere eos, quos dispositos agnoscabant: ita illud idem sibi esse prohibitum agnoscere debent sacerdotes. Imitentur petrum, qui sic habet act. 10. v. 42. præcepit nobis Deus, inquit, prædicare populo & testificari, quia ipse est constitutus à Deo ju dix vivorum & mortuorum. Et v. 47. numquid aquim quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui spiritum sanctum accepserunt sicut nos, & iussit eos baptizari. Ergo Sacra menta non possunt denegari his, qui sunt sufficienter dispositi

2. Ex patrib' inter quos ita habet Cyp. Epis.  
3. Amplector, inquit, prompta & plena dilec-

tione, cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili & supplici confitentes. Et Gregorius Nissenus hæc habet: quemadmodum, inquit, porcis Margaritas projicere est vetitum, ita & pretiosa Margarita privare eum, qui jam per alienationem, & per purgationem à vitio homo factus est, absurdum, imò injustum & iniustum, ut exponit Balsamon, locum illum. Gregorii explicans.

3<sup>o</sup>. Ratione. Sacerdos non est Sacramentorum Dominus, sed Minister fidelis: ergo quoties ad eum accesserit pœnitens ritè dispositus, debet thesaurum, cuius est dispensator, lubens sed fideliter tamen sperare, & opes divinas ei largiri: & sicut graviter peccaret ille, cui essent commis- se divitiae in eleemosynas impendendæ, si urgente necessitate, veris pauperibus, & non aliunde indignis, eleemosynam destinatam denegaret, & avarâ manu retineret: ita haud dubiè peccat, & longè quidem gravius confessarius, qui thesaurum Christi in Sacramentis contentum fidelibus cœgentibus, & ritè dispositis crudeli parcimonia occludit, liberalem Christi munificentiam coarctat, aquam gratiarum è Sacramentis fluentem retinet, demum autoritate privatâ impedire, ne fideles his Sacramentis sanctificantur, quæ non ob alium finem, quam ut fidelibus prudenter administrantur, sunt à Christo Domino insituta.

*Consectaria hujus Doctrinæ.*

**C**ONSECTARIUM I. peccaret graviter sacerdos qui pœnitenti alioquin ritè disposito privatis affectibus , vel avaritiae , vel factionum absolutionem denegaret ; quia si ne causa privaret pœnitentem gratia , quam è Sacramento posset recipere . Sic peccaret graviter Parochus , qui lites habens circa temporalia cum Parochianis , eis tamen ritè dispositis absolutionem denegaret , ductus cupiditate solius temporalis emolumenti , quod à Parochianis exigit . Hujusmodi erant Scribæ , & Pharisei , qui amore lucri faciebant proselytos , & eos solos , qui sibi utiles futuri erant , quærentes . Matthæi 23. Sic peccaret graviter sacerdos qui abreptus factionum partibus , nollet eum absolvire , qui suis partibus non staret ; tunc enim non Zelus , non religio , sed amor partium causa esset , cur absolutionem denegaret . Hujusmodi erant pseudo Apostoli , de quibus Paulus loquitur ad Galatas 4. v. 17. *emulantur vos non bene , sed excludere vos volunt , à libertate Evangelica , ut vos illos emulemini , id est ut vos habeant discipulos.* Et cap. 6.v. 13. *volunt vos circumcidiri , ut in carne vestra glorientur , & palam fiat illos plures discipulos habere.*

**C**ONSECTARIUM II. peccaret sacerdos , qui ut haberetur rigidior , & sanioris doctrinæ tenacior , his etiam absolutionem denegaret , quibus secundum Ecclesiæ Canones non esset deneganda ; mirum enim quantum va-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 153  
leat in hominum animis studium novitatis ,  
& stultus amor illius laudis , quā glorian-  
tur , qui severiores , & puriores Ministri  
haberi volunt ; nulla est Ecclesiæ indulgen-  
tia , quam non incusent , nulla benignitas ,  
contra quam non obmurmurent . Hujusmo-  
di erant Pharisæi , qui elato supercilio  
Christum quasi peccatorum amicum dedi-  
gnantes onera importabilia imponebant ,  
quæ tamen ipsi digito suo nolebant tan-  
gere . Mathæi 23.

Propositio IV. sacerdos approbatus non  
potest beneficium absolutionis impendere  
his , qui secundūm prudens judicium non  
possunt judicari verè contriti , sincerè con-  
fissi , & parati Deo offenso satisfacere .

Probatur 1. scripturā . Nulli Ministro li-  
cer conferre Sacra menta his , qui non ha-  
bent eas dispositiones , quas exigit sanc-  
titas Sacramenti , juxta illud : *nolite dare*  
*sanctum Canibus , neque mittatis Margari-*  
*tas vestras ante porcos . Math. 7. v. 6.* ergo  
non licet absolutionem impendere , nisi ve-  
rè contritis , sincerè confessis , & satisface-  
te proponentibus .

2º. Authoritate Cypriani lib. de lapsis .  
*Si quis , inquit , præpropera festinatione teme-*  
*rarius remissionem peccatorum dare se cuiquam*  
*putat posse , aut audet domini præcepta rescin-*  
*dere , dando scilicet non pœnitentiâ func-*  
*tis , non tantum nihil prodest , sed et obest*  
*lapsis ; provocasse est iram , non servasse sen-*  
*tientiam : nec misericordiam prius Dei depre-*  
*candam putare , sed contemptio Domino de sua*  
*facilitate præsumere . Et ut exprimat quan-*

tum noceat præpropera, illa absolutio hæc habet: *hoc sunt, inquit, lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum fidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.... non concedit pacem facilitas ista, sed tollit, nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem*, ergo confessarius non potest beneficium absolutionis impendere his, qui non sunt dispositi.

3º. Ratione. Minister Sacramenti non potest nisi frustra & cum sacrilegio confidere, vel tentare conficiendum Sacramentum sine materia ejusdem Sacramenti, v.g. non potest dare baptismum sine aqua, confirmationem sine oleo, confidere Eucharistiam sine pane, & vino; quia Sacramentum sine sua materia stare nequit: at qui actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio sunt materia pœnitentiaz; absolutio vero est forma: ergo nullus confessarius potest dare absolutionem his, qui prudenter judicari possunt, vel non verè contriti, vel non sincere confessi vel non parati Deo offenso satisfacere.

*consectaria hujus doctrinae.*

CONSECTARIUM I. suspendenda est absolutio his, qui sunt in vitiosa consuetudine peccandi mortaliter, donec serio & efficaciter eam eradicandam sategerint; nam peccatores consuetudinarii prudenter judicantur non esse verè contriti, & proinde incapaces absolutionis; uti enim liber à fermento febris non judicatur ille,

TRACT. DE SACRAMENTIS. 167  
qui certis periodis ardoribus febris inflam-  
matur , ita nec à fermento peccati immu-  
nis judicandus est ille , qui longā peccan-  
di consuetudine detentus , frequenter in  
eadem peccata prorumpit.

Quippe juxta scripturæ regulas , verè pœ-  
nitens est , non qui instar canis ad suum vo-  
mitum revertitur , sed qui semel lotus non  
iterum iisdem sordibus inquinatur ; non  
qui dicit , ut Judas : *peccavi tradens san-*  
*guinem justum* , non qui vitam novam fictè  
promittit , ut Antiochus ; sed qui , ut Da-  
vid , Petrus , Paulus , Magdalena , vitam  
omnino novam instituit . David enim post  
conversionem non fuit adulter , nec Petrus  
blasphemus , nec Paulus persecutor , nec  
Magdalena peccatrix ; quippè , ut ait Isido-  
rus Hispalensis *irrisor est , non pœnitens , qui*  
*adhuc agit , quod pœnitet ; nec Deum vi-*  
*detur poscere subditus , sed subsannare super-*  
*bis.* Lib. 2. sententiarum cap. 13. Ideò  
damnata est sequens propositio , & ab In-  
nocentio undecimo , & à clero Gallicano ,  
*pœnitenti habenti consuetudinem peccandi con-*  
*tra legem Dei , naturæ aut Ecclesiæ , et si emenda-*  
*tionis spes nulla appareat , nec est neganda , nec*  
*est differenda absolutio , dummodo ore proferat se*  
*dolere , & proponere emendationem.*

Sic his peccatoribus non impertienda ,  
sed suspendenda absolutio , quos ex ante  
actis confessionibus cognoscimus in eadem  
peccata sæpiùs prolapsos , quæve jam ite-  
rùm sine illâ emendationis spe subjiciunt  
confessioni ; quamvis enim pœnitentia Sa-  
cramentum sit , quod sæpiùs iterari possit ,

non tamen iterari debet erga eos , qui non sunt verè contriti , quales sunt ii , qui etiam post frequentes lapsus volunt toties sibi absolutionem impendi , quoties ea confitentur , de quibus dicit Concilium Tolestanum tertium Can. 11. *Eos fædissimè pro suis peccatis pœnitentiam agere , cum quoties peccare libuerit , toties à presbyteris reconciliari postulent.*

Sic etiani his peccatoribus frequenter in eadem criminis relabentibus non est absolutio impendenda , sed suspendenda , qui verbis promittunt se numquam peccaturos: prudentia enim dictat hæc verba non fructus , sed folia esse pœnitentiæ , ut dicit Gregorius , cum tamen Christus à nobis non folia , sed fructus exigat pœnitentiæ : faciti , inquit , fructus dignos pœnitentiæ.

Circà quodd ita nos monet Carolus , Borromœus : *confessarios , inquit , monitos volumus , ut iis , quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt , quantumvis pollicentur , ac spondeant ea se dimissuros , absolutionem procrastinent , quoad emendationem perspexerint.*

Sic , et si credendum sit semper pœnitenti se accusanti , non tamen semper credendum est pœnitenti se excusanti , mens enim nostra saepe sibi ipsi mentitur : Deus infatigabili Lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates , quibus fit , ut homo se credat mortuum peccato , dum infelicitè peccatum regnat in suo corpore : ergo ad tempus suspendenda est absolutio.

Sic , quamvis fieri possit , quod pecca-

tor consuetudinarius verè doleat, tamen  
extrà casum mortis prudentè ei suspen-  
ditur absolutio. donec constet de ejus  
fincera conversione; sicut enim cum adhuc  
dubia est materia baptismi extra casum mor-  
tis, baptismum suspendimus, donec cer-  
tam materiam habeamus; ita suspendamus  
absolutionem necessum est, donec mora-  
litè certi simus de conversione pœnitentis.  
Et quamvis Christus nec Mathæum,  
nec Magdalenam, nec Latronem remiserit,  
sed statim dixerit, *remituntur tibi peccata,*  
non idem nos confessatii agere possumus;  
quippe Christus legebat in corde veram  
contritionem, quam ipse infuderat, no-  
bis vero incogniti sunt cordis recessus.  
Christus Autor erat gratiæ, nos vero Mi-  
nistri; ille dabat pœnitentiam, nos vero  
conversionis signa debemus inspicere; &  
juxta Ecclesiæ Leges judicare; de quo ita  
habet Yvo carnotensis, Epist. 228. Ecce-  
sa, quia occultæ cordis ignorat, non solvit  
ligatum, licet resuscitatum, nisi de monu-  
mento elatum. Itaque nullus, qui detine-  
tur consuetudine peccati mortalis, absolu-  
vi debet, sive regularis, sive non regula-  
ris, sive Clericus, sive Laicus, sive hos-  
pes, sive peregrinus; sive accedat tempo-  
re paschali, sive extrà tempus paschale,  
sive tempore jubilæi, sive extrà tempus  
jubilæi, sive peccator ille consuetudina-  
rius solus debeat communionem recipere,  
sive cum aliis, ut non satis cautè fit ali-  
quando in Missionibus, in Processionibus  
publicis, &c. Quandò decernuntur Com-

muniones generales, quibus fit ut modò singulæ virgines, modò singuli adolescentes, post singuli conjuges, singulæ malieres uxoratæ Eucharistiam debeant sumere. In his, inquam, & similibus casibus absolutio impendi non debet; quia nulla est conditio, nullum tempus, nulla circumstantia, quæ valeat nos ab hac regula dispensare, scilicet extrà casum mortis, nunquam licet Sacramentum pœnitentiarum, quandiu materia est dubia, conferre: si-  
cuti enim extrà casum mortis non licet conferre baptismum cum materia dubia, ita neque absolutionem. Nec festivi dies possunt efficere, ut ab hac regula recedamus, ut monet Chrisostomus, homilia 3.  
cap. 1. Epist. ad Ephes. Si advenerit, inquit, tempus sanctæ quadragesimæ, qualis-  
eumque fuerit quispiam fit particeps Sacra-  
mentorum, si advenerit dies Epiphaniorum. At-  
qui tempus ad ea accedendi non sunt Epiphani-  
a, neque quadragesima facit dignos qui at-  
cedant, sed animæ sinceritas & puritas: cùm  
ea semper accede; absque ipsa nunquam.

C O N S E C T A R I U M II. Absolutio suspendenda est his, qui ignorant mysteria fidei; quia censentur non esse sufficientes dispositi. Dispositio enim ad Sacra-  
mentum est fides Sacramenti & dolor de peccatis; quippè juxta Christi præceptum, adulti instruendi sunt, antequam baptima-  
te abluantur, juxta illud Christi: euntes do-  
cate omnes gentes, baptisantes eos in nomine,  
&c. ergo neque pariter admittendi sunt  
ad absolutionem, nisi prius instruantur.

Quo circā damnata est sequens propositiō ab Innocentio undecimo , & à Clero Gallicano : *Absolutionis capax est homo , quantumvis laboret ignorantia misteriorum fidei , & etiam si per negligentiam culpabilem neficias misterium sanctissimae Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Iesu-Christi , sufficit illa mysteria semel credidisse.* Sic juxta acta Ecclesiae Mediolanensis parte quarta , si pœnitens ignorans mysteria fidei accedat , si dē ea re nunquam antea monitus fuerit , poterit absolvi , dummodū 1. ea præmittatur instructio quam pœnitentibus satis esse Sacerdos censuerit , ut tanto beneficio non sit indignus. 2. Modò pœnitens certò promittat se quam citius poterit iis addiscendis operam daturum.

Si autem vel à confessario suo eodem , si ve à diverso , vel à sua ipsius conscientia jam admonitus cam adhibere diligentiam neglexerit , quoꝝ pro illius ingenii captu ad ea discenda sufficit , non prius absolvendus est , quam obligationi huic , aliqua saltem ex parte , fecerit satis. Si vero pœnitens sit adeo rudis , & debilis memoriæ , ut nihil possit memoriter retinere , tunc clare quantum fieri potest , proponenda sunt mysteria fidei , & statim dicendum , credisse Deum creasse istum mundum , Deum esse Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum , &c. Vide catechismum historicum Domini de Fleury , ubi in proemio ostendit etiam rudioribus misteria fidei.

CONSECTARIUM III. Qui est in occasione proxima , tum *per se* , tum per ac-

172 MORALIS CHRISTIANA  
cidens peccati mortalis, non est absolvendus, quia est in affectu peccati mortalis, etenim, ut ait scriptura, qui amat periculum, in illo peribit. Eccles. 3. v. 27. qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Eccles. 3. v. 1. Proinde qui in occasione peccandi permanet, vel ex eo reus est, quod Dominum Deum suum tentat: ridens ergo, & non serio ait: *Et ne nos inducas in temptationem;* cum lubens seipsum in peccandi occasiones projiciat. His, & aliis rationibus motus Summus Pontifex damnavit sequentem propositionem: *Potest aliquando absolviri, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimodo directe, & ex proposito querit, & se ingerit.*

Occasio per se ea est, quae de se trahit ad peccatum vel semper, vel ut plurimum, v. g. societas mulieris, cum qua semel, vel plurius peccasti.

Occasio per accidens, ea est, quae non ex natura sua sed ex defectu, & ex debilitate pœnitentis trahit ad peccatum vel semper, vel ferè semper; talis est v. g. status Clericalis in eo, qui nescit, quae pertinent ad statum Clericalem.

Sic quotiescumque Sacerdos videt, quod pœnitens est in occasione, quae vel per se, vel per accidens trahit frequentè illum ad peccatum, debet ipsi præcipere, ut deserat occasionem; nec audiendæ sunt excusationes, quas saepius prætexunt pœnitentes, sed inculcandum illud Christi: *si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, hoc est, si sit ruina vel perditionis occasio, abscinde eum,* &

TRACT. DE SACRAMENTIS. 173  
projice abs te, &c. Ubi hæc notat Chrysostomus: vim sermonis observa, inquit, non enim dicit à talium societate discede, sed maximam separationem indicans, Erue, inquit, & projice abs te.

Si verò occasio abjici nequeat, suspendenda est absolutio, donec resipuerit.

CONSECTARIUM IV. Suspendenda est absolutio ei, qui non vult reconciliari cum inimicis; quia est in affectu peccati mortalis, nec servat ordinem charitatis. Vide, quæ diximus de charitate erga proximum tom. 2. interim accipe, quæ sint observanda in reconciliatione inimicorum.

Si pœnitens fratrem offenderit, vadat reconciliari fratri suo, & veniam petat, antequam absolvatur. Ita enim Dominus ipse præcepit Matth. 5. v. 23. si offeras munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.

Nisi fortè persona offensa ita inferior sit, ut nullatenus hoc debeat fieri; quo in casu, loco petitionis venia blanda appellatio fieri debet, ut docet Aug. hom. 40. c. 5.

Si autem offensus ipse est, non debet petere veniam, sed vel corrripe fratrem, seu admonere secundum Christi præceptum. Matth. 26. v. 15. si peccaverit in te frater tuus vade, & corrripe eum inter te & ipsum solum, aut saltem ad eum mittat pacificos intercessores à quibus admoneatur, ut docet Aug. hom. 40. cap. 5. vel si hoc fieri non possit, ipse offendam de memoria delete studeat;

174 MORALIS CHRISTIANA.  
& Deum pro adversario oret, non ut punia-  
tur, sed ut corrigatur. Aug. hom. 40. cap.  
6.

Si offensæ mutuæ fuerint, ipse pœnitens  
veniam petere debet ab adversario de eo,  
quod fecit; sive plus ab ipso offensus fue-  
rit, sive minus; sive adversarius veniam  
postulet de eo quod fecit, sive non, memor  
quod Christus, licet à nobis offensus, ta-  
men nos pluribus beneficiis cumulat, & no-  
biscum reconciliari, & optat, & eniti-  
tur.

CONSECTARIUM V. Suspendenda est abso-  
lutio ei, qui non vult eam restitutionem la-  
cere, ad quam tenetur; quia est in affectu  
peccati mortalis: non enim remittitur pec-  
catum, si non restituatur ablatum. Vide,  
quæ diximus de restitutione. tom. 4. tract.

4.

CONSECTARIUM VI. Suspendenda est ab-  
solutio ei, qui dat scandalum, vel occasio-  
nem peccandi, nisi scandalum sincerè velit  
& abjicere, & reparare; quia est in affectu  
peccati mortalis. Quinam sint, qui dant  
scandalum, diximus, ubi de scando. Tom.  
2.

CONSECTARIUM VII. Sacerdos non potest  
absolvere Sacramentaliter absentem, qui  
per Epistolam sua peccata declaravit; quia  
Confessarius non potest prudenter judicare  
pœnitentem esse ritè dispositum; cum ipsi  
omnino incognitum sit, an à tempore scrip-  
tæ Epistolæ nova peccata commiserit, an  
in suscepto proposito non peccandi de cæte-  
ro permanferit; cum insuper moraliter pre-

sens debeat esse , qui absolvitur , sicut moraliter præsens debet esse materia panis , & vini , quæ consecratur ; hæc enim verba , *Ego te absolo* , non minùs ad personam moraliter præsentem diriguntur , quām hæc verba : *hoc est Corpus meum* , ad materiam moraliter præsentem . Ideò Clemens VII. sequentem propositionem damnavit ; *licet per litteras , aut per internuncium confessario absenti confiteri Sacramentaliter , & ab eodem absente absolutionem obtainere* .

**CONSECTARIUM VIII.** Sacerdos non potest etiam in periculo mortis moribundum absolvere , qui flagitiosam vitam duxit , vel qui in ipso actu peccandi sensibus destitutus , vel nulla dedit , vel nulla dat signa pœnitentia ; quia confessarius prudenter agens judicat hominem illum non esse ritè dispositum : si enim rationem vitae ante actæ astimet , multa videt , quæ postulant ut ei absolutione denegetur . Si attendatur præsens status , nihil est quod confessarium moveat , ut absolutionem impertiatur ; cum juxta Concilium Cartaginense 4. jam citatum Confessarius debeat quærere testimonium conversionis ; vel à præsentibus , vel conjicere ex verbis , aut nutibus ipsius pœnitentis . Si vero Sacerdos in futurum prospiciat , timendi locum habet ne Sacramentum exponat risui ; ficitii enim illi poenitentes , si forte convalescant , non ratum habent quod eorum nomine gestum est , ut dicit Concil. Toletan. 12. can. 2. Admonet Sacerdotes , ne pessim , & licenter donum pœnitentiae non penitentibus auleant prorogare .

Sic desertores Ecclesie , publicè excōm-

176 MORALIS CHRISTIANA.  
municati, Hæretici, schismatici, publici  
peccatores, duellistæ, &c. In his circum-  
stantiis, si nulla dent, aut dederint signa  
pœnitentiæ, non sunt absolvendi.

CONSECTARIUM IX. Juxta communem  
Theologorum Scolasticorum sententiam si-  
delibus repento morbo correptis, & om-  
nino obstupescientibus; si nec in morbo,  
nec ante morbum, nec verbis, nec nutu Sa-  
cramentum petierint, nullaque dederint  
signa pœnitentiæ, non est impertienda ab-  
solutio, licet illi fideles Catholicè antea vi-  
xerint. Primo, quia forma absolutionis de-  
bet applicari materia sensibili, & morali-  
tè præsenti; contritio autem hujus mo-  
rientis incerta est omnino, & si quæ sit in  
eius corde, est penitus insensibilis. Sancta  
etiam vita ante acta; et si perpetuum fuerit  
desiderium implicitè postulans absolutiorem,  
non est tamen materia apta, cui applicari  
possit absolutio; tum quia incertum est, an  
aliquo mortali peccato interruptum fuerit  
implicitum hujusmodi desiderium; tumquia  
hic, & nunc datur absolutio, & pia illa vi-  
ta jamdudum transit; & proinde materia,  
& formæ sibi moraliter non coexisterent;  
quod tamen est ad valorem Sacramenti omni-  
no necessarium. Demum, inquit, nullum  
est in antiquitate Ecclesiastica hujus  
præeos vestigium: quin è contra jubent  
Concilia, ut non passim detur absolutio, sed  
cautè impendatur his, qui per se ipsos, vel  
verbis, vel nutibus eam postulant, vel eam  
postulasse testimonium reliquerunt.

Sunt tamen insignes autores, qui hujus-

modi fideles, qui Catholicè vixerunt, privandos non esse absolutione Sacramentali contendant; licet ex improviso morbo sensus omnes intercludente eam postulare non possint. Etenim, inquiunt, ex dura illa disciplina sequeretur, quod non ex liberæ voluntatis vitio, sed ex improvisa omnino morbi malignitare melior esset conditio hominis flagitiosi, qui in ipsa mortis periodo absolutionem timore magis, quam amore postulat, quam sit conditio hominis Catholicæ viventis, qui per totam vitam & absolutionem petiit, & eam piis operibus promeruit. Durior ergo esset, inquiunt, Ecclesia erga filios humiles, & obedientes, et quod infelici casu loqui non valeant, quam sit erga filios semper rebelles, semper scandalosos et quod infine vita pacem, & reconciliationem postulant. Quapropter, inquiunt, incutienter homini, de quo agitur, impendenda est Sacramentalis absolutionis; quia juxta Aug. lib. i. de adulteriis conjug. cap. ultimo. *Quia autem Baptismatis eadem reconciliationis est causa, si forte penitentem finienda vita periculum praecipavit, nec ipsos enim ex hac vita sine arrha sue pacis exire vellet mater Ecclesia.* Ergo sicut Baptismum Catechumeno obstupescenti non negarent, ita nec Catholicò improvisa morbi vi obstupescenti neganda est absolutionis ut argumentatur Aug. Nec est quod dicas, inquiunt, dubiam, & incertam esse materiam ex parte penitentis; nam in casu mortis, cum dubia, & incerta materia Sacra menta conficimus. Nec est, inquiunt, quod

causeris actus pœnitentis cum absolutione  
Sacerdotis simul moraliter non coexistere;  
nam ante acta vita usque nunc perse-  
verans absolutioni coexistere censenda  
est: & sicut apud magnates satis pe-  
tit, qui fideliter ministrat, ita à fortiori  
in Ecclesia Catholica sufficienter petuisse  
censendus est, qui Catholice vixit, & sicut  
eleemosynæ postulabant olim pro Dorca, &  
moverunt Petrum, ut eam à mortuis susci-  
tarét, ita ante acta vita movere debet Sa-  
cerdotem, ut absolutionem impendat pio  
Catholico in subita ægritudine obstupescen-  
ti. Ita jubet, inquit, Sacerdotale Ro-  
manum Venetiis apud Joannem Voriscum an.  
1560. impressum; ita Concilium Lemovi-  
cense an. 1619. ut videre est apud Morinum  
lib. 10. de administ. pœnite cap. 6.

In tanta sententiarum diversitate, & in  
tam periculoso denegatae absolutionis dis-  
crimine, vellem primò, ut Sacerdos casum  
illum prævideret, Episcopumque consule-  
ret, ut ab eo instiueretur, quid opus sit facto in  
illis circumstantiis, vellemque ut confessarius  
eam sequeretur præxim; quæ observatur in  
ea Diœcesi, in qua comoratur.

2. Si Episcopus nihil velet circà hoc de-  
terminare, totumque relinquat confessari  
prudentiæ, vellem ut ægrotō obstupescen-  
ti, si per tempus sufficeret, ei conferretur  
Extrema-unctio modò decenter conferri pos-  
set; etenim illud Sacramentum remittit pec-  
cata in his, qui sunt contriti, quando con-  
fiteri non possunt, ut contingit in nostro casu.

3. Si nec tempus, nec vis morbi, nec na-

tura loci patientur conferri Extremam-Untionem, vellem cum adstantibus preces pro ægrotante effundi, & quidem tandiù, quandiu non esset mors imminens, ut expectaretur occasio alicujus signi pœnitentiae percipiendæ, ut obtineretur à Deo debita dispositio pro moriente ad absolutionem cum fructu percipiendam: tandem imminente morte absolutionem impendendam ducrem; nec credo me ita praxi Sorbonæ, quam summè veneror, contradicere: non enim Sorbona eam praxim in certis casibus damnavit, sed solùm noluit passim & omni casu sine ulla cautela moribundis singulis impendi absolutionem.

CONSECTARIUM X. Qui in aliquod grave, & insolitum peccatum lapsus est, v.g. adulterium, sodomitam, &c. non statim est absolvendus, sed si commodè fieri possit, dimittendus est per aliquod tempus, ut per pœnitentiae opera ad ardentiorem contritionem excitetur, ut enim ait Ambrosius in psalmum 37. Ut Medicus medendi tempus expectat, ut digestis ægritudinibus medecinae subsidia deferantur; nec acerba adhuc & immatura, ut afferunt, ægritudo curationis remediis reluctetur, & beneficium sentire non possit, ita differendum aliquandiù absolutionis remedium, ut efficacius operetur. Sic Petrus conversus non statim venit ad Christum, sed egressus foras flevit amarè: sic Paulus conversus tribus diebus neque manducavit, neque bibit, & posteà baptismum accepit, ut habes act. 9. *Et nunc quid moraris? inquit illi Ananias, exurge, baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.*

Propositio V. Quandò pœnitens non est sufficienter dispositus, imponenda sunt ei quædam opera satisfactoria, quibus ad veram contritionem disponatur.

Probatur Scripturā: Cum Petrus vellet Judæos ad baptismum recipiendum præparare, eos ad pœnitentiam adhortatur, ut piis illis operibus majori cum fructu baptismum recipient. Pœnitentiam, inquit, agite & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. act. 2. v. 38. Et idem Petrus alloquens Simonem jam baptizatum volentem emere Spiritum sanctum, sic habet: Pœnitentiam, inquit, age ab hac nequitia tua, & ora Deum si fortè remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. act. 8. v. 22. ergo injungenda sunt opera salutaria, ut ad gratiam sacramenti disponantur pœnitentes.

2<sup>o</sup>. Ex Conciliis. Opera satisfactoria ante absolutionem peracta tantæ videbantur efficaciam in Ecclesia, ut qui in illo exercitio, etiam sine absolutione accepta morerentur, non habebantur à regno cœlesti alieni, ut constat ex Concil. Carthag. 4. cap. 79. Pœnitentes, inquit, qui attentè leges pœnitentie exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur: & passim dicitur in Conciliis: De his qui in pœnitentia positi vitâ excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoraverint pœnitentiam, oblatio pro illis recipiatur. Ergo satisfa-

**T R A C T . D E ' S A C R A M E N T I S .** 181  
satisfactio ante absolutionem exercita multum prodest apud Deum : ergo debet imponi his , qui non sunt sufficienter dispositi ; contingit enim , ut docet catech. Trid. de satisf. num. 68. ut qui duro animo ad pœnitentiæ sacramentum accesserant , ita emollitos esse , ut veræ contritionis dolorem conceperint.

3<sup>o</sup>. Ratione. In dubio an pœnitens sit sufficierat dispositus , debemus ad ea media recurrere , quæ ad impetrandam veram pœnitentiam habentur in Ecclesia efficacia- ta , ut patet : atqui nulla alia possunt effi- caciora reperiiri , quam quædam opera sa- tisfactiora à confessario imposta , cum ea præter meritum proprium etiam quasi vim habeant sacramenti ; ergo ad ea recurrendum est , cum in Ecclesia ut sancti habitu sint , qui in pœnitentiæ exercitio sine reconcilia- tione inopino casu defuncti sunt.

**C O N S E C T A R I U M   U N I C U M .** Quoties acce- dunt pœnitentes , in quibus dominatur cu- piditas , solus spirat sæculi genius , nihil cernitur christianæ religionis , quales sunt illi , qui vel toti sunt in divitiis congregan- dis , vel in deliciis captandis , vel in hono- ribus mundanis ambiendis , vel qui negle- citis divitiis , deliciis , & honoribus , nec gravibus vitiis dediti , ita Deum , & virtutis exercitia negligunt , ut magis extra vitia quam intra virtutes esse videantur : tunc suaviter admonendi sunt pœnitentes , nul- lam esse vivendi rationem eo statu pericu- losiorem , & proinde vacandum esse oratio- ni ; aliisque pietatis exercitiis insistendum : temperandum esse à sollicitâ divitiarum cu-

Fa, abstinentia à sæculi voluptatibus, quæ sursum sunt sapienda, demum omittienda non solum gravia illa scelera, quæ nos à Deo removent; sed maximè pertimescendam esse eam pigritiam, quâ in salutis nostræ negotio ita languentes sumus, ut eam omnino negligere videamur.

**Propositio VI.** Quandò pœnitens videtur sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem, non est remittendus absque absolutione, donec vel ex toto, vel ex parte impositam à Sacerdote pœnitentiam pergerit; sed est absolvendus modò ad gratiam reconciliationis se quibusdam plius exercitiis præparaverit.

Probatur 1°. Nulla est lex in Scriptura, quæ præcipiat satisfactionem antequam absolutione impendatur, ut expressè docet Alex. VIII. dammando hanc propositionem: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia. aut justitia Ecclesie, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei idipsum quodammodo dictante.*

2°. Auctoritate Alexand. VIII. damnantis istas propositiones: *Per illam proxim mox absolvendi, ordo pœnitentiae est inversus. Conuetudo illa moderna, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusus.*

3°. Ratione. Ad valorem sacramenti nihil aliud requiritur quam materia, & forma: atque materia pœnitentiae sunt contrito, confessio, & propositum satisfaciendi; & forma sunt hæc verba: *Ego te absolvo: ergo*

ante absolutionem non prærequiritur necessariò ut satisfactio imposita à Sacerdote peracta sit.

CONSECTARIUM UNICUM. Quandò peccator, vel tempore jubilæi, vel tempore missis, aut in aliarum rerum circumstantiis dolens, & compunctus accedit, & juxta regulas prudentiæ judicatur sincerum pœnitentiæ affectum Deo interius movente concepisse, si conmodè differri non possit, nec ad alium confessarium remitti, cui utiliter sua iterum peccata confiteri valeat, impendenda est absolutione, & ad majorem cautelam differenda Eucharistiæ receptio; absolutionis enim largitionem videtur exigere contritio, & compunctione, quæ interius movetur: dilationem vero Eucharistiæ videtur exigere nova Neophyti conversio. Per absolutionem peccata, quæ confessus est, remittuntur, per communionis dilationem securitati pœnitentis providetur. Talis videtur fuisse praxis Aug. & Chrysost. Aug. enim sic habet: *Si semel aliquis, vel secundò peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamenta consugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fæditate recipiet.* En quomodo Aug. pristinam incolumitatem restituì innuit hujusmodi pœnitenti per pœnitentiā nihil dicens de Eucharistia. Chrysostomus vero homil. de sancto Phylogono pœnitentem Neophyton suavius consolatur; sic enim habet: *Neque mihi quisquam dixerit, reveror; habeo conscientiam peccatis oppletam, sicutinam circumfero gravissimam; sufficit enim*

194 MORALIS CHISTIANA.  
horum quinque dierum tempus , scilicet qui Epiphaniam præcedebant , si sobrius fueris , si attentus , si vigilaveris , ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem . Nec illud perpende quod breve tempus est , sed illud considera quod benignus est Dominus : quandoquidem & Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei à se depulerunt . Nec obstitit illis temporis angustia , sed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem , totum peragere valuit , & meretrix illa brevi temporis momento , cum ad Christum accessisset , omnia probra diluit . Dominus de Ste. Beuve eandem praxim consulit .

#### ARTICULUS V.

IN quo principium superius statutum , scilicet (*mutatio essentia lis , tum in materia , tum in forma , tum in intentione , tollit Sacramen tum ; minimè verò accidentalis .*) Applicatur ad Sacramentum Extremæ-unctionis .

Propositio 1. Materia remota Extremæ-unctionis est oleum olivarum , oleum , inquam , ab Episcopo consecratum , ut fert plurium Theologorum sententia , & continua Ecclesiæ praxis , quamvis à plerisque doctissimis Theologis negetur ad valorem hujus Sacramenti requiri hujusmodi olei consecrationem ; imò censent aliqui , posse à simplici Sacerdote fieri , saltem ex commissione Ecclesiæ , olei benedictionem ; ut faciunt Græci . Materia proxima est unctione facta circa sensus externos , v. g. visum , auditum , &c. Forma verò hujus Sacramen-

TRACT. DE SACRAMENTIS 183  
ut; quæ aliquando fuit partim deprecativa, partim indicativa, ut constat ex Sacramentatio Gregorii, & veteribus pontificalibus, secundum præsentem Ecclesiæ praxim, consistit in istis verbis: Per istam sanctam Unctionem, &c. indulgeat tibi Deus quidquid per sensus; v. g. visum, auditum &c. deliquisti.

Probatur 1. Scriptura. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbiteros Ecclesie, & orent super eum; ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Jacob. 5. v. 14. Ubi Apostolus indicat materiam remotam esse oleum, proximam, ipsam olei super ægrum applicationem; formam vestis, orationem factam à Sacerdotibus.

2. Ex Trident. sess. 14. cap. 10. De Extrema-unctione. Intellexit Ecclesia, inquit, sancta Synodus, materiam Extremæ-unctionis esse oleum ab Episcopo benedictum, nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, quam invisibiliter anima ægrotantis inungitur, representat, formam deinde esse illa verba: per istam sanctam unctionem.

3. Ratione. D. Thom. Oleum quatenus roborans designat vires, quas infirmus accipit contra omnes tentationes insurgentes à Dæmonie, à peccatis, & à morbi malignitate; oleum quatenus curans, designat gratiam animam sanantem, & corpus alleviantem, quam ægrotus accipit per hanc unctionem; Oleum quatenus benedictum ab Episcopo, designat quandam

plenitudinem gratiæ , quæ confertur per hoc Sacramentum , ex eo quod absterget peccatorum reliquias ; & infirmum proximè ad beatitudinem disponat ; Ergo oleum ab Episcopo benedictum habet omnia requisita , ut sit materia hujus Sacramenti . Ergo de facto est ejus materia . Hæc verba , per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus , quod per sensus deliquisti , optimè exprimunt effectus hujus Sacramenti : Ergo aptissimè adhibentur , ut sint forma hujus Sacramenti :

### *Consecratio hujus Doctrinæ.*

**CONSECTARIUM.** I. De multiplici mutatione , vel essentiali , vel accidentalí , quæ potest contingere circa materiam remotam hujus Sacramenti . Si quis loco olei adhiberet aliam materiam ad ungendum infirmum , v. g. adipem , butyrum : immo oleum nucum , amigdalatum , &c. non esset Extrema-unctionio defectu materiae ; prædicta enim non possunt dici absolute oleum : Oleum , inquit . D: Thom. principaliter nominatur olivæ , cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum , olei nomen accipiant . Suppl. 2. 19. a. 4. in corpore .

Si quis loco olei benedicti adhiberet complexum oleum juxta complures dubium esset Sacramentum , immo nullum juxta D: Thom. Oleum enim Extremæ-unctionis , debet esse benedictum , ut ait idem Doctor , quia Christus non est usus materia Extremæ-unctionis , sicut usus est materia bap-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 187  
tismatis ; ergo debet materia Extremæ-  
unctionis consecrari supplem. q. 19, a, 5.

Si quis loco olei benedicti ab Episcopo-  
uteretur oleo benedicto à simplici Sacerdo-  
te, illicitum esset Sacramentum juxta om-  
nes, quia ex Trident, & ex praxi conti-  
nua Ecclesiæ Latinæ oleum debet esse ab  
Episcopo benedictum, imò nullum juxta  
D. Thom. Quia materia hujus Sacramenti  
debet ab Episcopo benedici: est enim prin-  
cipalis Sacerdos, ad quem de jure perti-  
net hæc benedictio. Imò Estius addit Pa-  
pam non posse dispensare , ut per alium  
quemcumque , quām Episcopum possit fie-  
ri olei infirmorum benedictio.

Si quis loco olei infirmorum adhiberet  
vel chrisma , vel oleum catechumenorum  
juxta complures non esset Sacramentum,  
quia licet hæ materiæ sint benedictæ, non  
habent tamen specialēm benedictionem ,  
qua competit oleo infirmorum.

Si quis loco olei isto anno benedicti  
uteretur oleo anno superiore benedicto,  
validum esset Sacramentum ; quia verè ad-  
esset materia, sed illicitum esset Sacra-  
mentum ; quia jubet Ecclesia vetere oleo ex-  
iusto novum quolibet anno benedici oleum  
infirorum.

Si quis deficiente oleo benedicto , ad-  
misceret in minori quantitate oleum non  
benedictum , Sacramentum esset , & vali-  
dum , & licitum ; quia , ut dicitur. cap.  
quod in dubiis de consecratione Ecclesiæ ,  
non negamus , quin oleum non consecratum  
consecrato possit oleo commisceri ; tunc enim

188 MORALIS CHRISTIANA.  
preces super oleum consecratum effusæ ad  
oleum non consecratum extenduntur.

CONSECTARIUM II. De multiplici  
mutatione, quæ potest contingere in Ex-  
trema-unctione ex parte materie proxime.

Si quis nullum ungeret sensum infirmi,  
non esset Sacramentum; quia non esset  
applicatio materiæ remotæ. Validum ta-  
men, sed illicitum esset Sacramentum, si  
extra casum necessitatis quilibet Sacerdos  
non eas ungeret partes, quas usus Ecclesiæ  
suae ungendas præscribit. v. g. Sacerdos  
Græcus juxta Arcudium debet ungere ægri  
frontem, mentum, ambas genas; ita ut  
fieri videatur in capite in modum crucis,  
deinde pectus, tunc manus ex utraque par-  
te, postremò pedes. Latinus verò Sacer-  
dos, juxta Greg. debet ungere quinque  
sensus, aut proximiores partes sensibus, si  
ipsi sensus inungi non possunt ex aliquo  
casu: & insuper in aliquibus diœcesibus  
pectus inungitur, minimè verò in aliis.  
Ratio horum est, quia Sacerdos extra ca-  
sum necessitatis, nunquam debet omitte-  
re usum suæ Ecclesiæ.

Validum, & licitum est Sacramentum,  
si in casu necessitatis ungat tantum Sacer-  
dos unam infirmi partem, cum hac univer-  
sali forma: indulgeat tibi Deus, quicquid  
per sensus deliquisti; ita Rituale Mechli-  
niense approbatum ab Academia Lova-  
nienfi,

CONSECTARIUM III. De multipli-  
ci mutatione, vel essentiali, vel accidentalij,  
qua contingere potest ex parte forme.

Si quis sine verbis , vel indicativis , vel deprecatoriis adhiberet sacram unctionem , non conficeretur Sacramentum , quia Sacramentum nequit esse sine forma.

Si quis utatur formâ indicativâ : v. g. *Ungote o'eo sanctificato* , ut fiebat in Ecclesia Mediolanensi , juxta omnes Sacramentum jam esset illicitum ; quia esset contra praxim præsentem Ecclesiæ : imò juxta D. Thom. esset nullum ; quia forma Extremæ-unctionis , juxta illum , debet esse deprecatoria.

Si quis omittat hæc verba : *indulgeat tibi Deus* , aut æquivalentia , non erit Sacramentum ; quia destruitur sensus formæ.

Si quis verò omittat hæc verba , per pessimam suam misericordiam , per istam sanitatem unctionem ; & ista pariter , in nomine Patris , & filii &c. Validum est Sacramentum ; quia hæc omissione non variat sensum formæ ; nam unctione satis designatur per ipsam olei applicationem. Divinam misericordiam intervenire satis indicant ista verba , *indulgeat tibi Deus*. Invocatio explicita Trinitatis non est necessaria ; quia illud Sacramentum non est professio fidei , ut baptismus.

CONSECTARIUM IV. *De varia mutatione* tum essentiali , tum accidentali , quæ contingere potest circè intentionem. Si quis extremam unctionem conferat sine intentione faciendi , quod facit Ecclesia , nihil peragit : hæc enim intentione est necessaria Sacramento ; si vero cum intentione faciendi , quod facit Eccle-

190 MORALIS CHRISTIANA:  
sia , pravas alias intentiones , ut lucri, vanitatis &c. efformet , validum quidem , sed illicitum est Sacramentum. Validum est ; quia habet , quæ sunt necessaria Sacramento ; illicitum vero ; quia pravis illis intentionibus lucri & vanitatis &c. illicite tractat Sacramentum.

#### ARTICULUS VI.

In quo principium Superius statutum , scilicet *mutatio substantialis in materia, forma, & intentione; minimè verò accidentalis tollit Sacramentum* , applicatur ad Sacramentum ordinis.

Propositio I. remota materia ordinis, est impositio manuum , cui impositioni manuum Ecclesia Latina addit traditionem instrumentorum , quibus designatur potestas per ordinem suscepta.

Forma vero est oratio , quæ ab Episcopis recitatur cum impositione manuum ; cui orationi Ecclesia Latina addit formulam , quæ dicitur , cum traduntur instrumenta , v. g. accipite potestatem offerendi sacrificium. Probatur 1<sup>o</sup>. Scripturâ. Quoties scripturâ loquitur de ordinatione , toties meminit impositionis manuum , & effusionis orationum. Sic de ordinatione Diaconorum dicitur act. 6. & orantes imposuerunt eis manus , de presbyteris vero , & Episcopis ordinatis , ita loquitur Paulus : Admoneo te , ut resuscites gratiam , quæ est inte per impositionem manuum mearum. 2. Ad Timoth. ergo juxta scripturam ad ordinationem requiritur

2. Ex Hieronyno in cap. 58. Isaï ubi sic habet: *ordinatio*, inquit, *non solum ad invocationem vocis sed etiam ad impositionem impletur manum*: ergo ad ordinationem duo requiruntur & oratio, & impositio manuum; & quia oratio determinat impositionem manuum, oratio habebit rationem formæ, impositio vero manuum rationem materiæ.

3'. Ratione. Ex scripturâ, Conciliis, & patribus in ordinatione requiritur impositio manuum, & oratio, & insuper juxta Eugenium apud latinos traduntur instrumenta cum quadam orandi formulâ: atquæ oratio determinat impositionem manuum, & orandi formula determinat traditionem instrumentorum: ergo & impositio manuum & instrumenta tradita habent rationem materiæ; oratio vero effusa cum imponuntur manus, vel cum traduntur instrumenta, habebit rationem formæ.

*Consecataria hujus doctrine.*

CONSECTARIUM I. Totiès Sacramentum. Ordinis ut invalidum habendum est, quoties abest vel impositio manuum, vel oratio; quia hæc duo in Ecclesia Græca, & Latina habentur ut materia, & forma essentialis: imò juxta aliquos quoties in Ecclesia Latina non intervenit traditio instrumentorum, quibus designatur potestas collata ordinato, & forma, quæ dicitur cum traduntur instrumenta; quia in Eccle-

292 MORALIS CHRISTIANA.  
sia Latina hæc duo habentur ut materia;  
& forma essentialis juxta aliquos Theo-  
logos, vel saltem ut materia, & forma  
integrans juxta alios; primum scilicet im-  
positionem manuum & orationem docent  
scripturæ & continua Ecclesiæ Græcæ & La-  
tinæ praxis, postremum nempe instrumento-  
rum traditionem cum aliqua verborum for-  
mula indicat Eugenius IV. in instructione  
ad Armenos: *Sextum*, inquit, *Sacramen-*  
*tum est ordinis, cuius materia est illud, per*  
*cujus traditionem confertur ordo, sicut pres-*  
*byteratus traditur per Calicis cum vino;*  
*& patenæ cum pane porreptionem.... v. g. for-*  
*ma sacerdotii talis est, accipe potestatem of-*  
*ferendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, &*  
*mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spi-*  
*ritus Sancti.*

Sic nulla est ordinatio Episcopi, Pres-  
byteri, & Diaconi, si non adsit imposi-  
tio manuum, & oratio, quam servat ultra-  
que Ecclesia Græca & Latina, immo ut nul-  
la habenda est apud Latinos, si non inter-  
veniat traditio eorum instrumentorum, qui-  
bus designatur potestas tradita ordinato, &  
formula, quæ recitatur in illa instrumen-  
torum traditione, v. g. si in ordinatione  
Episcopi non tradatur liber Evangeliorum  
cum hac formula: *Accipè Evangelium, acci-*  
*pè spiritum sanctum;* si in ordinatione Pres-  
byteri non tradatur calix cum vino, pa-  
tena cum pane; & recitetur hæc formula:  
*accipè potestatem &c.* Si in ordinatione Dia-  
coni non tradatur liber Evangeliorum &

non

non recitetur oratio, designans potestatem Diacono traditam.

Sic nulla est collatio Subdiaconatus, & quatuor inferiorum ordinum in Ecclesia Græca, si non interveniat impositio manuum & oratio; in Ecclesia vero Latina traditio instrumentorum, quia materia, & forma illorum inferiorum ordinum apud Græcos est impositio manuum cum oratione, apud Latinos traditio instrumentorum cum recitatione formulæ in Pontificali contentæ v. g. Ostiario traduntur claves Ecclesie, exorcistæ liber exorcismorum, Acolytho candelabrum, & ampullæ vacue; Subdiacono calix vacuus, & patena vacua superposita Calici.

**CONSECTARIUM II.** Totiès Sacramentum ordinis, ut validum quidem, sed ut illicitum habendum est, quotiès absunt accidentales quædam cœremoniæ, vel apud Græcos, vel apud Latinos observari solitæ, quas nec Concilia, nec patres, ut essentiales habent: hujusmodi sunt uncio Episcoporum; talia sunt pariter certæ vestes, & ornamenta tradita Diacono, Subdiacono, & aliis Clericis inferioribus.

**CONSECTARIUM III.** Totiès Sacramentum ordinis, ut invalidum, & nullum habendum est, quotiès in eo, qui ordinat, aut in eo<sup>9</sup>, qui ordinatur intervenit intentio contraria faciendi quod facit Ecclesia, quia intentio faciendi, quod facit Ecclesia, est necessaria ad validitatem Sacramenti.

**CONSECTARIUM IV.** Totiès Sacra-

Tome VII.

S

194 MORALIS CHRISTIANA.  
mentum ordinis, ut validum quidem, sed  
ut illicitum habendum est, quoties servata  
intentione faciendi, quod facit Ecclesia, su-  
pervenit alia intentio quantumvis perversa,  
vel lucri, vel vanitatis, &c. Quia intentio,  
quæ supervenit Sacramento, non destruit  
Sacramentum.

CONSECTARIUM V. Toties tonsura,  
ut valida habenda est, quoties confertur  
juxta regulas à Tridentino descriptas s. 23.c.  
4. de reformat. Prima, inquit, tonsura non  
initientur, qui Sacramentum Confirmationis  
non suscepérunt, & fidei rudimenta non edocí  
fuerint, quique legere & scribere nesciant, &  
de quibus probabilis conjectura non sit eos, non  
sæcularis judicij fugiendi fraude, sed ut Deo  
fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus ele-  
gisse.

CONSECTARIUM VI. Toties tonsu-  
ra, ut valida quidem, sed illicita haberí de-  
bet, quoties confertur, aut accipitur diver-  
so fine ab eo, quem exigit Ecclesia.

Sic validè quidem, sed illicite tonsuram  
recipit, qui hac sacrâ cæremoniâ se initiari  
postulat, ut beneficia Ecclesiastica possit  
accipere, ut bursam in aliquo collegio pos-  
sit obtinere, firmum tamen habens animum  
non permanendi in statu clericali. De his &  
similibus ait Navarrus de oratione & horis  
Canonicas cap. 7. Satiùs ipsis fore ipso ordi-  
nationis die frangere crura, quam primâ Ton-  
sura aut quatuor minoribus ordinibus initiari;  
quia re sacra indignissimè abutuntur.

## ARTICULUS VII.

*In quo principium Superius statutum , scilicet , mutatio essentialis tūm in materia , tūm in forma , tūm in intentione tollit Sacramentum , minimè vero accidentalis , applicatur ad Sacramentum Matrimonii .*

Materia Matrimonii , juxta aliquos Theologos , est consensus mutuus contrahentium ; forma vero est benedictio Parochi , qui solus in eorum sententia est Minister hujus Sacramenti . Ita Melchior Canus , Sylvius & Estius , &c. Juxta alios Theologos , materia hujus Sacramenti est consensus , ut oblatus ; forma vero est consensus , ut acceptatus ; & benedictio Parochi est cæremonia , quam citra peccatum omittere non licet ; contrahentes vero sunt Ministri . Omissa omni circa talem quæstionem controversiâ fit .

Propositio 1. Matrimonium nullum est , nisi interveniat mutuus contrahentium consensus , qui juxta omnes est materia hujus Sacramenti .

Probatur ratione . Nullum Sacramentum potest esse sine sua materia ; quia sicut materia est pars essentialis Phisici compositi ; ita pariter est pars essentialis compositi mortalis : Aqui juxta omnes , consensus contrahentium est materia Matrimonii , quia , ut optimè ait D. Th. 3. p. q. 84. a. 1. ad. 1. In aliis Sacrementis , quæ habent effectum correspondente humanis actibus , ipsi actus hu-

196 MORALIS CHRISTIANA  
mani sunt loco materiae, ut accidit in pœnitentia & Matrimonio. Ergo Matrimonium nullum est nisi interveniat consensus mutuus contrahentium.

*Consecaria bujus doctrinæ.*

**C O N S E C T A R I U M I.** Totiès Matrimonium erit validum ratione consensùs, quotiès consensus erit internus & externus, liberè elicitus, & non coacte extortus, mutuò oblatus & acceptatus, quia ut diximus<sup>4.</sup> tom. pag. 79. ad contractum requiritur & sufficit consensus internus & externus, liberè & non coactè elicitus, & mutuò oblatus & acceptatus; vide quæ hic diximus, quæque hic repetere inutile esset. Primo consensus-debet esse intēnus; quia sine interiori consensu non potest esse conventio. Secundò idem consensus debet esse externus; quia, cum sit materia Sacramenti debet esse sensibilis. Tertiò debet esse reciproquus; quia non potest obligare, nisi acceptetur. Quartò debet esse liberè & non coactè elicitus; quia contrahentes non possunt nisi sponte obligari.

**C O N S E C T A R I U M II.** Totiès Matrimonium erit invalidum, quotiès non aderunt ea, quæ requiruntur ad consensum internum, simul & externum, liberum simul & reciproquum; quia isthæc requirantur ad valorem Matrimonii.

Sic Matrimonium sine consensu interiori initum nullum est: ut docet D. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. ad. 4. *Sicuti*, inquit, si

aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens ac ipere Sacramentum, sed ludum & dolum facere: non esset baptizatus, ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit. Tamen in sententiâ Catharini, volentis intentionem solum externam sufficere ad valorem Sacramenti, qui solum exteriùs contraheret Matrimonium, verò esset Matrimonio ligatus.

Sic pariter Matrimonium, solum interius initum & nullo signo exteriori expressum nullum est; quia contractus debet esse sensibilis, pricipue ille, qui est materia Sacramenti, de cuius essentia est, quod sit sensibile. Ideo cum oportet mederi Matrimonii fictè contractis per renovationem consensus, oportet renovationem consensus, sensibilem esse, & non omnino insensibilem. Sic consensus vel coactus, vel metu extortus, &c. Vel ex ignorantia elictus; reddit Matrimonium nullum; quia non est sufficienter liber: ut diximus, ubi de contractibus, & hic infra agendo de impedimentis Matrimonii dicemus. Sic consensus oblatus, & non acceptatus, quantumvis liber ex parte offerentis, non sufficit ad Matrimonium; quia oportet, quod consensus sit mutuus, inquit Eugenius in instructione ad Armenos.

**C O N S E C T A R I U M III.** Totiès Matrimonium erit validum, sed illicitum ratione consensus, quotiès consensus interior & exterior, liber & reciproquus, requisitus & sufficiens ad valorem Sacramenti; non habebit eas cœremonias accidentales, quas Ecclesia requirit ad majorem tanti Sacra-

198<sup>o</sup> M<sup>o</sup>RALIS C<sup>o</sup>H<sup>o</sup>RI<sup>o</sup> ST<sup>o</sup>IANA.  
menti solemnitatem, v. g. non exprimetur  
ille consensus inter missarum solemnia, vel  
exprimetur sine dispensatione ante solitas  
proclamations, in pronao faciendas.

C<sup>o</sup>NSECTARIUM IV. Toties Matrimonium erit invalidum ratione intentio-  
nis, quoties non aderit intentio faciendi  
quod facit Ecclesia; quia ad valorem Sacra-  
menti necessaria est.

C<sup>o</sup>NSECTARIUM V. Toties Matrimonium erit quidem validum, sed illici-  
tum ratione quidem intentionis; quoties  
contrahentes aliis rationibus finibusque mo-  
vebuntur, diversis ab iis, propter quos Deus  
Matrimonium instituit: Qui finis duplex est  
scilicet propagatio prolis, & remedium in-  
continentiae; quibus addi potest mutuum  
utriusque partis subsidium, ut videtur scri-  
ptura innuere, dum dicit: faciamus adjuto-  
rium simile sibi. Contra eos, qui sibi alium  
finem in contrahendo Matrimonio propo-  
nunt, sic loquitur Concilium Coloniense an.  
1636. cap. 12. si neque, inquit, ob prolem  
suscipiendam, neque ob fornicationem vitan-  
dam, sed potius divitiarum aut opum nanciscen-  
darum, aut alterius rei gratia, Matrimonium  
contrahatur; perperam agitur, ac graviter in  
Sacramentum ipsum peccatur. Et Divus Caro-  
lius Borromaeus in instructionibus de Sacra-  
mento Matrimonii vult populos instrui, Mi-  
trimonium contrahi posse tribus de causis.  
1. Proli susci piendae gratia.... Causa vitia-  
m<sup>o</sup> fornicationis, & ut conjuges alter alterius  
ope adjuti, vitae incommoda facilius ferre, &  
fines tuis imbecilitatem sustentare queant.

## SECTIO III. CAPITIS I.

*De legitimo subjecto, & Ministro cuiuslibet  
Sacramenti in particulari.*

**Q**Uæritur, quæ destinatio & deputatio  
veniens à Christo, tum in Ministro  
conferente, tum in subjecto recipiente re-  
quiratur, ut Sacramentum sit validum, quæ  
vero sanctitas in utroque exigatur, ut Sacra-  
mentum sit licitum.

*Statuitur principium ad explicandam integrā  
sectionem.*

Propositio unica fundamentalis. Ut Sacra-  
mentum sit validum Minister debet esse mis-  
sus & electus à Christo ad illud conferen-  
dum, & subjectum debet esse destinatum à  
Christo ad illud recipiendum. Ut Sacra-  
mentum vero sit licitum requiritur Sanctitas  
& in Ministro conferente, & in adulto reci-  
piente. Prima pars hujus propositionis pro-  
babitur in primo articulo proxime sequen-  
ti; altera vero probabitur in secundo arti-  
culo hujus sectionis.

## ARTICULUS X

*Quandonam Sacramentum sit validum vel invalidum, si attendatur ad missionem, quæ requiriatur in Ministro conferente Sacramentum, vel ad destinationem Christi, quæ requiritur in eo, qui recepturus est Sacramentum.*

*Propositio unica. Totiès Sacramentum est nullum, quotiès qui Sacramentum conferte attentat, non est missus, & electus à Christo ad illud conferendum, vel quotiès ille, qui attentat Sacramentum recipere, non est destinatus à Christo ad illud recipiendum: validum verò si minister sit missus à Christo ad conferendum, & homo recipiens sit destinatus à Christo ad illud recipiendum.*

Probatur 1. Ex Concilio Tridentino sess. 7. Can. 10. Ubi definitur, quod omnes homines non habent indiscriminatim potestatem conferendi quævis Sacra menta: si quis, inquit, conc. dixerit Christianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem anathema sit. Ergo necessarium est necessitate Sacramenti, ut Minister sit deputatus à Christo; & consequenter nullum est Sacramentum, quotiès qui non est deputatus, attentat illud conferre, & quia eadēni est ratio de recipiente Sacramentum, quæ de conferente, totiès pariter Sacramentum nullum est; quotiès qui non est destinatus à Christo, attentat accipere illud Sa-

etamentum , ad quod non est destinatus à Christo , v. g. ordinatio facta ab eo , qui non est Episcopus , & recepta ab eo , qui non est baptizatus , est nulla ; quia solus Episcopus est Minister ordinariè deputatus ad conferendos ordines , & solus homo baptizatus est pariter destinatus ad illos recipiens dos.

2. Ratione. Sacramentum pendet omnino ex institutione Christi : ergo ut Sacramentum sit validum , debet habere singula , quæ Christus ad ejus valorem requirit , scilicet debitam materiam , debitam formam , legitimum Ministrum , qui conferat , & legitimum subjectum , à quo recipiatur : ergo totiès Sacramentum erit invalidum , vel ex parte Ministri conferentis , vel ex parte subjecti recipientis , quotiès interveniet vel conferens , vel recipiens alius quam is , quem Christus misit , quemve ad hoc destinavit , validum vero erit semper Sacramentum ex parte conferentis & recipientis , quotiès aderit Minister deputatus à Christo ad conferendum , & subjectum destinatum à Christo ad recipiendum . Cum enim Christus de se ipso Apostolis dicit ; *sicut misit me Pater & ego mitto vos* ; & Apostolus in persona omnium Ministrorum dicit : *pro Christo legatione fungimur* ; sequitur omnes Sacramentorum Ministros à Christo mittendos , immo & ipsos recipientes Sacra menta à Christo esse destinandos ; nam loquens de Baptismo ait : *Euntes docete omnes* ; & loquens de pœnitentia ait : *quorum remiseritis peccata , remittuntur eis*.

*Consecratio hujus Doctrinae accommodata  
ad singula Sacra mentia.*

**C O N S E C T A R S I U M I.** De Baptismo valido, vel invalido ratione ministri conferentis & subjecti recipientis.

Toties Baptismus erit validus ratione Ministri conferentis, & ratione subjecti recipientis, quoties Minister conferens erit missus à Christo ad Baptismum conferendum, & quoties subjectum recipiens erit destinatum à Christo ad Baptismum recipiendum; quia tunc nihil interveniet ex parte conferentis, vel recipientis, quod impedit valorem Baptismi. Toties è contra Baptismus erit invalidus, quoties interveniet, vel conferens, vel recipiens alius, quam is, quem Christus elegit; quia tunc de erit aliquid necessarium ad valorem Sacramenti,

Sic si attendatur minister conferens valide, validus est Baptismus, quem confert homo quilibet ratione utens, sive vir, sive fœmina, sive Baptizatus, sive non Baptizatus, sive Clericus, sive Laicus, sive fidelis, sive infidelis, sive Sacerdos proprius, sive alienus: Minister enim hujus Sacramenti, inquit Florentinum, est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in causa autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, & mulier, imò etiam paganus, & hereticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiae, & facere intendat, quod facit

Ecclesia. Instruct. ad Arme. unde ait Tertul. lib. de Bapt. *Baptismus eensus Dei ab omnibus exerceri potest.* Et Hieroni. contra Luciferianos. *Baptizare si necessitas cogat,* scimus etiam licere Laicis. Sic si species subjectum, quod **VALIDE** Baptismum recipiat, validus est baptismus a quocumque homine recipiatur, sive vir sit, sive foemina, sive adulatus, sive non adulatus, sive pauper, sive dives, sive æger, sive sanus, &c. quia generaliter dictum est: *Euntes docete OMNES GENTES, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* Et quia omnes in Adam peccaverunt, omnes à Christo vocantur ad recipiendum baptismum, qui unicum est peccati originalis remedium, idè Cyprianus de parvulis sic loquitur: *Qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit.* Ep. ad Fidum. Sic rursus: *Si species ministeri qui baptismum **INVALIDE** conferat: Invalidus est baptismus collatus ab eo, qui vel est rationis impos, vel ignorat, vel non servat formam baptizandi in Ecclesia usurpatam;* quia minister missus à Christo ad conferendum baptismum debet esse rationis compos, & debet scire, & servare modum baptizandi in Ecclesia usurpatum. Sic rursus, si attendas subjectum baptismum **INVALIDE** suscipiens: *Invalidus est baptismus, qui recipitur ab eo, qui non est homo:* v. g. Recipiatur à bruto: *Sicut enim solus homo contraxit peccatum Adami, ita solus homo potest bapti-*

204 MORALIS CHRISTIANA:  
zari : *ut in eo regeneratione mundetur, quod*  
*generatione contraxit, ut ait Trident.*

Sic invalidus pariter esset baptismus  
collatus infanti in utero matris, etenim,  
ut ait Aug. *Sicut homo qui non vixerit,*  
*mori non potest, & qui mortuus non fuerit,*  
*resurgere non potest; ita qui natus non fuerit,*  
*renasci non potest. Ex quo consicitur neminem*  
*in suo parente renasci posuisse non natum: lib.*  
*2. de peccatorum meritis, cap. 27.*

C O S E C T A R I U M II. *De Confirmatione valida, vel invalida ratione ministri conferentis; vel subjecti recipientis.*

Toties valida erit Confirmatione ratione ministri conferentis, & subjecti recipientis, quoties minister conferens erit missus à Christo ad conferendam Confirmationem & subjectum recipiens erit destinatum à Christo ad recipiendam Confirmationem; quia tunc nihil interveniet ex parte conferentis, vel recipientis, quod impedit valorem Confirmationis. Toties è contraria Confirmatio erit nulla, quoties interveniet, vel conferens, vel recipiens alius, quamvis, quem Christus elegit; quia tunc deerit aliquid necessarium ad valorem Sacramenti Confirmationis. Sic si attendas ad ministerium V A L I D E conferentem, valida est confirmatio, quam confert Episcopus quilibet, etiam excommunicatus, vel suspensus, vel haereticus; etenim ex instructione ad Armenos Episcopus quicumque est minister ordinarius confirmationis; sic enim habet Eugenius IV. ordinarius minister hujus Sacramenti est Episco-

pus , & eum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere , hanc non nisi Episcopus debet conferre.

Sic valida est etiam Confirmationis juxta Eugenium , quam confert Sacerdos delegatus à summo Pontifice ; sic enim habet idem Concilium : Legitur enim aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili , & urgenti admodum de causa simpli- cem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis Sa- cramentum. Sic etiam , si consideres , subje- tum VALIDE recipiens Confirmationem , vali- da est Confirmationis , quam recipit quilibet homo baptizatus , sive vir , sive fœmina , sive adultus , sive non adultus ; quia omnis homo regeneratus in Christo , potest in Christo per Confirmationem robotari ; & omnis ætas , omnis sexus potest esse Christi miles ; ar- ma enim militie nostræ non carnalia sunt , sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destrucentes , 2. ad Cor. 10. v. 4. Sic è contra si ministrum Confirmationis inspexeris , qui I N V A L I D E agat , invalida est Confirmationis , quam attentat conferre , qui nec Episcopus est , nec Sacerdos à Papâ delegatus . Etenim ordinarius minister Con- firmationis est solus Episcopus , extraordi- narius vero est solus Sacerdos à Papa dele- gatus ; docemur enim Scripturâ , act. 8. Aposto- los , qui soli tunc erant Episcopi baptizatis Spiritum Sanctum per Confirmationem de- disse . Eanidem veritatem tradit perpetua Ecclesiæ praxis , unde Innocentius ad Decen- tum cap. 3. sic habet : De consignandis vero

206 MORALIS CHRISTIANA.  
infantibus manifestum est non ab alio ; quam  
ab Episcopo fieri licere. Et Chrysost. in cap.  
8. act. Potestatem quidem acceperunt , alii  
ab Apostolis faciendi signa , non tamen Spi-  
ritum aliis dandi ; hoc erat in Apostolis sin-  
gulare. Sic pariter , si habeas rationem sub-  
iecti recipientis Confirmationem INVALIDE.  
Invalida est Confirmation , quam recipere  
attentat homo non baptizatus. Baptismus  
enim est janua omnium Sacramentorum ; &  
character imprimendus per Confirmationem  
supponit essentialiter characterem impres-  
sum per baptismum.

CONSECTARIUM III. De Eucharistia validè,  
vel invalidè confelta & distributa : hoc enim  
Sacramentum , utpote consistens in perma-  
nentia , potest considerari , & quatenus con-  
ficitur & quatenus distribuitur , & quatenus re-  
cipitur Sacramentaliter ; & quatenus re-  
cipitur , non ut Sacramentum , sed ut ci-  
bus communis , quomodo recipitur à bru-  
zo. Totiès Eucharistia V A L I D E con-  
ficitur , quoties consecratur à Sacerdote ,  
V A L I D E verò totiès recipitur , quoties ,  
à quocumque distribuatur , accipitur ab  
homine baptizato rationis compote ; quia  
tunc nihil est , quod impedit , ne validum  
sit Sacramentum Eucharistiae. Totiès verò  
Eucharistia I . N V A L I D E consecratur ,  
quotiès quis non Sacerdos attentat eam  
confidere , & non sacramentaliter accipitur ,  
quotiès accipitur ab homine , vel non bapti-  
zato , vel rationis impote ; quia tunc interve-  
nit minister conficiens , & homo recipientis  
alius , quam is , quem Christus elegit .

Sic si quæstio sit de ministro Eucharistiam consecrante V A L I D E : validè conficitur Eucharistiæ Sacramentum , si per Episcopum , vel Presbiterum consecratur , sive probus , sive improbus fuerit ; imò etiam si hereticus , schismaticus , excommunicatus , suspensus , & degradatus existat ; quia & bonis , & malis Episcopis , & Sacerdotibus data est potestas consecrandi Corpus Christi ; cum dictum est illis : *Hoc facite in meam commemorationem* : nullumque est omnino peccatum , quod eam potestatem auferat , ut docet . Aug. lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. *Utrumque* , inquit , scilicet baptismus & ordo , Sacramentum est , & quadam consecratione utrumque homini datur ; illud cum baptizatur , istud cum ordinatur ; ideoque non licet in Catholicâ Ecclesiâ utrumque iterari : Ex quo istud concludit Divus Thomas : *Sic pater* , inquit , quod Sacerdos degradatus potest confidere hoc Sacramentum , scilicet Eucharistiam 3. p. q. 82. ar. 8. in corp. Sic rursus , si quæstio sit de ministro Eucharistiam distribuente V A L I D E , Eucharistiam jam confectam , & consecratam potest V A L I D E dispensare , quisquis potest illam , vel sibi , vel alii porrigere ; cum enim Sacramentum illud consistat in permanentia , quisquis reperit Eucharistiam consecratam , potest illam , vel sibi sumere , vel alteri ministrare . Fideles enim olim urgentibus persecutionibus Eucharistiam in domos suas deferebant , & postea eam sibi ipsis administrabant : & olim puer tradidit Eucharistiam Serapioni seni ægros .

Sic si quæramus, quodnam sit subiectum; quod possit hoc Sacramentum recipere, VA-LI-D-E Eucharistiam verè & Sacramentaliter simul baptizatus quilibet adultus, sive justus, sit, sive injustus; sed ad sui condemnationem recipit peccator, ad sui sanctificationem justus, ut docet Divus. Thomas: Sumunt boni, inquit, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ, vel intentius, mors est malis, vita bonis; vide pars sumptionis, quam sit dispar exitus. Quippe juxta Paulum indignè recipiens Christum, judicium sibi manducat, & bibit. Sic si spectetur minister attentans confidere, sed INVAILIDE, & frustra, nullum est Sacramentum, si quis præter Episcopum, vel Presbiterum Sacram Eucharistiam confidere attentaverit, sive sit vir, sive fœmina, sive laicus, sive Clericus, sive sit Clericus superior, uti Diaconus, sive sit Clericus inferior, uti Subdiaconus, vel alii Clerici, quia ut ait Epiph. hær. 19. non Angelus; non Maria, non Clericus quicumque potest Eucharistiam confidere; solis enim Apostolis & Discipulis, & in eorum persona Episcopis & Sacerdotibus dictum est, hoc facite in meam commemorationem. Ideò damnati Pepuziani teste. Aug. lib. de hæresibus hæresi, 27. & Marcitæ teste Ireneo de hæresibus, lib. 3. cap. 2. ed quod illi hæretici vellent fœminas posse consecrare. Ideò pariter si Imperator attentet consecrare, nihil efficit; quia, ut ait Ambrosius purpura Imperatores facit non Sacerdotes.

TRACT. DE SACRAMENTIS. 209  
apud Eusebium, lib. 15. historiæ, cap. 17.  
Item si Diaconus attentet consecrare, ni-  
hil efficiet; nam Hieronimus loquens de Hi-  
lario luciferianorum principe, ait: *Encharis-  
tiam non poterat confidere; quia Diaconus tan-  
tum erat.* Quód si populus, si fœmina, si Reges,  
si Diaconi dicantur cum Sacerdore conse-  
crasse, illud intelligendum est de consecra-  
tione morali, quatenus uniuntur morali-  
ter cum Sacerdote consecrante, sed non de  
consecratione phisica; quia non habent  
characterem sacerdotalem. Sic pariter si  
spectetur subjectum, quod potest hoc Sacramen-  
tum recipere, verè quidem, & quoadrem  
contentam, sed non sacramentaliter, Eu-  
charistiam sumit homo quilibet, vel non  
baptizatus, vel non adultus, vel jam mor-  
tuus; quippe non baptizatus incapax est  
Sacramenti cuiuscumque, ergo & Eucharis-  
tiæ: non adultus incapax discernendi pa-  
nem communem à pane Sacramentali; ho-  
mo verò mortuus incapax manducandi:  
ergo sumendi Eucharistiam. de infideli ita  
D. Thom. Dicendum quòd etiam infidelis su-  
mat species Sacramentales, *Corpus Christi sub*  
*Sacramento sumit, unde manducat Corpus*  
*Christi Sacramentaliter.* Si ly sacramentaliter  
determinet verbum ex parte manducati; si  
autem ex parte manducantis, tunc propriè lo-  
quendo non manducat sacramentaliter; quia  
non utitur eo quod accipit, ut Sacramento,  
sed ut simplici cibo. De non adulto ita. D.  
Thom. Dicendum, inquit, quòd eadem est  
ratio de pueris recentè natis, & de amicti-  
bus, qui numquam haberunt usum rationis.

250 MORALIS CHRISTIANA.  
undē talibus non sunt Sacra Mysteria danda:  
3. p. q. 80. a. 9. ad 3. De corporibus vero  
defunctorum, ita Conci. Carthag. 3. can.  
6. Placuit, inquit, ut corporibus defunctorum  
Eucharistii non detur: Et Synodus qui-  
ni-sexta, can. 83. Nemo Eucharistiam Com-  
municet corporibus defunctorum.

Antiquus tamen usus talis erat, ut Eu-  
charista daretur pueris; idēc cavebatur, ne  
sine urgenti necessitate lactarentur ante  
Communionem; sed usum illum iamdiu  
abrogavit Ecclesia, ut patet ex Trident.  
sess. 21. cap. 4. Imò viguit in quibusdam  
Ecclesiis usus, vel potius abusus dandi  
Eucharistiam corporibus mortuorum, quā  
scilicet haberent Aerhabonem futuræ resu-  
rectionis.

CONSECTARIUM IV. *De pœnitentia  
Sacramento valido, vel invalido ratione Mi-  
nistri conferentis, vel subjecti recipientis.*

Totiēs absolutio V A L I D E' impen-  
ditur, quotiēs datur à sacerdote habente  
jurisdictionem ordinariam, vel delegatam,  
& quotiēs recipitur à pœnitente, qui le-  
gitimè subsit sacerdoti, tunc enim nihil est  
in Ministro vel subjecto, quod impedit  
valorem absolutionis.

Totiēs verò absolutio INVALIDE' im-  
penditur, quotiēs datur ab alio, quam  
sacerdote, vel à sacerdote, qui nullam ju-  
risdictionem habeat; quia absolutio est ac-  
tus jurisdictionis: ergo dari nequit nisi ab  
habente jurisdictionem.

Sic si de Ministro absolutionis habeatur  
quæstio, V A L I D A est absolutio data

à sacerdote jurisdictionem habente, sive bonus, sive malus existat, malitia enim non aufert jurisdictionem. Si vero ratio habeatur de subjecto absolutionis, **VALIDA**, est absolutio data pœnitenti, quandiu manet subditus confessario.

Sic rursus, si Minister absolutionis spectetur, **INVALIDA** & nulla est absolutio data à Laïco, à Clerico non sacerdote, à sacerdote nullam jurisdictionem habente; quia absolutio est actus jurisdictionis: ergo nequit impendi ab eo, qui non habet jurisdictionem; nulla est pariter & **INVALIDA** absolutio data ab Episcopo, vel Parocho, vel sacerdote olim approbato, sed jam publicè, vel schismatico, vel heretico, vel excommunicato, & per sententiam judicis declarato ut tali; quia hoc ipso quod sacerdotes jurisdictionem habentes declarati sunt ab Ecclesia predictas pœnas incurrisse, hoc ipso omnes fideles ipsis subditi per Ecclesiæ autoritatem, eorum jurisdictioni subducuntur. Ita D. Thom. supplem. q. 19. a. 6. in corp. cum Ecclesia, inquit, hereticos, & schismaticos, & alios hujusmodi priuget jurisdictione, subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc, qui privati sunt, non posunt usum clavium habere. Nulla est pariter absolutio data etiam a sacerdote vel ordinariam, vel delegatam jurisdictionem habente, si absolvat ab his casibus, quos vocant reservatos, Ecclesia enim quantum ad hos casus aufert ab eis potestatem absolvendi. Sic pariter si spectetur subjectum, quod sit:

212 MORALIS CHRISTIANA.  
capax *absolutionem recipiendi validè*, Totiès *absolutio INVALIDE recipitur a pœnitente*, quotiès accedit ad sacerdotem ligatus aliquà censurā; prius enim pœnitens debet absolvī à censuris, quām absolvatur à peccatis, inquit D. Thom. *Quamvis enim, inquit, aliquis est excommunicatus, non potest percipere aliquid Ecclesiæ Sacramentum.* Supp. q. 20. a. 2. ad. 2.

CONSECTARIUM V. *De Extrema - Unctione valida vel invalida ratione Ministri conferentis, vel subjecti recipientis.*

Totiès *Extrema - Unctio confertur, & accipitur VALIDE*, quotiès datur à Ministro legitimo, scilicet à sacerdote, & recipitur à subjecto capaci, scilicet baptizato ægrotante; quia tunc nihil impedit validitatem Extremæ - Unctionis. Totiès verò *Extrema - Unctio confertur, & accipitur INVALIDE*, quotiès confertur ab alio, quām à sacerdote, & recipitur ab alio, quām à Christiano ægrotante. Etenim Minister Extremæ - Unctionis est sacerdos, & subjectum Extremæ - Unctionis est homo infirmus. Utrumque indicant hæc verba Jacobi cap. 5. *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros.* Et Chrysoft. lib. de sacerdot cap. 6. *Laici non habent jus orandi, nec ungendi in nomine Domini.*

Sic si determinetur Minister conferens **V A L I D E** Extremam - Unctionem, tunc censenda est valida, quando confertur per sacerdotem infirmo baptizato periculose decumbenti, ut ait Trident.

sess. 14. cap. 3. ubi dicit sancta Synodus verbis Jacobi ostendi proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ presbyteros.... & hanc unctionem esse adhibendam infirmis , illis vero præsertim , qui tam periculoſe decumbant , ut in exitu vitæ constituti videantur ; Unde & sacramentum exequuntiam nuncupatur . Quod si infirmi post suscep tam hanc unctionem convaluerint , iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt , cum in aliud vi te diſcriben inciderint . Sic si determinetur minister INVALIDE & fruſtra attentans con ferre Extremam - unctionem , Invalida eſt Extrema - Unctio collata à Laico , vel a Cle rico non ſacerdote ; quia ſolus ſacerdos eſt hujus Sacramenti Minister . Juxta illud Trid. ſeff. 14. de Extrema - Unct. Can. 4. Si quis dixerit ... proprium Extremæ - unctio nis Ministrum non eſſe ſolū ſacerdotem ; ana thema fit .

Sic ſi inquiratur ſubiectum attentans recipere Extremam - unctionem INVALIDE , Invalida eſt Extrema - unctio , ſi recipiatur vel ab homine non baptizato , vel ab homine baptizato quidem , ſed qui numquam fuerit capax peccandi , vel ab homine peccatore quidem , ſed non infimo ; quia hæc tria requiruntur in ſubiecto Extremæ - unctio nis . Primo qui ungitur deberet eſſe bapti zatus ; quia baptismus eſt janua omnium Sacramentorum , deinde debet fuisse ca pax peccatorum actualium ; etenim Sacra hæc unctio debet abſtergere peccatorum actualium reliquias ; unde ait Jacobus : ſi in peccatis fuerit , remittentur ei . Demum

Unde pueri ante usum rationis, item per-  
petuò amentes non sunt capaces hujus Sa-  
cramenti; quia non habent peccata, quo-  
rum reliquiae abstergendæ sint; bene tamen  
illi amentes, qui olim habuerunt usum rati-  
onis, licet autem morbi, aut alio casu su-  
blatus sit. Isti enim, si anteà hoc Sacramen-  
tum petierint, vel ante amentiam, vel per  
lucida intervalla, debent eo Sacramento  
inungi. De his ita loquitur D. Thomas.  
*Illi*, qui non possunt recognoscere, & cum  
devotione suscipere hoc Sacramentum; dari  
non debet, & præcipue furiosis, & amenti-  
bus, qui possent irreverentiam Sacramento  
per aliquam immunditiam facere, nisi habe-  
rent lucida intervalla, in quibus Sacramentum  
agnoscerent, & sic illis conferri in illo statu  
posset. Suppl. q. 32. a. 3. in corp. De pue-  
ris verò sic habet: *forma hujus Sacra-  
menti non competit pueris, qui non peccaverunt  
per visum, & auditum. Ergo eis non dari  
debet hoc Sacramentum.* a. 4. ibid.

Unde pariter fideles adulti sani, aut  
tantum leviter infirmi, non sunt capaces  
hujus Sacramenti, quod institutum est so-  
lum pro fidelibus periculose ægrotantibus,  
ex quocumque casu infirmitas proveniat,  
sive ex vulneré, sive ex vi morbi, sive ex  
senectute. De quo ita D. Thom. dicendum,  
inquit, quod hoc Sacramentum est ultimum re-  
medium, quod Ecclesia potest conferre, quasi  
immediate disponens ad gloriam, & ideo illis  
tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt

*in statu exeuntium supplem. q. 32. a. 2. in c.*

Unde etiam qui sano sunt corpore, quantumvis præsentissimum adeant periculum mortis. v. g. hi qui mare transmissuri sunt, aut prælium commissuri, aut qui capitis condemnati ad certum mortis supplicium, ducuntur, incapaces sunt hujus Sacramenti; quia infirmi non sunt ea infirmitate, quæ mentem dejicit, quæque proinde per hoc Sacramentum alleviar i debeat. Unde Trid. vult illam unctionem illis solùm conferti, qui periculose decumbunt.

CONSECTARIUM VI. *De ordine valido, vel invalido ratione Ministri conferentis, vel subjecti recipientis.*

Totiès ordo VALIDE' confertur, quotiès datur ab Episcopo ritè consecrato: Totiès verò INVALIDE', confertur, quotiès ordinariè loquendo datur ab alio, quam ab Episcopo; quia potestatem conferendi ordines habet ex sui consecratione omnis, & solùs Episcopus, saltem tamquam Minister ordinariūs. Sicuti enim præfecto Reipublicæ competit disponere de officiis publicis, iisque idoneos homines præficere; ita & Episcopo tanquam Ecclesiæ præfecto competit Ministros per ordinem consecrare. Sic Christus ut summus sacerdos Apostolos consecravit; Apostoli Diaconis à plebè electis manus imposuerunt; Paulus, & Barnabas ab his Episcopis, qui præerant Ecclesiæ Antiochenæ ordinati sunt, & ipsemēt Paulus, & Barnabas facti Episcopi constituerunt presbyteros per singulas Ecclesias. Inde est quod juxta Cas-

216 MORALIS CHRISTIANA.  
nones Apostolorum Episcopi à duobus , aut  
tribus Episcopis: ordinantur: presbyteri ve-  
rò , & Diaconi , & alii Clerici ab uno Epis-  
copo conseruantur. Continuam illam Eccle-  
siæ praxim circa ordines conferendos paucis-  
simis verbis expressit Eugenius IV. *ordiaarii*  
*Inquit , Minister hujus Sacramenti est Epis-  
copus.*

Toties ordo INVALIDE recipitur, quo-  
ties recipitur à masculo non baptizato, vel  
quoties recipitur à fœmina etiamsi bapti-  
zata : VALIDE' verò recipitur, quoties  
quæ ordinatur, masculus est , & baptiza-  
tus. *Masculus non Baptisatus est incapax*  
*cujuscumque Sacramenti , ergo & ordinis.*  
Fœmina verò etiam baptizata est incapax  
ordinis propter statum subjectionis , quæ  
mulieri in Ecclesia competit. *Cum igitur ,*  
*inquit D. Thom. in sexu fæmineo non pos-*  
*sit significari aliquis eminentiæ gradus , quia*  
*mulier statum subjectionis habet , ideo non po-*  
*test ordinis Sacramentum suscipere suppl. q.*  
39. a. i. in corp. Diaconissæ autem , aut  
presbyterissæ , de quibus fit mentio in de-  
cretis , non erant verè ordinatæ , sed erant  
vel uxores Diaconorum , aut presbytero-  
rum , qui sese Deo , consentientibus vi-  
ris , consecraverant , vel erant piæ mulie-  
res , quæ in aliquibus actibus Diaconos ,  
& presbyteros imitabantur , v. g. instrue-  
bant privatim personas ejusdem sexus , vel  
circa eas , dum baptizarentur , exercebant  
quædam officia , quæ exerceri à Diaconis ,  
vel presbyteris modestia Christiana non pa-  
ziebatur.

Sic

Sic si quæras ministrum validum ordinis **VALIDE** confertur ordo ab Episcopo quocumque, etiam publicè excommunicato, suspenso, degradato, hæretico, schismatiko, ut latè probat Aug. lib. 2. contra Parmenianum; character enim Episcopalis, quo validè conferuntur ordines nullo scelere amitti potest; inde est quod hæretici ad Ecclesiam redeuntes non ordinentur iterum, nec illi qui fuerunt ordinati ab hæreticis ritè ordinatis, modò ordo collatus sit juxta formam à Christo, & Ecclesia præscriptam. Unde in Nicæno Novatiani, v. g. & Meletiani ad Ecclesiam redeuntes suis honoribus functi sunt, eò quod ordinati fuerant juxta formam & à Christo præscriptam, & ab Ecclesia universali usurpatam. Cataphrygas verò sancti Nicæni patres denuò ordinari præceperunt, eò quod in eorum ordinatione servata non fuisset forma ab Ecclesia præcripta: de quo ita D. Thom. supp. q. 38. art. 2. in corp. *Alii dicunt, inquit, quod hæretici vera sacramenta conferunt, sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum. sed propter peccata recipientium ab eis Sacra menta contra prohibitionem Ecclesie;* & hæc est tertia opinio Ecclesie, quæ vera est: ergo supponit Sanctus Doctor quod hæretici verè Sacramentum Ordinis conferunt.

Sic etiam juxta D. Thom. mīores ordines validè conferunt à simplici Sacerdote per Papam delegato. Ita enim habet Sanctus Doctor: *Dicendum, inquit, quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificis,*

218. MORALIS CHRISTIANA.  
ficalis . potest committere non Episcopo ea , que  
ad Episcopalem dignitatem pertinent , dummodo  
illa non habeant immediatam relationem ad ve-  
rum Christi corpus ; & ideo ex ejus commissione  
aliquis simplex Sacerdos potest conserre mino-  
res ordines , & confirmare , non autem aliquis  
non Sacerdos , nec iterum Sacerdos maiores or-  
dines , qui habent immediatam relationem ad  
corpus Christi ; suprà quod consecrandum Papa  
non habet majorem potestatem , quam simplex  
Sacerdos . supp. q. 28. a. 1. ad 3.

Sic ordo potest VALIDE' conferri ab  
Episcopo non proprio , quia habet charac-  
terem episcopalem : quod enim Episcopus  
non ordinet , nisi sibi subditos , necessarium  
est necessitate præcepti , & non necessitate  
Sacramenti .

Sic si quæras subjectum , quod possit VALL-  
DE' recipere ordines , validè ordinatur vir  
quilibet masculus baptizatus in quocumque  
sit statu , in quacumque ætate ; quia hoc  
ipso quod habet characterem baptismalem ,  
potest characterem ordinis recipere : nec est  
necessaria necessitate Sacramenti ; quod priùs  
confirmationem receperit ; qui enim est  
membrum Ecclesiæ per baptismum , potest  
in Ecclesia aliis præfici per ordinem . Unde  
perpetuò amentes , cæci , muti , manei va-  
lidè possunt ordinari ; licet enim sint iure  
naturali inhabiles ad exercitium munium  
ecclesiasticorum , non tamen ad recipiendum  
characterem ordinis : item ordinari possunt  
excommunicati , suspensi , &c. & irregula-  
res , &c. Etsi enim jure ecclesiastico suspen-  
si maneat ab exercitio munieris ecclesiastici ,

verè tamen characterem recipiunt ejus ordinis, qui eis confertur. Item validè ordinantur pueri in cunis, modò sint baptizati; quia usus rationis requiritur ad receptionem ordinum necessitate præcepti, & non necessitate sacramenti, ut docet D. Thom. supp. totâ quæst. 39.

Sic si quæras Ministrum invalidè seu frumentum ordinatum, quicumque non Episcopus, aut saltem non Sacerdos delegatus à Papa, si attentet ordines conferre, nihil efficiet; & ita omnis Laicus in quacumque dignitate sit constitutus, sive princeps, sive Rex, sive Imperator existat, si ordines conferre attentaverit, nihil omnino conficiet.

Sic si quæras subjectum incapax recipiendi ordines, quæcumque fœmina, in quæcumque sit dignitate, aut quicunque masculus non baptizatus, si forte attentent ordines recipere, nihil recipient.

**CONSECTARIUM VII.** De matrimonio valido, vel invalido ratione ministri conferentis, vel subjecti recipientis. Posito quod contrahentes sint ministri conferentes sibi mutuo Sacramentum matrimonii, ut volunt insignes Theologi, toties matrimonium erit invalidum, quoties partes contrahentes erunt inhabiles ad contrahendum vel jure naturæ, vel jure civili, vel jure ecclesiastico; quia tunc non censemuntur destinati à Christo ad conferendum, vel recipiendum hoc Sacramentum. Toties vero matrimonium erit validum, quoties jure naturæ, jure civili, & ecclesiastico erunt habiles ad contrahendum; tunc enim censemuntur de-

220 MORALIS CHRISTIANA.  
finati à Christo ad conferendum, vel recipiendum hoc Sacramentum. Sed si partes contrahentes non sint Ministri hujus Sacra-  
menti, sed sint solùm subjectum recipiens,  
totiès matrimonium erit invalidum, quo-  
tiès partes contrahentes erunt inhabiles ad  
contrahendum, quia inhabilitas ad contra-  
hendum impedit validitatem contractus.  
Matrimonium vero totiès erit validum  
**ex parte contrahentium**, quotiès partes  
erunt habiles ad contrahendum: ex ea enim  
parte tunc nihil impedit valorem matrimo-  
nii; sed quia non facilè concipitur, quan-  
donam jure naturæ, civili, & ecclesiastico  
homines sint habiles ad matrimonium. Ides  
fit.

### ARTICULUS SPECIALIS DE MATRIMONIO.

**Quandonam jure naturali, civili, & ec-  
clesiastico homines sint habiles, vel in-  
habiles ad contrahendum matrimonium.**

§. I.

**Quandonam Matrimonium nullum sit jure  
naturali, vel positivo divino.**

Propositio x. Toties matrimonium IN-  
VALIDE seu frustrà contrahitur, quoties  
qui attenant contrahere, jure naturali,  
vel positivo divino sunt inhabiles ad ma-  
trimonium, quales sunt hi, qui hoc car-  
mine continentur.

**Errans, invitatus, junctus, non iunctus, &  
impos.**

Probatur ratione. Ex dictis ubi de contractibus, qui jure naturali, vel divino positivo sunt inhabiles ad contrahendum, si attentent contrahere, nihil efficiunt; quia inhabilitas vel naturaliter, vel divinitus inducta impedit contractum; nullus enim est major defectus in contractibus, quam inhabilitas inducta jure naturali, vel divino. Atqui matrimonium est contractus naturalis; cum Justinianus conjunctionem maris, & foeminae inter contractus naturales adnumeret. Ergo qui jure naturali, vel divino positivo sunt inhabiles ad matrimonium, si attentent matrimonium contrahere, nihil efficient. Atqui errans, invitus, junctus, impos, jure naturali sunt inhabiles ad matrimonium: *non baptizatus* vero jure positivo divino. Ergo si attentent contrahere, nihil efficient. Errans quidem, quia nescit quid contrahendo agat; *invitus*, quia non liberè sed coactè operatur; *jam junctus*, qui enim ligatus est uni parti, non potest vivente comparte, se iterum alteri conjungere: *non baptizatus* jure evangelico est incapax matrimonii, quod sit simul & Sacramentum, & contractus; quia cum baptismus sit janua Sacramentorum, nullus potest recipere Sacra menta Christi, nisi sit baptizatus. Ergo, &c.

*Consectaria hujus doctrinae.*

CONSECTARTUM I. In quo explicatur hæc vox *Errans*. Qui contrahit matrimonium ex errore terminato ad substantiam, v. g. qui

ignoranter dicit Mariam pro Berta, vel Petrum pro Paulo, *invalidè contrahit*; quia ex dictis, ubi de contractibus cap. 2. a. 1. ut contractus naturales sint validi, requiritur, & sufficit, quod contrahentes libero consensu se obligent, qui liber consensus intervenire non potest, quoties ignoratur substantia rei, quæ est materia contractus: si tamen error sit solum circa accidentia, contractus est validus, v. g. qui dicit pauperem loco divitis, stupratam loco virginis, deformem loco pulchræ, *validè contrahit*; error enim circa accidentia rei, quæ est materia contractus, non impedit consensum liberum, nisi ea accidentia tanta essent, ut in substantiam rei redundarent: putà si filia Principis contraheret cum plebeio, putans contrahere cum filio Regis: item qui contraheret cum serva, putans contrahere cum libera, *invalidè contraheret*, quia error ille, et si circa accidentia, redundat tamen in substantiam; est enim hujusmodi, quod si cognita fuissent hac accidentia, non initus fuisset contractus, ut dicit D. Thomas, vide tom. 4. de contrac. art. 2. vide etiam D. Thom. suppl. q. 51. art. 2. ad 5. Idem dicendum de errore circa accidentia, quæ primò & per se fuerunt causa & motivum ineundi matrimonium, ita ut his deficientibus non fuisset contractum.

**CONSECTARIUM II.** In quo explicatur hæc vox *Invitus*. Qui contrahit matrimonium cum consensu vi extorto, *invalidè contrahit*, quia ut diximus tom. 4. de con-

tractibus cap. 2. art. 1. ut contractus naturales sint validi, requiritur, & sufficit, quod contrahentes libero consensu se obligent: qui liber consensus haberi non potest, quoties intervenit violentia liberam electionem impediens.

Sic qui contrahit matrimonium per metum absorbentem omnino usum rationis, si-  
ve metus ille sit justè, vel injustè incussum; *invalidè* contrahit, quia jure naturæ metus quilibet absorbens usum rationis, impedit ne contractus sit validus: libertas enim esse non potest, ubi non est usus rationis.

Sic etiam qui contrahit matrimonium per metum injustè incussum, & cadentem in constantem virum. *invalidè* contrahit, non quidem ex vi juris naturæ; quia metus etiam injustè incussum relinquens usum rationis facit voluntarium *absolutè*, & involuntarium secundum *quid*; bene tamen ex vi juris civilis & ecclesiastici; quia jus utrumque civile & canonicum irritat hujusmodi matrimonia per metum injuste incussum inita. Vide tom. 4. de contract. fol. 116.

Si vero merus cadens in constantem virum oriatur à causa naturali, vel justè à causa libera incutiatur, matrimonium per jura non irritatur; tunc enim contrahens nihil ini-  
quum patitur, & omnibus pensatis censem-  
tur liberè tale acceptare matrimonium; v.  
g. si quis monitus à medico se diù non vi-  
eturum, nisi ducat uxorem, et si metu mor-  
tis contrahat matrimonium, *validè* contra-  
hit, quia metus ille non injustè incutitur.  
Item. si deflorator metu æternæ pœnæ con-

224 MORALIS CHRISTIANA,  
trahat matrimonium cum virgine , quam defloravit , *validè* contrahit ; quia metus ille non est iustè incussus . Demùm si quis damnetur à judice , ut vel mortem eligat , vel virginem , quam defloravit , in uxorem ducat , *validè* matrimonium contrahit ; quia metus ille non iustè incutitur .

CONSECTARIUM III. In quo explicatur illa vox *Functus*. Uterque conjux sive vir , sive fœmina , qui vivente compatte cum altero contrahit matrimonium , *invalidè* contrahit , primò quidem ex vi juris naturalis ; etenim uterque conjux habet corpus suæ compartis in sua potestate ; juxta illud Pauli : *Mulier sui corporis potestatem non habet , sed vir : similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet , sed mulier*. Ergo si neuter conjux habeat potestatem sui corporis , neuter potest *validè* matrimonium , vivente compatte , contrahere : & sicut in quo iterum dare , quod jam dedi , neque iterum vendere , quod jam vendidi , ita ubi dedi per matrimonium corpus meæ comparti , non possum *validè* dare alteri , nisi dispenser per legem superiorem . Ideò dicit Innocentius III. *Nec ulli unquam licuit simul p'ures habere uxores , nisi cui fuit divina revelatione concessum . . . . per quam . . . Patriarchæ & alii viri justi , qui plures leguntur simul habuisse uxores , ab adulterio excusantur . cap. gaudemus . Id enim præstiterunt , non lasciviendū , sed generandi causā , inquit Aug. lib. 22. cont. Faust. cap. 47. 2°. Illud idem vetatur jure positivo divino ; Christus enim matrimonium ad primævam institutio-*

nem reduxit ; juxta quam Deus unum cum una , solum cum sola conjunxit ; juxta illud : *Masculum & fæminam fecit eos.* De quo ita Trident. *Si quis dixerit licere plures simul habere uxores , & hoc nulla lege divina esse prohibitum , anathema sit.*

Sic si alter conjux , vivente comparte , cum alio matrimonium contrahat , *invalidè contrahit* , & cogitur redire ad priorem conjugem. Unde quantocumque tempore absit alter conjux , non debet permitti matrimonium , nisi certò constet de morte absentis.

CONSECTARIUM IV In quo explicatur hæc vox *Impos.* Nemo sive vir , sive fœmina impotens ad carnalem copulam potest matrimonium *validè contrahere* ; matrimonium quippe est mutua traditio corporum in ordine ad usum conjugalem : ergo *invalidè contrahunt* , qui ad hujusmodi usum sunt impotentes , & inhabiles.

Sic nunquam possunt matrimonium contrahere , qui sunt impotentes *absolutè* , quales sunt Eunuchi , evirati , quales sunt senes decrepiti , juxta quosdam auctores , & quales sunt fœminæ adeò arctæ , ut nullatenus sint viri patientes : quia iimpotentia absoluta ea est , quæ duratura est semper , & quæ nullo remedio tolli potest ; hujusmodi autem est prædicta iimpotentia.

Sic certo tempore , & cum certis personis nequeunt matrimonium contrahere , qui sunt impotentes solum *respectivè* ; quia iimpotentia respectiva ea est , quæ vel se extendit ad certas solum personas , vel ad certum tantum tempus , aut quæ vel remedii.

226 MORALIS CHRISTIANA,  
medecinæ , vel precibus Ecclesiæ tolli po-  
test ; & ita *invalidè* contrahit cum Virgine,  
minimè verò cum vidua : qui est impotens  
relativè ad Virginem , & non relativè ad vi-  
duam. Item *invalidè* contrahit infans ante  
decimum quartum annum nisi ut dicunt ma-  
litia , seu vis aliqua inusitata ætatem sup-  
pleat qui transacto pubertatis tempore vali-  
*dè* contrahet. Demum *invalidè* contrahit vir-  
mulier , stante impotentia , quâ sublatâ vel  
per artem medicorum , vel per preces Ec-  
clesiæ *validè* poterit contrahere.

CONSECTARIUM V. In quo explicatur hæc vox *non Tinētus*. Matrimonium con-  
tractum inter baptizatum , & *non baptiza-*  
tum nunquam fuit validum in ratione Sa-  
cramenti ; quia Sacramentum diversum à  
Baptismo non potest recipi ab eo , qui non  
est baptizatus : validum verò semper fuit in  
ratione contractus naturalis ; quia ad Ma-  
trimonium , pro ut est solùm contractus , &  
officium naturæ , sufficit consensus partium  
sibi mutuò corpora apta ad generationem  
tradentium , quod contingere potest inter  
baptizatum , & non baptizatum. Validum  
autem in ratione contractus civilis tandem  
habitum est , quandiu non fuit per sœulares  
principes declaratum irritum ; contractus  
enī liberè initus est cívilitè validus , si  
non declaretur irritus.

Sic primis Ecclesiæ temporibus matrimo-  
nia à paganis inita ante conversionem non  
irritabantur , si una tantùm pars convertere-  
tur ; sed pars fidelis poterat habitare cum in-  
fidi , modò ista nihil tentaret contra ho-

norem Christi ; sic enim pars infidelis disponebatur ad conversionem per fidem.

Sic postea , ineunte quinto saeculo , legibus Imperatorum matrimonia inita inter baptizatos ; & non baptizatos fuerunt civiliter declarata irrita , quibus legibus acquiescit Ecclesia . Eam legem habes in codice Theodosiano lib . 9. tit . 7. leg . 5. Ne quis , inquit , Christianam mulierem in matrimonium Judeus accipiat , neque Judee Christianus conjugium sortiatur . Nam si quis aliquid hujusmodi admiserit , adulterii vicem commis- si hujus crimen obtinebit .

Sic jam universali Ecclesiae consensu cuius-  
tus disparitas dirimit Matrimonium inter  
baptizatum , & non baptizatum ; imo etiam  
catecumenum , quamvis olim validum  
censeretur matrimonium , si catecumenus  
promitteret se fore Christianum , ut patet ex  
can . 67. Concil . Agath . an . 506 .

### §. II.

*Quandonam Matrimonium nullum sit jure Ec-  
clesiastico .*

Propositio II. Toties Matrimonium invalidē contrahitur , quoties qui attentant contrahere , jure Ecclesiastico sunt inhabiles ad contrahendum : quales sunt hi , qui istis carminibus continentur .

*Infans , affinis , cognatus , qui ordine sacro  
Nestitur , aut voto ; factusve occisor , adulter  
Sparans conjugium , aut fuerit sponsalis ho-  
nefias ,*

Probatur Ratione. Ex dictis, ubi de contractibus, qui ex jure ecclesiastico sunt inhabiles ad contractus ecclesiasticos, seu quos Ecclesia dirigit, si attentent contrahere, nihil efficient. Sicuti enim inhabilitas jure naturali, vel divino inducta, reddit contractum naturalem nullum, ita inhabilitas jure Ecclesiastico inducta, reddit contractum Ecclesiasticum nullum.

Sic qui jure Ecclesiastico declarantur inhabiles ad vovendum solemniter, si attentent yovere, nihil efficiunt. Atqui matrimonium est contractus Ecclesiasticus, seu quem Ecclesia debet ditigere; quia ex Tridentino sess. 24. can. 4. Ecclesia potest constituere impedimenta matrimonium dirimentia. Ergo qui ex vi juris Ecclesiastici sunt inhabiles ad matrimonium, si attentent contrahere, nihil efficient. Sed qui exprimuntur praedictis versibus, sunt jure Ecclesiastico inhabiles ad matrimonium, ut patet ex explicatione cujuscumque vocis in particulari. Ergo si hi, qui his versibus exprimuntur, attentent contrahere, nihil efficient.

2. Ex dictis, ubi de contractibus. Ad Rem publicam pertinet apponere conditiones contractibus ipsam respicientibus, quibus non observatis, contractus sint nulli. Si testamenta juris solemnitatibus destituta sunt nulla. Atqui Ecclesia est Respublica, & matrimonia

Matrimonia ipsam Ecclesiam maximè respiciunt, cum ordinentur ad perpetuitatem Ecclesiæ; ergo ad Ecclesiam pertinet statuere certas conditiones, quibus non servatis, Matrimonia sint nulla. Inde est quod Trid. sess. 24. can. 4. sic loquatur: *si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse: anathema sit.* Si quidem, ut optimè ratiocinatur D. Th. *Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ, in quantum est in officium communítatis, statuitur jure civili, in quantum est Sacramentum, statuitur jure Divino seu Ecclesiastico.* Et ideo ex qualibet dictarum legum... potest persona effici ad Matrimonium illegitima. In 4. dist. 4. a. i. ad 4.

3. Ex factis. Ecclesia, non reclamantibus, imò obedientibus Imperatoribus, varia apposuit impedimenta dirimentia, quæ in scripturis non continentur. Ergo signum est eam accepisse à Christo vim statuendi impedimenta. Antecedens patebit inductione. Basilius ob consuetudinem in Ecclesia observatam declarat hominem viduum invalidè contraxisse Matrimonium; ed quod sororem mortuæ suæ conjugis duxerat. Concilium Neo-Cæsariense anno 314. jubet ut mulier, quæ duobus fratribus successivè nupserat. solvat Matrimonium secundum, utpote invalidum: can. 2. Concil. in Hibernia habitum sub Patricio can. 17. anno 450. declarat irritum, & nullum Matrimonium cum Virgine Deo sacra habitum. Septimo circi.

230 MORALIS CHRISTIANA.  
ter sæculo Gregorius Magnus sub pœna nullitatis prohibuit iniri Matrimonia intra primum, & secundum consanguinitatis gradum. Postea vero cautum est, ne sub pœna nullitatis iniretur Matrimonium intra septimum gradum, ut patet ex Gratiano. Tandem consanguinitas dirimens Matrimonium ad quartum gradum inclusivè in Lateranensi sub Innocentio III. & in Trident. Coarctata est. Alia plura impedimenta statuit Ecclesia, quibus non solum principes sacerdtales non contradixerunt, quin immo illis legibus humilitèr obtemperarunt. Nam Carolus Magnus, lib. 6. capitularium num. 7. ait: *de reliquis vero propinquis juxta constituta sanctorum Patroni, & juxta decreta canonum judicetur.* Ergo Ecclesia potita est iure inducendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

*Consecaria hujus Doctrinae.*

**C**ONSECTARIUM I. In quo explicatur haec vox *impubes infans*. Masculus ante decimum quartum annum, fœmina ante decimum secundum, valide ut plurimum contrahere non possunt; quia nisi malitia præveniat ætatem, nec sufficienter deliberare, nec actum conjugalem exercere valent: ideo ius canonicum l. 4. decretalium tit. 2. c. 3. irritat Matrimonium ante illud tempus iniustum, nisi malitia præveniat ætatem, quo in casu si carnaliter copulati fuerint, eorum Matrimonium validum erit, & indissolubile, ut docet D. Th. Supl. q. 58. a. 5. in corp.

**C**ONSECTARIUM II. In quo expli-

catur. Hæc vox *cognatus*. Secundum præsentem Ecclesiæ praxim in Concilio Lateranensi constitutam, & in Tridentino renovatam, Matrimonia consanguineorum nulla sunt usque ad quartum gradum inclusivæ. Illud habes ita determinatum expressè 4. decretalium titul. 13. Ratio hujus disciplinæ potest esse duplex, prima est concupiscentiæ repressio; secunda vero est conjugalis familiaritatis conservatio. Concupiscentia enim non reprimeretur, sed cresceret, ut ait D. Th. suppl. q. 54. a. 3. *Si quælibet consanguinea posset in Matrimonium duci; quia magnus concupiscentiæ aditus præberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta.* Deinde cessaret omnino familiaritas conjugalis inter sponsos, si consanguinei ascendentæ, & descendentes possent similem conjugium: filius enim debet matri, & Avix, & nepos debet materteræ, & promaterteræ reverentiam aliquam, quæ stare non potest cum familiaritate conjugali. Hanc rationem tangit scriptura, dum dicit, ne reveles turpitudinem talis, & talis v. g. matris, materteræ, &c.

## §. III.

*Quæ sint necessaria ad intelligendum, quantum pateat impedimentum cognationis.*

Nota. Cognatio est propinquitas personarum conjunctarum, vel per naturam, vel per legem Ecclesiasticam, aut civilem. Et ideo

232 MORALIS CHRISTIANA.  
triplex est cognatio; carnalis, quæ fit per naturam; civilis, quæ fit per legem civilem; spiritualis, quæ fit per legem Ecclesiasticam.

*De cognitione carnali, quæ fit per naturam.*

Cognatio carnalis est propinquitas personarum eodem sanguine coniunctarum; ideo dicitur consanguinitas. Ad cognoscendam cognitionem carnalem requiritur cognitio linearum & graduum.

Linea in *consanguinitate* est ordinata collectio plurium ab eodem stipite provenientium; sicuti enim linea est collectio punctorum, quæ videntur fluere ab uno, ita in *consanguinitate* linea est collectio plurium personarum ab eadē proveniens.

Gradus in *consanguinitate* est mensura, quā cognoscitur consanguineorum distantia; sicuti enim per gradus longitudinis, & latitudinis cognoscitur, quantum dux, v. g. urbes distent à polis, & intet se, ita per gradus consanguinitatis cognoscimus, quantum consanguinei distent à communi stipe, & inter se.

Linea in *consanguinitate* alia est recta, alia est obliqua seu collateralis. Recta est Patrum, Filiorumque, nepotum ac pronepotum, &c. quorum alter ab altero sanguinem accipit. Obliqua vero est fratrum, & consobrinorum germanorum, &c. Et aliorum, qui ab aliquo tertio sanguinem ducunt.

Linea recta, & obliqua considerari pos-

sunt, vel ascendendo, vel descendendo. Considerantur descendendo, quando spectantur ii, qui à communi stipite orti sunt. Considerantur verò ascendendo, quando spectantur hi, à quibus communis stipes dicit originem.

*Regule ad cognoscendos gradus consanguinitatis.*

REGULA I. Ut cognoscatur gradus consanguinitatis, dum accedunt, qui volunt Matrimonium contrahere, quærendum est ab uno conjugendorum.

1. Quis Pater tuus? En primum gradum.
2. Quis avus tuus? En secundum gradum.
3. Quis proavus tuus? Ecce tertium gradum.
4. Quis abavus tuus? Ecce quartum gradum.

Idem ab altero quærendum, & tantum distabunt inter se, quantum à stipite communi remotior distabit.

Regula II. Tot sunt gradus in linea ascende, vel descendente, quot sunt personæ numeratae, unâ dempta. Una persona debet demi; quia communis stipes est terminus, à quo incipimus numerare; ergo una persona debet demi. Sic Pater & Filius sunt in primo gradu: Pater & nepos sunt in secundo; & sic descendendo, vel ascendendo, vel ad latera excurrendo, numerare poteris gradus omnes. Ut patet in subjecta figura.

Regula III. Personæ æqualiter distan-

res à communi stipite tot distant gradibus  
inter se , quot distant gradibus à commu-  
ni stipite ; quia gradus sunt mensura. Er-  
go cum sit eadem mensura à stipite ad  
descendentes , quæ descendentium inter se,  
eadem erit distantia.

Sic duo fratres sunt in primo gradu ;  
quia distant uno gradu à patre. Duo conso-  
brini sunt in secundo gradu ; quia distant  
duobus gradibus à communi stipite.

Regula I V. Personæ inæqualiter dis-  
tantes tot gradibus distant inter se , quot  
gradibus persona remotior distat à stipite  
communi , quia cum impedimentum Ma-  
trimonii sit res odiosa , & odia sint restrin-  
genda à remotiori persona numeramus po-  
tiùs quam à proximiori. Unde Patruus ,  
& nepos sunt consanguinei in secundo gra-  
du quæ omnia patent in subjuncta figura.

*De cognatione legali.*

Cognatio legalis, est propinquitas personarum adoptione conjūtarum, cognatio legalis dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes, & hoc propter similes rationes, quas de consanguinitate attulimus. Siquidem adoptatus debet habere quandam reverentiam erga adoptantem, quæ stare non potest cum familiaritate conjugali. Item sub spe Matrimonii accendetur concupiscentia per frequens commercium inter adoptantem & adoptatum, si Matrimonium inter eos eis non interdiceretur.

Unde ad sequentes personas extendit se cognatio legalis, primo inter adoptantem, & adoptatum; quia adoptans se habet ut pater, adoptatus se habet ut *filius*; secundò inter adoptantem, & adoptati conjugem, & vice versa, quia conjuges habent generationem unius, juxta illud: *erunt duo in carne una*: ergo si interveniat cognatio conjugalis cum una parte, intervenit pariter cum alia; tertio inter adoptantem, & adoptati filios legitimos usque ad quartum gradum, & vice versa; quia adoptio imitatur generationem carnalem: ergo sicut generatio carnalis consanguinitatem inducit usque ad quartum gradum ex vi juris Canonici, ita adoptio debet inducere cognitionem legalem usque ad quartum gradum ex vi juris Civilis.

*De cognatione spirituali.*

Cognatio spiritualis , est propinquitas personarum Baptismo , vel confirmatione conjunctarum. Cognatio spiritualis dirimit Matrimonium inter istas personas , quas indicat Tridentinum , his verbis : *Docet experientia , inquit Sancta Synodus , propter multitudinem prohibitionum ; multoties in casibus prohibitis ignorantè contrahi matrimonium ; in quibus , vel non sine magno peccato perseveratur , vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Völens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere , & à cognationis spiritualis impedimento incipiens , statuit ut unus tantum , sive vir , sive mulier , juxta scđrorum Canonum instituta , vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant ; inter quos , ac baptizatum ipsum , & illius patrem & matrem , nec non inter baptizantem , & baptizatum , baptizatique patrem , ac matrem tantum , spiritualis cognatio contrahatur... Ea quoque cognatio , que ex confirmatione contrahitur , confirmantem & confirmatum , illiusque patrem & matrem , ac tenentem non egrediatur ; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis sublati. Sess. 24. cap. 2. de reform. Illi ergo foli cognitionem spirituale contrahunt , qui comparati possunt ad invicem sicuti patres & filii spirituales , vel sicuti fratres , aut si vis sicuti congenerantes sed diversimodè ; alii corporaliter , alii spiritualiter : v. g. baptizans & baptizatus comparantur sicut pater & filius ,

patrinus & matrina , sunt quasi patres spirituales baptizati ; baptizans , patrinus , & matrina , sunt quasi fratres , aut quasi congenerantes cum parentibus carnalibus baptizati : isti siquidem generant corporaliter ; illi vero generant spiritualiter . Idem simili ratione dicendum de Confirmatione .

CONSECTARIUM III. In quo explicatur hæc vox *affinis*. Secundum presentem Ecclesiæ præsumptam affinitatem , id est propinquitas , quam vir contrahit cum consanguineis illius mulieris , cum quâ habet copulam carnalem , & propinquitas illa , quam mulier contrahit cum consanguineis viri , cum quo habet carnalem copulam ; illa inquit , affinitas dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè , quando copula est licita , & in legitimo Matrimonio exercita . Causa 35. q. 5. can. 3. dirimit verò Matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè quando est illicita , & fornicaria , præceditque Matrimonium . Ita Trident . sess . 24. cap . 4. si verò copula carnalis sit adulterium , & exerceatur post Matrimonium jam contractum , non dirimit Matrimonium jam initum , sed privat conjugatum reum jure exigendi debitum conjugale à comparte , nisi per inculpabilem errorem facti copula acciderit . caus . 34. q. 6. & 4. Decretalium tit . 13. c . 6. & 10.

Ratio autem hujus disciplinæ Ecclesiastice juxta D . Thom . est , quod sicut est necessitas quedam cohabitandi consanguineis ad invicem , ita & affinibus : & sicut est quedam amicitiae vinculum inter consanguineos , ita & inter affines ; & proinde ne sub spe Ma-

238 MORALIS CHRISTIANA.  
timonii accendatur concupiscentia , verat Ecclesia inter affines iniri posse legitimum conjugium. Item ut inter conjugatos servetur conjugalis familiaritas , quæ vix stare posset cum ea reverentia , quæ debetur affinibus. Prohibitum est pariter inter affines conjugium usque ad certos gradus , scilicet usque ad quartum , quando copula est licita ; usque ad secundum , quando copula est illicita.

Ad cognoscendam affinitatem iisdem regulis utendum , quibus usi sumus ad cognoscendam consanguinitatem ; cum enim commixti carnaliter fiant una caro , vir sit affinis cum consanguincis illius fœminæ , cum qua commiscetur , & hoc in eodem gradu , in quo est fœmina , & pariter fœmina sit affinis consanguineorum illius viri , cum quo habet commercium carnale , & hoc in eodem gradu , in quo est vir ita ut qui est uxor consanguineus in primo gradu , sive rectæ , sive transversæ fineæ , is sit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ , vel transversæ .

CONSECTARIUM IV<sup>o</sup> In quo explicantur hæc voces , qui ordine sacro nesciuntur , aut votu: Qui est in ordinibus sanctis , vel emisit votum solemne castitatis in religione approbata , nequit matrimonium VALIDE contrahere ; quia juxta præsentem Ecclesiæ praxim votum solemne religiosorum , & lex Ecclesiastica imposta Subdiaconis de servanda castitate matrimonium dirimit : ut docet Trident. sess. 24. can. 9. his verbis. Si quis dixerit regu-

*lares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, anathema fit.*

CONSECTARIUM V. In quo explicantur hæc voces, factusve occisor adulteri conjugium sperans. Qui sub spe matrimonii ineundi cum ea compare, quam deperit, aut machinatur occasionem illius sponsi, quocum persona amata matrimonio ligatur, aut adulterium ab ea extorquet, promittendo matrimoniu, ubi denortua fuerit pars conjugata, quæ impedimento est; ne matrimoniu ineatitur, ille, inquam, qui tale crimen occasionis, aut adulterii committit, inhabilis est ad matrimonium ineundum cum persona, quæ aut hujus homicidii, aut adulterii fuit conscientia; Ecclesia enim voluit eà lege removere à conjugatis occasiones, aut adulterii committendi sub spe futuri matrimonii, aut moliendi odiosæ compartis mortem, quam facile intendissent plures conjugati, si affulisset spes ineundi matrimonium cum persona inique amata & adulterii, aut homicidii complice.

Sic Titius, & Berta conjugati, non quidem simul, sed Titius cum Maria, Berta cum Petro: Titius tamen, & Berta mutuo sese amore depercunt; committuntque adulterium, promissione data, & acceptata ineundi matrimonium ad invicem, ubi Maria, & Petrus mortui fuerint: et si nihil faciant; quod mortem acceleret, tamen inire invicem matrimonium non possunt. Non licet, inquit Concilium Tribu-

40 MORALIS CHRISTIANA.  
riense, an. 895. can. 40. Ut nullus ea matr  
in matrimonio, cum quā prius pollutus est  
adulterio: Si tamen committeretur adulterium  
sine tali promissione, aut si promissio  
offerretur, sed non acceptaretur, tunc  
validē posset contrahi matrimonium, ut di-  
cit Aug. *Mortuo virō, inquit, cum quo ve-*  
*rūm connubium fuit, fieri potest conjugium,*  
*cum quo præcessit adulterium.* De nuptiis, &  
concupiscentia, lib. I. cap. 10.

Sic idem Titius, & Berta post adulterium  
ab ipsis commissum, machinantur mor-  
tem, vel Petri, vel Mariæ; & ex tali ma-  
chinatione sequitur mors, non possunt si-  
mul inire matrimonium, ut expressè docet  
Alexander. III. cap. *Super hoc de eo, qui*  
*duxit uxorem, quam polluit adulterio.* Ubi  
sic loquitur: *Tibi respondemus, quod si adul-*  
*ter est in mortem uxorii aliquid machinatus,*  
*sive dedit fidem, sive non, quod ea defuncta*  
*hanc esset ducturus, secundum canones ab*  
*eius consortio prohibetur, & hæc prohibitiæ*  
*perpetuæ est servanda.* Si verò ex machina-  
tione non sequatur mors, & adulterium  
commissum sine spe matrimonii, contrahi  
potest matrimonium inter Titium, & Ber-  
tam.

Sic idem Titius, & Berta nullum habent  
inter se carnale commercium, sed suis ma-  
chinationibus moliuntur mutuo consensu  
mortem Petri, & Mariæ, ut soluti lege  
prioris conjugii inter se matrimonium in-  
eant, sunt inhabiles ad tale matrimonium  
in pœnam homicidii commissi.

Sic & Titius conjunctus cum Maria, &  
vivente

TRACT. DE SACRAMENTIS. 241  
vivente Mariâ legitima ejus conjugé ineat nuptias, easque consummet cum Berta conjuncta cum Petro, non potest etiam post mortem Mariæ cum Berta valide inire matrimonium, si certò scierit Titium esse conjugatum, dum sposalia cum ea iniit. Ita docet Alexander III. cap. Ex litterarum, de eo, qui duxit uxorem, quam polluit adulterio. *Antequam*, inquit, *uxor decederet*, *aliam superinduxit*, & *plures suscepit filios ex eadem*, *illos*, scilicet conjuges debes ab invicem separare. *Idem verò vir*, *indictâ ei de adulterio pænitentiâ*, *aliam ducere poterit in uxorem.*

Notandum, quod si idem Titius & Berta ita se haberent, ut alter illorum esset liber à lege matrimonii: v. g. si Titius non esset conjugatus, vel Berta non esset conjugata; si tamen idem molirentur, quod diximus, simul conjugium contrahere non possent.

CONSECTARIUM VI. In quo explicantur hæc voces. *Aut fuerit sponsalis honestas.* Quippe honestas publica est impedimentum dirimens, proveniens, vel ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio invalido, vel ex matrimonio valido quidem, rato solum, & non consummato: in honestum enim esset, ut qui validè contraxit sponsalia, vel matrimonium cum aliqua persona, cù mortuâ ineat matrimonium cum consanguineis illius personæ, cum qua inierat sponsalia valida, vel matrimonium etiam invalidum, aut validum, sed non consummatum; nam si consummatum esset matrimonio

242 MORALIS CHRISTIANA.  
nium, tunc non interveniret publica honestas, sed affinitas. Sponsalia autem invalida nullum inducunt impedimentum; valida vero inducunt impedimentum usque ad primum gradum, ita Trident. sess. 24. cap. 3. ubi sic habetur: *Institutione publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione validæ non erunt, sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.*

Matrimonium invalidum ex aliquo defectu diverso à defectu consensus inducit impedimentum usque ad primum gradum, ut determinavit Congregatio Cardinalium. Si vero matrimonium sit nullum ex defectu consensus, nullum inducit impedimentum. Matrimonium validum, ratum quidem, sed non consummatum inducit impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, ut determinavit Pius V. Bulla, quæ incipit ad Romanum an. 1568.

Matrimonium validum ratum, & consummatum non inducit impedimentum honestatis publicæ, sed affinitatis; quia conjugati facti sunt una caro. Ex quibus regulis hæc sequuntur.

Si Titius sponsalia valida inierit cum Berta, non potest inire Matrimonium, neque cum ejus matre, neque cum ejus sorore, neque cum ejus filia, si quam Berta haberet; nec Berta similiter potest inire matrimonium cum Patre, vel filio, vel fratre Titii; quia sunt in primo gradu. Possent tamen & Titius, & Berta contrahere matrimonium cum parentibus ulteriori gradu sanguinis,

Si Titius pleno consensu inivit matrimonium invalidum cum Berta, non potest inire matrimonium, nec cum matre, nec cum filia, nec cum sorore Bertæ, bene tamen cum aliis parentibus Bertæ; quia priores parentes sunt in primo gradu; similiter Berta nequit inire conjugium nec cum patre, nec cum filio, nec cum fratre Titii; bene tamen cum aliis parentibus Titii; quia priores parentes sunt in primo gradu. Si vero matrimonium fuerit coacte initum pariter cum parentibus Bertæ, etiam in primo gradu existentibus inire matrimonium.

Si Titius inierit matrimonium cum Berta validum quidem, sed non consummatum, non poterit inire matrimonium cum Berta parentibus usque ad quartum gradum; nec pariter Berta cum parentibus Titii.

Si Titius inierit matrimonium validum, ratum, & consummatum, non poterit inire matrimonium cum parentibus Bertæ usque ad quartum gradum; neque Berta cum parentibus Titii usque ad quartum gradum; quia affinitas ex copula licita extendit se usque ad quartum gradum.

CONSECTARIUM VII. In quo explicantur hæc voces. *Si Parochi & duplicitis desit præsentia testis.* Si quis post decretum Tridentini, ubi decretum illud receptum est, contrahit absque præsentia Parochi & testium, invalidè contrahit, sic enim habet concilium sess. 24. cap. 1. de reform. matri. *Qui aliter,* inquit, *quam præsente Parocco, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimo-*

244 MORALIS CHRISTIANA.  
nium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit & annullat, quam irritationem Concilii, multa Concilia provincialia in Gallia approbarunt, & observandam decreverunt, eamque Edictum Blesense art. 40. in pleno robore reliquit, & observandam esse jussit. Si quis tamen contrahat coram Episcopo suo, coram ejus Vicario Generali, coram Cardinali in Ecclesia sui tituli, coram delegato à Parocho, modò adsint duo testes, validè contrahit; quia Episcopus, Vicarius Generalis, Cardinalis in suo titulo, autoritatem habent parochiale. Delegatus verò à Parocho vices gerit Parochi. Item qui contrahit coram Parocho nolente, & coram testibus nolentibus, modò & Parochus & testes sint verè praesentes, validè contrahit; quia ad impediendum clandestinum matrimonium, sufficit quod Parochus & testes possint verè attestari. Item qui contrahit coram Parocho nondum sacerdote valide contrahit; quia potest esse testis. Demum qui contrahit coram Parocho habente titulum non verum, sed tamen coloratum, quique exteriorū reputatur ut verus titulus, validè contrahit; quia talis Parochus potest esse testis.

CONSECARIUM VIII. In quo explicantur hæ voces *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ*. Raptus, de quo hic agitur, est abductio personæ, sive fiat ad exemplandam libidinem, sive ad contrahendum

TRACT. DE SACRAMENTIS 245  
matrimonium, & juxta præsentem Ecclesiæ  
praxim impedit matrimonium. ut expressè  
docet Tridentinum sess. 24. cap. 6. de re-  
form. matrim. his verbis: *Decernit sancta  
Synodus inter raptorem & raptam, quandiu ip-  
sa in raptoris potestate manserit, nullum posse  
constituere matrimonium, quod si raptæ à raptor-  
e separata, & in loco tuto & libero constituta,  
ilium virum habere consenserit, eam raptor in  
uxorem habeat.*

#### §. IV.

*Quandonam matrimonium sit nullum quatenus  
est contractus civilis.*

Propositio unica. Totiès matrimonium  
est invalidum, saltem quoad effectus civiles,  
quotiès qui attentant contrahere, sunt jure  
civili inhabiles ad contrahendum: qualcs  
censeri debent, qui hoc carmine continentur.

*Impediunt domini servos, natosque parentes  
contrahere.*

Probatur ratione. Ex dictis ubi de con-  
tractibus. Qui jure civili sunt inhabiles ad  
contractus civiles, si attentent contrahete,  
nihil efficiunt: sic solemniores contractus,  
v. g. venditiones fundi, promissiones ingen-  
tis summæ, testamenta, &c. Nullum habent  
vigorem, si non muniantur solemnitatibus  
jure civili requisitis: atqui contractus ma-  
trimonialis est contractus civilis, cuius di-  
rectio ad temp publicam pertinet, cum ex

246 MORALIS CHRISTIANA.  
ejus validitate, vel invaliditate pendent ci-  
vium propagatio & familiarum tranquillitas:  
ergo qui ex jure civili declarantur inhabiles  
ad matrimonium, si matrimonium attentent  
contrahere, nihil efficient; sed qui prædicto  
carmine exprimuntur, per jus civile decla-  
rantur inhabiles ad contrahendum, ut pate-  
bit explicando voces prædicti carminis; et  
go si attentent matrimonium contrahere, ni-  
hil efficient juxta jus civile; & proinde ma-  
trimonium erit nullum quoad effectus ci-  
viles.

*Consecataria hujus doctrine.*

CONSECTARIUM I. In quo explicantur  
haec voces, *Impeditunt Domini servos con-  
trahere*. Servi, qui ante manumissionem,  
id est, non libertate donati, contrahunt  
matrimonium sine consensu dominorum,  
invalidè contrahunt quoad effectus civiles:  
tunc eorum conjugia non matrimonia di-  
cuntur, sed contubernia: & proinde filii,  
qui ex tali societate oriuntur, non sunt pa-  
rentum, sed Dominorum; quia quidquid  
servus acquirit, Domino acquirit. Hic au-  
tem servorum nomine, non intelligimus  
eos Ministros, qui suas operas locant, quos  
lato nomine servos vocamus; sed intelli-  
gimus eos, qui sunt sub dominio alterius,  
quos mancipia vocamus, siabantque  
olim, aut Jure belli, cum capti ab Hosti-  
bus non occidebantur, sed conservabantur,  
aut jure nativitatis, cum nascebantur ex  
captiis, aut Jure venditionis, cum quis

TRACT. DE SACRAMENTIS. 247  
homo liber major viginti annis se venundari patiebatur. Sed rara est apud Christianos hæc servitus, saltē apud Gallos.

CONSECTARIUM II. In quo explicantur hæc voces; *Impediunt parentes natos contrahere*. Filii-familias, qui contrahunt matrimonium, invitis & reclamantibus parentibus, invalidè contrahunt quoad effectus civiles apud omnes gentes, apud quas viget jus Romanum, & apud Gallos ex vi juris Gallorum; quia utrumque jus declarat illas nuptias invalidas: ita enim habet Justinianus lib. I. Instit. tit. IO. *Fustas autem, inquit, nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viri potentes, sive patres-familiarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt: nam hoc fieri debere, & civilis & naturalis ratio suadet..... si adversus ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur.* Itaque hi, qui ex hoc coitu nascuntur.... sunt tales, quales hi, quos mater vulgo concepit: quod idem sonat, ac si diceret, matrimonium esse nullum quoad effectus civiles. Idem habet jus Gallorum. Nam Ludovicus XIII. an. 1629. vult statutum Blesense de matrimoniis clandestinis ad amissim servari.

Statutum Blesense sub Henrico III. anno 1585.  
art. 24. & 40.

Pour obvier aux abus & inconveniens,

248 MORALIS CHRISTIANA  
qui aviennt des Mariages clandestins,...  
& s'ils sont enfans de famille , ou en la puissance d'autrui : Nous leur défendons ( aux Curez & Vicaires ) très-étroiteme nt de passer outre à la célébration desdits Mariages , s'il ne leur apparoit du consentement des Peres , Mères , Tuteurs , & Curateurs , sur peine d'être privez comme fauteurs du crime de rapt .

ORDONNONS que les enfans de famille , qui contracteront Mariages clandestins contre le gré , vouloir & consentement , & desceu de leurs peres & mères , puissent pour telle irreverance & ingratitudo , mépris & contemnemment de leursdits peres & mères , transgression de la Loi & Commandement de Dieu , & offense contre les droits de l'honnêteté publique , inseparabile d'avec l'utilité , être par leursdits peres & mères & chacun d'eux , exheredez & exclus de leurs successions , sans esperance de pouvoir quereller l'exheredation , qui ainsi aura été faite .

Pourront lesdits peres & mères pour les causes que dessus , revoquer toutes & chacunes les donations & avantages , qu'ils auront fait à leurs enfans .

Les enfans , qui ainsi seront illicitemen t conjoints par Mariages , seront aud. cas d'exheredation , declarez incapables de tous avantages , profits & emolumens , qu'ils pourroient prétendre par le moyen des conventions apposées ez contrats de Marriage , ou par le benefice des coutumes & Loix de notre Royaume . Du benefice des-

quelles les privons & déboutons, comme ne pouvant implorer le benefice des Loix & Coutumes, eux qui ont commis contre la Loi de Dieu & des hommes.

Ne seront sujets à la peine susd. Les Mariages, qui seront contractez par les fils excedans l'âge de 30. ans & les filles ayant 25. ans passéz & accomplis, pourveu qu'ils se soient mis en devoir de requerir l'avis & conseil de leursdits peres & meres. Ce que voulons aussi être gardé pour le regard des meres, qui se remarient ; desquelles suffira requerir leur conseil & avis : Et ne seront lesdits enfans audit cas tenus d'attendre leur consentement.

*Statutum Ludovici XIII. an. 1639.*  
art. XXXIX.

L'Ordonnance de Blois touchant les Mariages clandestins sera exactement observée, & y ajoutant, voulons que tous Mariages contractez contre la teneur de ladite Ordonnance soient declarez non valablement contractez, faisant défenses à tous Curez & autres Prêtres, Seculiers & Reguliers, sur peine d'amende arbitraire, célébrer aucun Mariage des personnes qui ne seront de leurs paroissiens, sans la permission de leurs Curez, ou de l'Evêque Diocésain, nonobstant tous privileges à ce contraires. Et seront tenus les Juges Ecclesiastiques, juger les causes desdits Mariages, conformément à cet article.

*Ludovicus XIV. hac eadem supradicta statuta confirmavit, & exacte observari mandavit anno 1697. mense Martio.*

## §. V.

*An matrimonium servorum, contractum invitis Dominis, & filiorum-familias, contractum invitis parentibus, sit validum, quatenus est Sacramentum.*

Propositio I. Matrimonium servorum, contractum invitis Dominis, validum est, quatenus Sacramentum.

Probatur I. Ex Jure Canonico. Caus. 29. q. 2. Can. *Omnibus*, ubi sic habetur. Si autem omnes, scilicet servi & liberi, unam legem habent: ergo sicut ingenuis dimitti non potest, sic nec servus semel conjugio copulatus, ulterius dimitti poterit. Et Concilium Cabillonense 2. Can. 30. *Dictum*, inquit, nobis est quod quidam legitima servorum matrimonia, potestativâ quâdam præsumptione dirimant, non attendentes illud Evangelicum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Unde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiam si diversos Dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes, Dominis suis serviant. Et Concilium Lateran. Sub Alexandro III. approbat illud Adriani decretum, quod si matrimonia servorum, Dominis invitis & contradicentibus, contracta fuerint, nullâ ratione propter hoc solum Ecclesiastico jure dissolvenda.

2'. Ex D. Thom. *Sicut servus*, inquit,

subditur Domino, quin liberè possit comedere & dormire, & alia hujusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest, ita non subditur ei, quantum ad hoc, quod non possit liberè matrimonium contrahere, etiam Domino nesciente, aut contradicente. Supplem. q. 52. a. 2. in corp.

3<sup>o</sup>. Ratione. Qui nullum habet impedimentum Ecclesiasticum ad matrimonium, prout est Sacrementum, potest matrimonium, prout est Sacrementum, validè suscipere, ut patet: Atqui mancipia ratione servitutis cognitæ à contrahentibus, nullum habent impedimentum Ecclesiasticum, ut patet ex Conciliis supra citatis: Ergo possunt mancipia validè matrimonium in ratione Sacamenti contrahere, etiam invitis dominis.

CONSECTARIUM unicum. Quandò servi post cognitam servitutem inierunt ad invicem matrimonium, eadem sibi mutuò debent officia conjugalia, quæ sibi debent conjugati liberi; quia matrimonium ab eis contractum verum est Sacrementum, atque eos ligans, ac si essent omnino liberi & sui juris.

Propositio II. Matrimonium Filiorum-familias, contractum nescientibus, aut contradicentibus parentibus, non potest pro libito parentum nullum declarari: atque ideo, attenta præcisè autoritate paternâ, tale matrimonium debet censri validum, quatenus Sacrementum.

Probatur 1. Ex Concilio Trident. ss. 24

252 MORALIS CHRISTIANA,  
cap. i. ubi Concilium damnat eos, qui fal-  
so affirmant matrimonia à filiis-familiis, sine  
consensu parentum contracta, irrita esse, &  
parentes ea rata, vel irrita facere posse: ut  
volebant erroneè Lutherani & Calvinistæ:  
Ergo parentes, ex vi solius paternæ potes-  
tatis, non possunt matrimonia filiorum, a-  
liundè valida, irrita facere.

2º. Ex D. Thom. *Puella*, inquit, non est  
in potestate patris, quasi ancilla, ut sui tor-  
poris potestatem non habeat, sed quasi filia ad  
educandum; & ideo secundum hoc, quod li-  
bera est, potest se in potestatem alterius sine  
consensu patris dare, sicut etiam potest aliquis,  
vel aliqua intrare in Religionem absque con-  
sensu parentum, cum sit persona libera. *Suppl.*  
3. *P. q. 45. a. 5. ad 1.*

3º. Ratione. Illi, qui nullum habent im-  
pedimentum Ecclesiasticum ad matrimo-  
nium, prout est Sacramentum, possunt ma-  
trimonium, prout est Sacramentum validè  
contrahere: ut patet. Atqui filii-familias  
nullum habent impedimentum Ecclesiasti-  
cum, præcisè ex defectu consensū paren-  
tum: ut patet ex autoritatibus supra alla-  
tis. Ergo possunt validè matrimonium in ra-  
tione Sacamenti contrahere sine consensu  
parentum.

CONSECTARIUM unicum. Quando filii-fa-  
milias plenā libertate contraxerunt matri-  
monium sine consensu parentum, si nulla  
lex, vel civilis, vel Ecclesiastica, reddat  
illud matrimonium invalidum, non obstan-  
te parentum dissensu, debent eadem sibi  
mutuo conjugalia officia reddere, ac si in-  
tervenisset

TRACT. DE SACRAMENTIS. 253  
tervenisset consensus parentum; quia dissensus solus parentum non potest matrimonium filiorum-familias invalidum reddere: sic matrimonium Esaü, Judæ, Tobiz, &c. quamvis sine consensu parentum initum, non declaratur in scripturâ ut invalidum, sed matrimonia Esaü & Judæ habentur solum ut illicita; matrimonium vero Tobiz habetur ut licitum; quia factum fuit, Angelo dirigente, & cum præsumpto patris consensu.

### §. VI.

*An autoritas paterna, roborata per leges civiles simul & Ecclesiasticas, reddere possit matrimonium invalidum, & quatenus est contractus, & quatenus est Sacramentum.*

Propositio unica. Paterna potestas, lege civili adjuta, & lege Ecclesiastica roborata, potest matrimonia filiorum-familias, sine consensu parentum inita invalida reddere; id est quando lex civilis declarat matrimonia filiorum-familias esse nulla in esse contractus, & lex Ecclesiastica eam legem civilem approbat, & in illo casu invalidum matrimonium, quatenus est Sacramentum, decernit; tunc dissensus parentum reddit matrimonium invalidum, non solum quatenus contractus, sed etiam quatenus Sacramentum.

Probatur ratione. Tunc in illis circumstantiis dissensus parentum est impedimentum dirimens, cum jus civile & Ecclesiasticum, si simul uniantur, possunt impedi-

254 MORALIS CHRISTIANA.  
menta dirimentia statuere: tunc enim valet  
illud Justiniani. Nullum pactum, nullam con-  
ventionem, nullum contractum inter eos vide-  
ri volumus subsecuum. qui contrahunt, Le-  
ge prohibente. L. I. Cod. tit. 14. & sicut  
clandestinitas vetita lege civili, & odiosa  
Ecclesiæ, ante Tridentinum reddebat ma-  
trimonium tantum illicitum, post Tridentinum  
vero reddit Sacramentum nullum;  
sic dissensus parentum reddet matrimonium  
nendum illicitum, sed etiam invalidum, si  
interveniat lex civilis & Ecclesiastica, quæ  
matrimonia illa invalida declareret.

CONSECTARIUM unicum. In illis regioni-  
bus, in quibus vigent leges civiles, declaran-  
tes ea matrimonia invalida, quæ inita sunt,  
dissentientibus parentibus; si leges illæ ci-  
viles in toto suo robore ab Ecclesia ap-  
probentur, & ad matrimonium, quatenus  
est Sacramentum extendantur, tunc matri-  
monium est nullum, nendum quatenus con-  
tractus, sed etiam quatenus Sacramentum,  
nendum quoad effectus civiles, sed etiam  
quoad vinculum; adeò ut qui sic invalidè  
attentarunt contrahere, possint validè ad  
alias nuptias convolare; quia matrimonium  
illud est vere invalidum. Sic juxta gra-  
vissimos Theologos, primis Ecclesiæ tem-  
poribus, matrimonia inita absque consen-  
su parentum, non modo illicita, sed etiam  
invalida reputabantur, scilicet quia Eccle-  
sia leges imperatorum, ea matrimonia ir-  
xitantes approbabat, & in toto suo robore  
observari volebat. Ideò Tertulianus ait,  
lib. 2, ad uxorem cap. ultimo. Nec ipse terri-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 255  
filii sine consensu patrum ritè & jure nubent.  
Et Basilius ad Amphilochium Canon. 40.  
Eorum, qui sunt in alterius potestate, pacta  
conventa firmi nihil habent. Et Can. 42.  
Quæ sine his, qui habent potestatem, fiunt ma-  
trimonia, sunt fornicationes. Quæ discipli-  
na duravit in Ecclesia decem primis sœculis,  
donec ipsamet Ecclesia cœpit speciales le-  
ges circa matrimonia statuere: & in omni-  
bus non secura est leges Imperatorum. Sic  
in Ecclesia Græcâ durat adhuc hæc consue-  
tudo, ut nulla habeantur, & quatenus con-  
tractus, & quatenus Sacramentum, ea ma-  
trimonia filiorum-familias, quæ fiunt, dis-  
sentientibus parentibus; & tamen in unione  
Florentina Græci non judicati sunt, aliquid  
erroneum circa hanc quæstionem docere.

### §. VII.

*An paterna potestas adjuta per solas leges ci-  
viles, irritantes filiorum-familias matrimo-  
nium, quatenus est contractus, possit irri-  
tare idem matrimonium filiorum-familias, qua-  
tenus est Sacramentum.*

Propositio unica. Quando sola lex ci-  
viles irritat matrimonia filiorum-familias ini-  
ta sine consensu parentum, declarat editis  
suis, se attingere solum matrimoniū, qua-  
tenus est contractus, minime quatenus est  
Sacramentum; tunc matrimonia, inita con-  
tra patrum voluntatem, invalida sunt quoad  
effectus civiles, minimè vero quoad vincu-  
lum Sacramenti.

Probatur ratione. Auditoria paterna nihil juris habet ad dirimenda matrimonia, nisi quatenus roboratur per jus civile & Ecclesiasticum; quia iniquum esset, ut matrimonia filiorum-familias penderent omnino ab arbitrio parentum; quia parentes aliquando sunt suspectæ religionis, & filii destinant conjuges, à quibus possint corrumpti; aliquando avari, & injuste dengant dotem; aliquando erga filios male affecti, voluntque eos per fas & nefas in monasteria detrudere. Atqui in nostro casu auditoria paterna non juvatur lege civili; quæ expresse declarat se nolle attingere substantiam Sacramenti; non juvatur pariter lege ecclesiastica; quia ut supponimus, lex ecclesiastica declarat solum illa Sacra menta illicita, non invalida. Ergo paterna potestas in illo casu non potest dirimere matrimonia filiorum-familias, aliunde valida.

**CONSECTARTUM UNICUM.** In his regionibus, in quibus legislatores expressè declararunt, se suis editis circa matrimonia filiorum-familias statutis, noluisse attingere substantiam Sacramenti, sed ad solos effectus civiles respexisse: in illis, inquam, regionibus matrimonia inita absque consensu parentum, licet invalida quoad effectus civiles, valida tamen sunt quoad vinculum Sacramenti, & proinde neuter conjugatus, superstite compare, non poterit ad alias nuptias convolare; quia primum matrimonium supponitur validum, & uterque conjugatus tenebitur reddere comparti debitum conjugale: sic si verum fit, quod habetur in commenta-

riis Cleri Gallicani. Tomo. 1. pag. 774.  
 (quod utique in dubium te vocari non potest) si verum, inquam, sit, quod Rex Galliae Clero per Cancellarium responderit, quod verba ista suorum edictorum VALIDE, vel INVALIDE, ubi sermo est de matrimoniis filiorum-familias, contra parentum voluntatem initis, non aliter explicanda essent, quam per solam relationem ad effectus civiles. In Gallia, inquam, post talem Regis declarationem, matrimonia filiorum-familias, inita contra voluntatem patrum, sunt quidem irrita quoad effectus civiles, minimè quoad vinculum Sacramenti: quod si Parlamenta aliquando declararent conjugatos illos omnino liberos, & ad alias nuptias posse convolare, id faciunt non præcisè ob defectum consensū paterni, sed ratione Raptūs, qui præsumitur intervenisse: ut enim ait optimè Gervasius Doctor Sorbonicus: *Raptūs nomine, non illud tantum impedimentum debet intelligi, in quo vis & violentia reperiuntur ... sed is, in quo seductio principem locum tenet.*

## §. VIII,

*Quid sentiendum de illis legibus civilibus, que indeterminate irritant matrimonia, inita contra consensum parentum.*

Propositio unica. Quando lex civilis irritat matrimonia filiorum-familias inita sine consensu parentum, & indeterminatè loquitur, non distinguens inter Sacramentum & contrac-

etum; tunc maximè dubium est, an matrimonium, initum contra voluntatem partum, sit validum, vel invalidum.

Juxta insignes Theologos tale matrimonium est validum, quatenus Sacramentum; quia, inquiunt, ad jus civile non spectat attingere ea, quæ Sacramentum componunt, sed solum ea, quæ extra ipsius naturam sunt: unde Concilium Trident. anathema pronuntiat contra eos, qui dixerint Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta, matrimonium dirimentia. Ita sess. 24. can. 4. vel qui dixerint, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos; nihil dicens de impedimentis, quæ à Principibus. fœcularibus statui possent.

Juxta Juris-consultos & aliquos Theologos. non insimæ notæ, illud matrimonium est invalidum, quatenus Sacramentum est; quippè, inquiunt, non potest esse Sacramentum sine materia: materia autem matrimonii, ut ipsi putant, non est contractus naturalis, acceptatus ab Ecclesia, sed contractus verè civilis, qualis non est ille, qui fit contra leges Principum. Ergo si matrimonium careat debitâ materiâ, non poterit esse validum, quatenus est Sacramentum.

In illa sententiarum diversitate. & æquilibrio hinc & inde assuliente probabilitate, tutior pars est sequenda: tutius autem est declarare prædictum matrimonium validum, quam nullum, in ratione Sacramenti, quia tutius est, ut matrimonium dubium declares validum, quam si illud habeas ut nullum: quippè si tale matrimonium

declaretur validum: 1<sup>o</sup>. Fides data & acceptata à conjugatis, quæ jure naturali est inviolabilis, illæsa conservatur. 2<sup>o</sup>. Remedium affertur incontinentiæ utriusque partis. 3<sup>o</sup>. Proli vel natæ, vel nascituræ providetur. 4<sup>o</sup>. Renovando consensum, & supplendo id omne, quod fuerat omissum, matrimonium quod ut dubium habebatur, certissimum & indubitatum fit.

Siverò dubium illud matrimonium declaras invalidum, exponis utrumque conjugem. 1<sup>o</sup>. periculo frangendi fidem datam & acceptatam. 2<sup>o</sup>. Periculo incontinentiæ. 3<sup>o</sup>. Si permittas ad alias nuptias convolare, dissolvis, quod Deus fortè voluit esse indissoluble, separas fortè quæ Deus conjunxit, & exponis utramque comprehendem per perpetuo adulterio; quia fortè ligata per prius matrimonium contrahit secundum. 4<sup>o</sup>. Satius est prius matrimonium tametsi dubium perseverare, & emendari quod peccatum est.

### ARTICULUS II.

*Quandonam Sacramentum sit illicitum, & infructuosum ob defectum sanctitatis, quæ requiritur tum in ministro conferente, tum in subiecto recipiente; & quale peccatum sit indigna Sacamenti receptio, vel collatio.*

Propositio 1. *Quicumque recipit Sacramentum in statu peccati mortalis, non priùs elicito actu contritionis, quâ vel à statu peccati exeat, vel saltem affectum peccati mortalis procul amoveat, peccat mortaliter peccato sacrilegii,*

Probotur 1. Scripturā. *Mundamini*, qui fertis *vasa Domini*: Isaix. 52. v. 11. ergo si hi, qui portant *vasa Domini*, debent mundari, abjiciendo omnem affectum peccati mortalis à fortiori debent mundari hi, qui recepturi sunt Sacraenta: & proinde consciī sunt sacrilegii, si sacram illam cordis dispositionem negligant. 2<sup>o</sup>. Ex Ambros. lib. 7. in Lucam. cap. 57. ubi loquens de Sacramentis tum veteris, tum novae legis, sic concludit. *Nemo enim*, inquit, *mundari potest*, scilicet per Sacraenta, nisi *qui metuit Dominum*. Ergo abjiciendus est affectus peccati mortalis, si velimus mundari per Sacraenta.

3<sup>o</sup>. Ratione. Obicem ponere rei sacræ est sacrilegium; quia nulla major injuria rei sacræ irrogari potest, quam si ejus tollatur efficacia: atqui hi, qui accipiunt Sacraenta cum affectu peccati mortalis, obicem ponunt Sacramentis, eorumque effectum impediunt, quia ex Florent. *Hæc nostra Sacraenta & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*; coinquinant verò eos, qui indignè ad sacra illa signa accedunt: ergo peccant mortaliter peccato sacrilegii, qui cum affectu peccati mortalis sacramenta recipiunt. Et sicut Ecclesia dicit quod Eucharistia mors est malis, vita bonis; idem dici potest de aliis Sacramentis; & proinde sicut sacrilegii reus est, qui conscius peccati mortalis ad Eucharistiam non venter accedere, ita sacrilegus est, qui cum affectu peccati mortalis quodcumque aliud Sacramentum audet recipere.

*Consecaria hujus doctrinæ.*

**CONSECTARIUM I.** Peccant mortaliter peccato sacrilegii, qui Sacra menta mortuorum, scilicet baptismum, & pœnitentiam cum affectu peccati mortalis recipiunt; quia ex Trident. dispositio ad duo illa Sacra menta est fides, spes, & charitas initialis, & detestatio peccatorum. Sic enim habet sancta Synodus sess. 6. cap. 6. *Disponuntur*, inquit, *fideles ad ipsam justitiam, dum excitat divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* . . . . in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnisi justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquid, & detestationem.

**CONSECTARIUM II.** peccant mortaliter peccato sacrilegii, qui consciî peccati mortalis, Eucharistiam attentant recipere, nisi prius per veram cordis contritionem omnem peccati mortalis affectum abjecerint, & insuper si copiam habeant confessarii, pœnitentiae Sacramentum receperint. Concilium enim Tridentinum exigit, ut rei peccati mortalis non modo conterantur, sed etiam confiteantur, priusquam Sacram Eucharistiam recipient, cum urget præceptum, vel celebrandi, vel recipiendi Eucharistiam: Sic enim loquitur Sancta Synodus, sess. 13. Can. II. *Et ne tantum Sacramentum, inquit, indignè, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ip-*

*sa Synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ confessoris necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalē. Et cap. 7. Ait quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

**CONSECTARIUM III.** Peccant mortaliter peccato sacrilegii, qui cum affectu peccati mortalis vel confirmationem, vel Extremam-unctionem, vel ordinem, vel matrimonium suscipiunt; istæc enim Sacra menta sunt, ut dicunt Sacra menta vivorum: ergo oportet, ut qui ea suscipiunt mortui non sint per peccatum, sed incipiāt saltem vivere vitâ spirituali, abjiciendo à se omnem affectum peccati mortalis. Oportet ergo si copiam confessarii non habeant, ut actum contritionis eliciant, & votum confitendi habeant. Si verò copiam habeant confessarii, oportet ut prius confiteantur, quām Sacra menta vivorum recipiant, ut dicemus, ubi explicabimus, quandonam urgeat præceptum confessionis.

**Propositio. II.** quicumque extra casum necessitatis suscipit Sacramentum ab indigno Ministro, cognito ut tali, & ab Ecclesia non tolerato, peccat mortaliter peccatos sacrilegii.

Probatur I. scripturâ. Paulus alloquens Corinthios sic habet: *Si is, qui frater cognominatur, est fornicator, aut avarus, aut Idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, idem dic de sacrilego ministro, cum ejusmodi nec cibum sumere.* I. ad Corinth. 5. a. II. ergo si ex Paulo, non li-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 263  
erat cibum sumere cum fratre cognito fornicario vel malefico &c. si non liceat communicare in civilibus cum ministro ab Ecclesia non tolerato, à fortiori non licet cum ministro non tolerato in sacris communicare; & quia communicare in sacrilegio est sacrilegium: ergo reus est sacrilegii, qui extra casum necessitatis suscipit Sacramentum ab indigno ministro ab Ecclesia non tolerato.

2. Ex D. Thom. 3. p. q. 64. a. 6. ad 2.  
Si vero indignus minister ab Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit Sacramentum: quia communicat peccato ipsius. Et quia peccatum ministri est sacrilegium, cum sit injuriosa Sacramenti contreditio, recipiens Sacramentum reus est sacrilegii.

3. Ratione qui cooperatur sacrilegio, committit sacrilegium juxta illud Pauli: *digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Ad Rom. 1. sed qui suscipit Sacramentum a ministro sacrilego cognito ut tali, & habito ut tali, cooperatur sacrilegio; cum collatio Sacramenti in talibus circumstantiis sit sacrilega: ergo committit sacrilegium.

*Consecaria hujus doctrinæ.*

CONSECTARIUM I. Quicumque in extrema necessitate constitutus scilicet in articulo mortis recipit Sacramentum necessitatis baptismum, paenitentiam, & Eucharist-

264 MORALIS CHRISTIANA.  
tiam a ministro ab Ecclesia non tolerato , si  
alium nequeat ministrum adire , non pec-  
cat : quia utitur jure , quod habet petendi  
Sacramento necessitatis à quocumque minis-  
tro , & ut optime ait D. Thomas minister,  
*cui tunc ex officio incumbit Sacra menta dispen-*  
*sare , potest pœnitere de peccato , & licite mi-*  
*nistrare : Si tamen homo posset alia via*  
*saluti suæ providere , quā accipiendo Sa-*  
*cramenta ab illis ministris , melius ageret , ut*  
*mox dicemus ex D. Thoma.*

CONSECTARIUM II. Quicumque  
extra extremam necessitatem constitutus  
exigit Sacramentum , etiam non sibi absolu-  
tè necessarium , v. g. absolutionem à venia-  
libus , Eucharistiam , Extremam - unctio-  
nem , &c. à suo Parocho , quem scit esse in  
affectu peccati , non peccat , ut diximus ;  
quia utitur jure suo , & quia Parochus po-  
test pœnitere , & rite conferre Sacra men-  
tum , sed melius ager , si alia via sibi pro-  
curet eam gratiam , quam sperat se ex Sa-  
cramentis percepturum ; quia ea charitas ,  
quam exercebit erga Parochum , non exigen-  
do Sacramentum , quod utique cum pec-  
cato conferret Parochus , longè magis pla-  
cebit Deo , quām indiscreta illa devotio ,  
quā extra casum necessitatis reciperet ab in-  
digno ministro Sacramentum non absolute  
necessarium .

CONSECTARIUM III. Peccat , qui-  
cumque extra extremam necessitatem , sed  
ob aliquam causam non valde gravem , exi-  
git Sacramentum ab eo sacerdote , à quo  
non habet jus exigendi , cumque ad cele-  
brandum

brandum vel conferendum Sacramentum inducit, quamvis sciat cum esse in statu peccati; peccat, inquam, quia non habet jus exigendi; & quia indiscreta illa devotione magis nocet proximo, quam sibi prospicit.

Sic illicitum est sollicitare indignum sacerdotem ad celebrandum missam die feriale, ut eam audias, cum citra peccatum possis omittere illo die auditionem sacri. Item illicitum exigere absolutionem ab eodem sacerdote, ut consequaris fructus indulgentiarum, cum aliâ viâ possit indulgentiarum utilitas compensari.

**Propositio III.** Minister solemnitatis, qui speciali consecratione deputatus est ad conferendum Sacra menta, si ea conferat in statu peccati mortalis, peccat mortaliter peccato sacrilegii, nisi prius per contritionem aut per confessionem omnem peccati mortali affectum procul abjiciat.

Probatur 1. scripturâ. Deus ita suos ministros alloquitur: *Sancti eritis quoniam ego sanctus sum.* lev. 19. v. 2. & rursus: *homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* lev. 21. v. 17. ergo si ministris legis Mosaicæ imperatum fuerit sanctè Sacra menta tractare, id à fortiori præcipitur ministris legis Evangelicæ.

2. Ex Concilio Agathensi, seu Aquenensi anno 1574. de Sacramentis, ubi sic habetur. *Parochi igitur, omnesque alii, ad quos cuiusvis Sacramenti administratio spectat, quam diligenter videant, ne lethalis sint labe peccati infetti, dum aliorum saluti student, sibi-*

266 MORALIS CHRISTIANA,  
que sunt aeternæ damnationis ministri: ergo supponit Concilium eos peccare peccato inducente damnationem, qui conferunt Sacra-  
menta in statu peccati mortalis.

3. Ratione Ille habendus est ut sacrilegus, qui rebus sacris debitam non modo dene-  
gat reverentiam, sed insuper eisdem re-  
bus sacris irrogat injuriam, ut patet: at-  
qui id præstat, qui ministrat Sacra-  
menta in  
statu peccati; nam teste Dyonisio, seu auto-  
re Ecclesiastice hierarchiæ, *Talis scilicet*  
*peccator, audax videtur, divina preter di-*  
*vinitatem exequens..... & audet immundas in-*  
*famias, non dicam orationes super divina si-*  
*gna Christi deformiter enuntiare.* Ita citatur;  
à D. Thom. 3. part. q. 64. a. 6. arg. sed  
contra.

### Confessaria hujus doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Qui baptizat  
solemniter in statu peccati peccat mortaliter  
peccato sacrilegii sive Episcopus, sive Sa-  
cerdos, sive Diaconus fuerit; quia sunt  
ministri deputati. Qui vero baptizaret si-  
ne solemnitate, & tanquam minister non  
deputatus, supplens necessitatem, non  
peccaret mortaliter, nisi esset contemp-  
tus. Ita D. Thom. 3. p. q. 64. a. 6. ad. 3.  
attendet tamen minister necessitatis, quod  
in omni casu sancta sanctè tractanda sunt.

C O N S E C T A R I U M II. Episcopus qui  
confert confirmationem, ordines, benedicit  
oleum Extremæ-unctionis, ordinis, confi-  
unctionis, peccat mortaliter, peccato sa-

etilegii; quia hoc agit ut minister deputatus. Non peccat tamen mortaliter, si in statu peccati consecret Abbatem, det velenum moniali, Ecclesiam benedicat; quia tunc non agit ut minister deputatus; etenim hæ actiones non sunt in vigore Episcopis propriæ.

**CONSECTARIUM III.** Peccat mortaliter peccato sacrilegii, qui conficit, & confert Eucharistiam in peccato mortali, sive sit Episcopus, sive sacerdos; quia hæ actiones sunt juxta omnes Sacramentales, & juxta plurimos tot committuntur peccata, mortalia, quot sunt personæ recipientes communionem; quia quælibet receptio Eucharistie est specialis actio Sacramentalis. Peccaret pariter mortaliter Diaconus distribuens Eucharistiam in statu peccati; quia est actio sui ordinis. Alii vero censem unum committi peccatum; quia si non sit interruptio, dumplures suscipiunt Eucharistiam, videtur esse eadem actio moralis.

**CONSECTARIUM IV.** Peccat mortaliter peccato sacrilegii sacerdos, qui audiit confessiones, & dat absolutionem existens in peccato mortali, sive illud faciat in easu extremæ necessitatis, sive non; quia tunc agit ut minister deputatus, & tot committit peccata, quot dat absolutiones; quia quælibet absolutio est actio Sacramentalis indigne exercita; non tamen peccaret Laicus, cui ex humilitate aliquis confiteretur, quia talis confessio non esset Sacramentalis; & dato quod esset Sacramentalis, Laicus non ageret, ut minister deputatus, sed ut

CONSECTARIUM V. Peccat mortaliter peccato sacrilegii sacerdos, qui existens in peccato mortali ungit ægrotum sive hoc agat in casu extremæ necessitatis, sive extra casum extremæ necessitatis; quia tunc agit ut minister deputatus; & quia hæc actio est actio Sacramentalis.

CONSECTARIUM VI. Peccant mortaliter peccato sacrilegii recipientes matrimonium in statu peccati mortalis, non quidem quatenus ministri; quia juxta aliquos non sunt ministri; & quia juxta omnes non sunt ministri consecrati; sed ideo peccant mortaliter; quia recipiunt in statu peccati Sacramentum vivorum. Non peccat mortaliter Parochus, nec testis, qui intersunt matrimonio, licet sint in peccato mortali; quia & Parochus, & illi testes non sunt ministri Sacramenti matrimonii: quod si constaret Parochum esse ministrum, peccaret mortaliter.

CONSECTARIUM VII. Peccant mortaliter juxta probabiliorem sententiam, Diaconi, & Subdiaconi, qui in missis solemnioribus exercent actiones sui ordinis; quia sunt ministri ad hoc deputati. Quando ministri, inquit D. Thom. in statu peccati mortalis existentes tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, mortaliter peccant. In 4. dist. 14. q. 1. a. 3. ad. 4.

CONSECTARIUM VIII Peccant mortaliter pastores excommunicati, suspensi, &c. non denunciati, sed tolerati ab Ecclesia, qui jure requisiti ab ovibus suis, ut eis Sacra-

menta conferant, conferunt quidem, sed affectum peccati non abjiciunt; jus enim quod habent oves exigendi Sacra menta à Pastoribus, non dispensat Pastores à Generali lege, quā tenentur sancti sanctè tractare.

CONSECTARIUM IX. Peccant mortaliter pastores excommunicati, suspensi, &c. denunciati & non tolerati ab Ecclesia, qui in articulo mortis jure requisiti, ut Sacra menta necessitatis, qualia sunt juxta omnes baptismus, poenitentia, & Eucharistia juxta plurimos autores, qui, inquam, tria hæc Sacra menta conferunt non abjecto pravo peccati affectu: peccant; quia jus, quod habent fideles ab eis exigendi praedita Sacra menta in articulo necessitatis, non eos dispensat à lege generali, quā tenentur sanctè sancta tractare.

Patet autem quod prædicti ministri excommunicati, suspensi, & denunciati possint in articulo mortis Sacra menta necessitatis valde, & licet, si eos pœnitentia conferre; quia si fideles jus habeant exigendi, quod utique habent, si non adsint alii ministri, pastores pariter habent jus conferendi.

Unde Ecclesia permisit expressè prædicti Sacra menta necessitatis à ministris excommunicatis, & denunciatis posse exigi, & ab eis posse conferri.

1. Possunt conferre baptismus, ut habetur Can. *Si quem causa 24. q. 1.* ubi ex Augustino docetur, quod in extremo positus possit baptismus recipere ab Hæretico, cum non

270 MORALIS CHRISTIANA.  
invenit Catholicum, à quo illud recipiat: non solum, inquit, non improbamus, quod fecit; sed etiam securissimè verissimèque laudamus.

2º. Possunt conferre pœnitentiam, ut tradit Tridentinum sess. 14. cap. 7. ubi Concilium, vult, ut nulla sit reservatio in mortis articulo, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis absolvere possunt. Et declarationes Concilii hæc addunt: etiam si isti sacerdotes essent excommunicati & denuntiati.

3º. Possunt pariter conferre Eucharistiam; quia Eucharistia Sacramentum est necessitatis juxta illud: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. v. 54. Et Conc. Nicænum Can. 13. præcipit, ut fideles sacrum viaticum sumant: *De his, inquit, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, & canonica servabitur, ut si quis egreditur de corpore ultimo, & maxime necessario viatico non privetur.* Et Concilium Trident. sess. 13. vocat consuetudinem communicandi in articulo mortis, omnino salutarem, & necessarium morum. D. Thom. tamen docet, quod quia receptio Sacramentorum ab excommunicatis scandalum parit, satius esset non recipere pœnitentiam, & Eucharistiam, quam sumere ab excommunicatis; quia quantumvis necessaria sunt hæc Sacraenta, illorum defectui per desiderium recipiendi Sacraenta supplere possumus. Unde sic habet 3. p. q. 82. a. 7. ad. 2. dicendum, inquit, quod solus baptismus permittitur esse ratus Hereticis,

TRACT. DE SACRAMENTIS. 271  
& schismaticis ; quia possunt licetē baptizare  
possunt in articulo necessitatis, in nullo autem ca-  
su licetē Eucharistiam consecrare, vel alia Sacra-  
menta conferre.

CONSECTARIUM X. Qui prædicant  
verbum Dei , vel ex officio prælationis ,  
uti sunt illi , qui habent curam animarum ,  
v. g. Episcopi, Parochi, Superiores Religio-  
fi ; vel ex delegatione , uti sunt omnes con-  
cionatores missi vel à Papa , vel ab Episco-  
pis , si sint in peccato mortali notorio ,  
peccant peccato sacrilegii juncto cum scan-  
dalo.

1º. Peccant peccato sacrilegii , quia non  
sancte exercent id, ad quod sunt consecrati ,  
& deputati : nam ministerium verbi divini  
pertinet primariò ad Episcopum , secunda-  
riò ad sacerdotem , ex commissione ad Dia-  
conum.

2º. Peccant peccato juncto cum scandalos ,  
quia peccator publicus prædicans ex officio ,  
vel ex delegatione facit , ut vituperetur mi-  
nisterium nostrum , ut contemnatur prædi-  
catio , ut blasphemetur nomen Dei. Ita te-  
net D. Thom. 1. lect. in cap. 6. 2. Epist. ad  
Corint.

CONSECTARIUM XI. Qui prædicant ver-  
bum Dei , vel ex officio , vel ex delegatione ,  
si sint in peccato mortali occulto , peccant  
mortaliter ; quia non sancte exercent actus ,  
ad quos sunt deputati , & consecrati. Ita te-  
net D. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 1.  
a. 2. ad. 4.

CONSECTARIUM XII. Qui explicant ver-  
bum Dei ex officio Magistrii , sicuti Ma-

272 MORALIS CHRISTIANA.  
gistri Theologiæ, si sint in peccato mortali notorio, peccant mortaliter ratione scandali; ore enim profitentur se nosse Deum; factis autem negant. Si sint vero in peccato mortali occulto, non peccant; quia non sunt consecrati, & deputati ad ministerium verbi divini. Ita tenet D. Thom. in 4. ibidem.

Contra tales prædicatores invicitur Apostolus ad Rom. cap. 2. v. 21. qui alium doceſ, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris; qui dicas non mæchandism mæcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per pravaricationem legis Deum inhonoras.

Propositio IV. Peccat mortaliter peccato sacrilegii Minister, qui dat Sacramentum peccatori, quem aliâ viâ quam viâ confessionis novit positivè indignum.

Probatur Scripturâ. Ille peccat mortaliter, qui in materia gravi agit contra expressam Christi prohibitionem, ut patet: atqui id præstat Minister in nostro casu; dicit enim Christus: Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margarittas ante porcos. Matth. 7. v. 6. etenim per sanctum & per margarittas. intelliguntur Sacramenta, per canes, & per porcos intelliguntur peccatores: ergo peccat mortaliter minister, qui dat Sacramentum peccatori, quem aliâ viâ, quam viâ confessionis novit certò indignum: & quia minister conferens Sacramentum peccatori causa est sacrilegii ab illo commissi, ideo Minister fit reus sacrilegii.

2. Ex Chrysostomo. hom. 84. in Matth. ubi ita admonet Sacerdotes: Magno, inquit,

udio, & diligentī curā dona hæc distribuatis.  
Non parva vobis imminet pœna, si quem ali-  
quā improbitate teneri scientes, & hujus men-  
ſe participationem permittatis; sanguis enim  
eius ex manibus requiretur vestris.

3. Ratione. Minister debet Sacramentis  
reverentiam, ovibus Christi charitatem:  
Atqui conferendo Sacramentum peccatori  
positivè indigno, negligit reverentiam de-  
bitam Sacramento; quia permittit illud in-  
dignè tractari, negligit etiam charitatem  
ovibus Christi debitam; cum sinat eas Sa-  
cramentis malè receptis inquinari: ergo  
Minister conferendo Sacraenta peccatori,  
quem novit bonis Ecclesiæ positivè indi-  
gnum, peccat; & quia peccatum istud est  
in materia gravi & contra religionem, il-  
lad peccatum erit sacrilegium mortale.

### *Consectaria hujus Doctrinæ.*

CONSECTARIUM. I. Peccat pecca-  
to mortali sacrilegii, qui confert Sacra-  
menta peccatoribus notoriis, quales sunt ii, qui  
nominatim ab homine excommunicati per  
sententiam juridicam declarati sunt excom-  
municationem incurrisse, quales sunt etiam  
ji, qui sunt excommunicati à jure ob se-  
ctam aperte damnatam, putà Hæretici &  
Schismatici; quales sunt insuper omnes in-  
fames ob professionem publicam alicujus  
artis ab omnibus reprobatae, tales histrio-  
nes, usutarii, meretricium exercentes, &  
alii, si qui sint alterius artis à Deo repro-  
batæ sectatores; quales demum sunt omnes

peccatores publici, quorum peccata ita aperta sunt, ut nulla tergiversatione celari possint, hujusmodi sunt concubinarii publici, palam inimicitias exercentes, palam & publicè blasphemantes, &c. Quicumque ergo alicujus ex prædictis criminibus reus fuerit, si peccatum fuerit manifestum, & non est de ipso confessus vere ante condignam satisfactionem debet ei manifestè & publicè connatio denegari, & quodcumque aliud Sacramentum, quia non est major ratio de uno Sacramento, quam de alio. Ita Concil. Nemausense an. 1284. titul. de Sacram. Euch. Manifestum autem intelligimus, inquit, idem Conc. in hoc casu, quod potest sufficienter & legitimè probari per testes idoneos contraria ipsius, si de illo peccato fuerit per sententiam condemnatus, vel sponie confessus in judicio, ut adeo manifestum eis notorium fuerit per rei evidentiam, quod nulla possit tergiversatione celari: Idem docet cap. I. extrav. comm. de privil. ubi dicitur quod confessis & absolutionis à regularibus Extrema-unctio & Eucharistia impendenda sit à Parochis: Duos tamen casus, inquit, excipimus, scilicet si Sacerdos afferat excommunicatum aut notoriè peccatorem: ergo Sacmenta nequeunt absque sacrilegio dari peccatoribus publicis & notoriis.

CONSECTARIUM II. Peccat peccato mortali & sacrilegii, qui consert Sacramentum peccatoribus notoriis sola etiam notorietate facti; ut dicunt; quamvis enim in Gallia in foro externo sola admittatur publicitas juris, & nihil publicum censeatur

ut quod delatum ad forum contentiosum ita certum habetur, ut nullatenus queat in dubium revocari; tamen ubi quaestio est de conferendis Sacramentis peccatori positivè indigno sola, publicitas facti debet Ministeri retinere, ne præceps nimium confitat Sacramentum peccatori publico solè etiam publicitate facti; quippe suspendendo collationem Sacramenti minister providet reverentiæ, quæ debetur Sacramento, charitati, quæ debetur peccatori, & ædificationi; quæ debetur Ecclesiæ: reverentiæ quidem, quæ debetur Sacramento; quia quod indifferenter datur & justis, & injustis, & bonis, & malis, incipit ea communi distributione vilescere; ubi vero non nisi sanctis distribuitur ea cautione venerandum habetur. Providetur etiam ea dilatatione charitati, quæ debetur proximo; ea quippe morâ indignitas peccatoris punitur, & ejus erga Sacramentum affectus inflammatur. Demum prudenti ea dilatatione fideles ædificantur, dum vident Sacra menta non dari promiscue omnibus, sed juste negari indignis & impoenitentibus; dignis vero & poenitentibus liberaliter impendi.

CONSECTARIUM III. Peccat peccato mortali sacrilegii, qui confert Sacra menta peccatori occulto, si occultè ea petierit, minimè vero, si ea palam petierit. Potest & deber denegare Sacra menta peccatori occulto, dum occultè petit; quia ea cautione peccatorem à sacrilegio arcet, & ad poenitentiam ea confusione adducit; sed nec potest nec debet peccatori occulto Sa-

cramenta, si ea publicè petierit, denegare; etenim licet corā Deo occultus peccator exciderit à jure exigendi Sacra menta, non tamen ab eo jure excidit coram hominibus; & licet ut optimè monet D. Th. Pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi, vel aliud Sacramentum, quam infamari: tamen Sacerdoti ministranti corpus Christi; aut aliud Sacramentum; Pejus est peccare mortaliter infamando injuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet; quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet à peccato. Unde Aug. dicit lib. quæstionum super genesim: periculose admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat, 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. Idem Doctor eodem art. ad 1. dicit; *Quod sanctæ prohibentur dari canibus, idest peccatoribus manifestis: sed occulta peccata non possunt publicè puniri: sed sunt Divino judicio reservanda.* Unde idem Sanctus Doctor 3. p. q. 81. a. 2. ad 2. loquens de Eucharistia, quæ data fuit à Christo Judæ proditori sic habet. *Dicendum, quod Christo nota erat Judæ iniqitas, sicut Deo: non autem erat sibi nota per modum, quo hominibus innotescit.* Et ideo Christus Judam non repulit à communione, ut daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab aliis Sacerdotibus expellendos.

## SECTIO IV. CAPITIS I.

De cœremoniis cuiuscumque Sacramenti in particulari, & de circunstantiis, quæ respiciunt tum locum, tum tempus, in quibus conserri debeat Sacramentum; item de circumstantiis, quæ respiciunt qualitatem personarum, à quibus conserri, & à quibus recipi debeat Sacramentum.

Inquiritur.

Quæ cœremonia, quæve circumstantiae, tum loci, tum temporis, tum personarum requirantur, ut Sacramentum sit licitum; quæ verò omissio hujusmodi circumstantiarum, & cœremoniarum reddat Sacramentum illicitum.

Statuitur principium ad integrum sectionem explicandam.

**P**ropositio unica fundamentalis. Cœremoniae antecedentes, concomitantes, & consequentes collationem Sacramenti, circumstantiae, quæ respiciunt locum, & tempus, in quibus fieri debet Sacramentum; illæ etiam circumstantiae, quæ respiciunt non substantiam, sed qualitatem personarum, à quibus conserri & recipi debeat Sacramentum necessariæ sunt necessitate præcepti; & non necessitate Sacramenti: singulæ observatæ reddunt Sacramentum licitum, aliquæ omissæ reddunt Sacramentum illicitum.

Probatur 1. Ex Aug. Sanctus Doctor Epist..ad Januarium olim 118. jam 54. tractat. ex professo de cœremoniis , & probat quod si quæ sint , quæ ad pietatis exhortationem conferant, observandæ sunt , superfluæ autem sunt amputandæ : Atqui cœremoniæ Sacramentorum , & circumstantiæ quæ eisdem adjungi solent ; multum inserviunt ad pietatem , si ita jubeat universalis Ecclesiæ praxis : *Contra quam disputare vanitatis insolentissimæ est*, ut ait idem Aug. ibidem : ergo cœremoniæ Sacramentorum , & circumstantiæ eisdem adjungendæ exactè observandæ sunt.

2. Ratione. Sacramentum ex dictis est compositum morale coalescens necessariò necessitate Sacramenti ex materia , formâ , subiecto recipiente , & Ministro conferente . cum intentione faciendi , quod facit Ecclesia , & exigens insuper necessitate precepti cœremonias aliquas , quibus ornatur & magis venerandum reddatur , habetque aliquas adjunctas circumstantias loci , temporis , & personarum , ex quarum circumstantiarū adjunctione & decentiùs tractetur , & honorificentiùs conferatur & recipiatur. Atqui hæ cœremoniæ & circumstantiæ citra peccatum omitti nequeunt; cum ad honorem & decentiam Sacramenti pertineant, & per Ecclesiæ praxim , quæ vim legis habet , jubeantur: ergo sunt observanda : & consequenter si omittantur , reddunt Sacramentū illicitū.

Cœremoniæ autem aliæ sunt antecedentes , aliæ concomitantes , aliæ subsequentes collationem Sacramenti , quas singulas oportet percurresse.

Circumstantiæ autem aliæ respiciunt tempus , aliæ locum, in quo Sacramentum conferri oporteat , aliæ vero qualitatem personarum , à quibus aut confertur, aut recipitur Sacramentum , quæ singula in sequentibus articulis exponentur.

## ARTICULUS I.

In quo prædictum principium , scilicet cœremoniæ Sacramentorum & circumstantiæ Sacramentis adjungendæ citra peccatum omitti nequeunt , applicatur ad Sacramentum Baptismi.

**Propositio unica.** Cœremoniæ Baptismi , quæ in ritualibus habentur , & circumstantiæ Baptismo adjungendæ , quæ ex praxi Ecclesiæ dignoscuntur , exactè observandæ sunt à ministris , & populi explicandæ . Propositio patet ex dictis.

*Consecutaria hujus doctrinae.*

**CONSECTARIUM I. De cœremoniis.** Observandæ sunt cœremoniæ antecedentes , concomitantes , & consequentes collationem baptismi ; quia ita jubet Ecclesia

Cœremoniæ antecedentes Baptismum sunt exorcismus , & catechismus.

1. Bis exorcismo adjuratur Diabolus , ut à baptizando exeat , ejus enim possessionem iniit ob peccatum originale. De hac adjuratione hæc habet Cœlestinus Papa Epist. 2: ad Episcopos Galliæ cap. 9 *Sive parvuli sive*

juvenes, dum ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius viæ fontem adeunt, quam exorcismis, & exsufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc verè appareat, quomodo princeps hujus mundi ejiciatur foras. 2. Crucis signum fronti & pectori baptizandi imprimitur, ut sit deinceps contra Diaboli potestatem crucis signaculo munitus. 3. sal. in os immittitur, ut sale sapientiae conditus factore careat iniquitatis, inquit Rabanus lib. 1. instit. cleric. cap. 27. Isthæc ad exorcismum, hæc vero ad catechismum pertinere possunt 1. legitur Evangelium, ut Christi lex baptizando proponatur. 2. Ad baptisterium deducitur, sputo nares & aures illiniuntur, aures ad audiendum, nares ad discernendum verbum Dei; Tibi aures, inquit Ambrosius, Sacerdos testigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, & elogium sacerdotis... Non os tangit, sed nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ. lib. de Sacram. cap. 1. 3. Albaptizando ter exigitur, ut ter abrenuntiet Diabolo, ter abrenuntiat ad significandum quod serio & ex animo id faciat. 4. Sacrato oleo inter scapulas velut Athleta inungitur, quo intelligat esse sibi jam contra abnegatum Diabolum fortiter dimicandum. Unctus, inquit Ambros. ibid. cap. 2. quasi lucretius hujus saeculi lucifaturus. 5. Fidem Ecclesiæ profitetur, & se Deo tali professione totaliter consecrat. Unde ait Ambr. Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis. lib. de Sacram. cap. 2.

Cœremoniæ concomitantes baptismum

TRACT. DE SACRAMENTIS. 281  
sunt ea, quæ observantur, dum actu confer-  
tur baptisna, habenturque in rituali quem  
si lubet consulas.

Ceremoniae subsequentes baptismum  
sunt istæ. 1. Baptizatus in vertice ungitur  
chrismate, ut norit se esse insitum filio Dei,  
qui Christus à chrismate dicitur, & sciat se  
per baptismum in regale quoddam sacerdo-  
tium esse consecratum: *Omnes*, inquit Amb.  
*In regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia*  
*Spiritali.* De iis, qui myster. initi. 2. Ve-  
ste alba induitur, tum in signum recuperatae  
innocentiae, tum in testimonium se vitam  
mundani in posterum professurum. Post hæc,  
inquit Ambr. *Accepisti vestimenta candida,*  
*ut essent indicium, quod exueris involucrum*  
*peccatorum, induens innocentiae casta velamina.*  
De initiandi lib. unic. cap. 7. 3. datur Bapti-  
zato ardens cereus, quo recordetur sibi stu-  
dendum semper esse, ut luceant opera ejus  
bona coram hominibus.

CONSECTARIUM II. *De loco, in*  
*quo conferendus est baptismus.* Olim tempo-  
re Apostolorum ubique locorum conferri  
poterat baptismus; nam eo in loco, quo  
Petrus prædicaverat, baptizavit, & Phi-  
lippus Diaconus in via eunuchum Reginæ  
candacis baptizare non dubitavit. Post mo-  
dum erecta sunt in cryptis, in domibus ba-  
ptisteria, in quibus urgente persecutione  
baptizabantur fideles, deinde vero in Eccle-  
siis ea lavacia constituta; jam vero secun-  
dum præsentem Ecclesiæ praxim extra ca-  
sum necessitatis, nec in privatis domibus,  
nec in oratoriis, nec in Ecclesiis, in quibus

non sunt baptisteria, licitum est solemnitè baptizare: id solum licet, vel in mortis articulo erga omnes privatos, vel extra casum necessitatis erga filios Regum & principum. Id expresse docet Concil. Vienense an. 1311. Præsenti, inquit, prohibemus decreto, ne quis de cetero in aulis vel cameris aut aliis privatis domibus sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propterquam nequeat ad Ecclesiam absq; periculo accessus haberi) audeat baptizare. Et ut vigorrem aliquem decreto suo adjiciat, addit: *Qui autem secus præsumperit, ut suam in hoc præsentiam extulerit, taliter per suum Episcopum castigetur, quod alii similia attentare non præsumant.* Concilium Aquense an. 1585. vetat: *Ne Sacerdos eat extra casum necessitatis ad domum cuiusquam etiam MAGNATIS ad Sacramentum ministrandum.* Plurima Concilia id vetant sub poena excommunicationis, casusque ille iu quibusdam Diœcesibus reservatur. Eadem doctrina habetur apud Gratianum Can. Diaconos 13. dist. 93. Imo vetatur baptismum conferri in Abbatia, ubi non fuerit baptisterium can. Pridem eauf. 18. q. 2.

**CONSECTARIUM III.** *De tempore quo conferri debeat Baptismus.* Olim Baptismus non conferebatur solemniter, nisi in festo Paschatis, & Pentecostes, & in aliquibus Ecclesiis in festo Natalis Domini & Epiphaniae. Ita Gelasius in suis decretis cap. 10.

Baptizandi, inquit, sibi quispiam passim quo-  
cumque tempore nullam credat inesse fiduciam  
præter Paschale festum & Pentecosten, venera-  
bile Sacramentum, excepto dumtaxat gravis-  
simi langoris incursu, in quo verendum est, ne  
morbi crescente periculo, sine remedio salutari,  
fortassis ægrotans exitio præventus abscedat.  
Baptisma etiam in festo Natalis Domini ce-  
lebratur; nam ea festivitate, teste Avito  
Viennensi Episcopo, baptizatus est Clodo-  
væus Francorum Rex. Jam verò, secun-  
dum præsentem Ecclesiæ praxim, quām ci-  
tissimè fieri potest infans ad Ecclesiam paro-  
chialem deferri debet, & ibi bapłizari. Ita  
jubet Concil. Mediol. an. 1565. Nemini, in-  
quit, liceat quemquam intra domesticos parie-  
tes baptizare, sed natum infantem; ii, quorum  
est cura, ante nonum diem ad suscipiendum bap-  
tismum ad Ecclesiam deferendum curent; quod  
si neglexerint excommunicationis pænam su-  
beant. Nec toleranda est prava illa quorum-  
dam hominum consuetudo, quā expectandī  
patrini gratiâ baptismus sine solemnitate  
confertur; postea verò patrino præsente so-  
lemniter cœremoniæ baptismatis adhiben-  
tur; id enim expressè vetat Concilium  
Avenionense an. 1594. Præcipimus, inquit,  
ne in posterum expectandi patrini gratiâ, alia-  
ve de causa, præterquam necessitatis extremæ,  
cum scilicet periculum ultæ infantî imminet,  
baptismus sine solemnitatibus, cœremoniisque  
adhiberi solitis ministretur.

CONSECTARIUM IV. De adjunctis illius  
personæ, quæ debet conferre baptisma, vel quæ  
debet illud recipere. Quicumque non habet

jurisdictionem, vel ordinariam, qualem habet Episcopus, & Parochus Sacerdos, vel sicutem Diaconus, aut delegatam, quam habent simplex Sacerdos, aut Diaconus ab Episcopo vel Parocho delegati; si baptismum conferat extra casum necessitatis, validè quidem confert, quia adhibet materiam, formam, & intentionem delitam, sed confert illicite, quia non habet jurisdictionem, quam debet habere: eau. Diaconus de consecratione. Et ita illicite extra casum necessitatis baptizant, quia hic subjiciuntur. 1. Diaconus qui baptizat absque Episcopi, vel Parochi commissione. Imò si baptismum absque speciali commissione solempter administraverit sit irregularis, exercet enim actum ordinis quam non habet. Ita Gelas. dist. 93. can. 13. Diaconos, Diaconi, inquit, absque Episcopo vel Presbitero baptizare non audeant; nisi necessitas extrema compellat. 2. Parochus baptizans extra suam parochiam, aut Episcopus extra suam Diœcensem illicite agunt; quia neuter habet jurisdictionem extra terminos sibi ab Ecclesia præscriptos. 3. Baptismum etiam in casu necessitatis illicite ministrat, qui digniori non defert honorem baptizandi; id enim exigit Ecclesiæ usus, ut habetur in Catechis. Trid. de bapt. num. 25. Itaque cum in casu necessitatis aliquis baptizandus occurrit, si multi sint ibi præsentes deber Laïco Clericus præferrī, vir fœminæ, modò pudor id non prohibeat, ut cum infans baptizandus nondum est omnino ex utero egressus. Ipse quoque pater fœminæ præsc-

tendus. Si autem in necessitate pater, & mater baptizent nullam inter se affinitatem contrahunt. Sicut illicet baptizat, qui præscriptas ab Ecclesia cœremonias, & circumstantias loci, temporis, & personæ non servat. Ita & catechumenus qui aliquid omittit quæ ei ab Ecclesia præscribuntur.

CONSECTARIUM V. *De patrinis.*

Observanda sunt omnia statuta quæ circa patrinos, & matrinas Ecclesia præscribit; hæ quippe ceremoniæ, aut circumstantiæ non minus sunt necessariæ ad dignitatem baptismi, & utilitatem baptizati, quam aliæ. Itaque 1. jure comuni non debent esse plures patrini, nec plures matrinæ, sed ad summum unus pater, & una matrina, cap. *quamvis non plures de cognatione spirituali in 6.* & Trident. sess. 24. de matrimon. cap. 2. de reformat. 2. In patrinum, vel matrinam admitti non potest pater, vel mater baptizati; quia ex officio naturæ debent filiorum educationi invigilare, deinde ne affinitatem inter se contrahant. Ita can. *non licet 103.* dist. 4. de consecrat. 3. nec Abbates, nec Monachi, nec Moniales possunt esse patrini, scilicet ut liberiùs propriæ saluti invigilent, nec curâ filiorum spiritualium detineantur. 4. Hæretici, infideles, non baptizati, fideles non confirmati, publici peccatores, fatui, furiosi, impuberes, demum illi, qui ignorant rudimenta fidei, patrini esse non possunt. Ita habetur can. *Baptismate 102.* de consecrat. dist. 4. Hi enim omnes baptizatum non possunt aptè instruere.

MONITUM. Patrinus & matrina contrahunt affinitatem, non quidem inter se, sed cum baptizato, qui ad eum comparantur tamquam parentes spirituales, & cum patre & matre carnalibus baptizati; quia comparantur vel tanquam fratres, vel tanquam congenerantes. Item baptisans contrahit affinitatem cum baptizato, quia comparatur ad illum tanquam ejus pater spiritualis, & cum patre & matre carnalibus baptizati; quia ad illos comparatur tanquam frater vel congenerans, ut diximus ex Trident. sess. 24. cap. 2. Affinitatem autem contrahit non quicumque infantem tangit etiam in modum patrini, sed qui designatur, ut patrinus vel matrina, ut habetur communiter.

MONITUM II. Quando quis est patrinus in baptismate, & confirmatione, non per seipsum, sed per procuratorem, ipse mandans contrahit affinitatem, minimè verò procurator; generalis enim videtur esse hæc regula; quando mandans facit quid per procuratorem, quod vellet facere per seipsum, si præsens esset, non procurator, sed mandans contrahit obligationem; quippe totum quod fit, solo nomine mandantis efficitur: ergo sicut dum contrahitur matrimonium per procuratorem, non procurator, sed mandans verè init matrimonium; non procurator, sed mandans contrahit impedimentum honestatis publicæ; ita in baptismate, & confirmatione non procurator, sed mandans contrahit affinitatem spiritualem. Ita determinavit Cardinalium Congregatio.

## ARTICULUS II.

In quo prædictum principium, scilicet cœremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ loci, & temporis, &c. Sacramentis adjungendæ citra peccatum omitti nequeunt, applicatur ad Sacramentum Confirmationis.

**Propositio unica.** Cœremoniæ Confirmationis, quæ in Pontificali habentur, & circumstantiæ loci, temporis, & personarum, quæ ex praxi Ecclesiæ dignoscuntur, exactè observandæ sunt à ministris, & populis explicandæ sunt, ut majorem erga illud Sacramentum devotionem concipient.

Propositio patet ex dictis.

*Consecataria hujus doctrinae.*

**CONSECTARIUM I.** De cœremoniis. Observandæ sunt cœremoniæ antecedentes, concomitantes, & consequentes collationem confirmationis; quia ita jubet Ecclesia. Cœremoniæ antecedentes confirmationem aliæ spectant ad Episcopum confirmantem, & hæ legendæ sunt in Pontificali, & ab Episcopis observandæ; aliæ verò ad confirmandum, & istæ duplicitis sunt generis, aliæ mentem, aliæ corpus respiciunt. Primò quidem confirmandus debet se ad confirmationem per dies aliquos disponere, confessando peccata, si adultus sit, & copiam confessarii habeat; ita jubent multa Concilia, ut dicemus, ubi de præcepto confessionis.

Corpus verò ita debent confirmandi componere , ut non sordidi , sed mundi coram Episcopo possint apparere. Frontem debent abluere , ut non fronte sordida , aut capillis ( ut aliquando contingit ex nimirū accedenium incuria ) indecenter contectā accedant. Ita habet Synod. Aquensis an. 1585. vestem verò modestam , & quantum fieri potest albam induere , ut & veste albâ revocent in memoriam vestem albam , quam in baptismate acceperunt. Cœremoniæ concomitantes confirmationem , aliæ spectant Episcopum , & hæ in Pontificali legendæ , & ab Episcopo observandæ ; aliæ verò spectant confirmandum , & istæ duplicitis generis sunt , aliæ mentem , aliæ corpus respiciunt. Primo quidem mens confirmandi tota debet erga Spiritum sanctum in ipsam illabentem intenta esse ; corpus verò ita debet esse compositum juxta Carolum Concil. 5. Mares , inquit , in Ecclesia à parte sua sint , fæminæ ab altera , scique separatim distincti , genibus flexis , manibus ante pectus junctis , suo quisque ordine piè , & religiosè orent . dum verò actu recipit Sacramentum roboris , hæc aut similia excerpta ex D. Thoma sedulò meditetur. Confirmatus , inquit , linitur chrismate in fronte , ut in manifesto monstraret se esse Christianum. 3. p. q. 72. a. 9. Cœremoniæ subsequentes confirmationem sunt istæ . 1. Episcopus confirmatum leviter in maxilla percutit , ut sciat homo christianus , inquit Beatus Carolus , se jam militem esse , cuius pugna & victoria eluceat in patiendis injuriis. 2. Episcopus pacem impetratur confirmato , ut sciat , inquit

Catechis-

Catechismus Trident. se gratiae cœlestis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse. 3. vitta linea frons circumligatur, quasi diadema, ut intelligent confirmati se totidem Reges esse futuros, suis pravis affectibus dominantes.

CONSECTARIUM II. De loco in quo conferri debeat confirmatio. Eodem in loco olim conferebatur confirmatio, in quo conferebatur baptismus; quia duo illa Sacramenta raro disjungabantur. Jam vero conferri potest his in locis sacris, vel profanis, in quibus & facilius, & commodius, & conferri, & recipi potest.

CONSECTARIUM III. De tempore, in quo debet conferri confirmatio. Cùm confirmatio simul cum baptisme conferebatur; post modum cautum est, ne confirmatio differretur ultra septennum. Ita Capitulare Francorum cap. 177. Annuntient, inquit, Presbiteri populis, ut quam cùiūs potuerint suos infantulos ad confirmandum Episcopo representare faciant. Imò Synodus Vigor. an. 1240. ab ingressu Ecclesie suspendit parentes, si post annum à nativitate pueri computandum pueros non præsentaverint confirmandos cap. 6. postea vero cœpit Ecclesia adultam ætatem in confirmandis exigere. Synodus Senonensis an. 1524. Nec expedit, inquit, ut pueris confirmatio conferatur, donec memoriam habeant competenzem, propter quam excitandam alapantur. Concil. Mediolan. an. 1565. p. 2. cap. 3. sic habet: Minori septennio confirmationis Sacramentum nemini conferatur. Si tamen ti-

290 MORALIS CHRISTIANA,  
meatur, ne vel ob absentiam Episcopi, vel  
ob alias causas pueri obeant ante receptam  
confirmationem, poterunt ad judicium Epis-  
copi ante septennium confirmari; cà tamen  
cautione, quod parentes inculcabunt filii  
suis datam illis fuisse confirmationem; eà  
pariter cautione quod Parochi exactè scri-  
bent nomina patrinorum, & matrinarum,  
ne contra veritum Ecclesiæ per oblivionem  
inter affines matrimonium contrahatur.  
Confirmationem dari posse illis in casibus  
ante septennium probant omnes canones,  
qui afferunt hominem non confirmatum im-  
perfectum esse Christianum.

CONSECTARIUM IV. De qualita-  
tibus personæ, quæ potest conferre licetè  
confirmationem, vel quæ potest licetè illud  
Sacramentum recipere. Quilibet Episcopus  
suspensus, vel excommunicatus, vel hære-  
ticus, vel schismaticus validè quidem, sed il-  
licitè confert confirmationem. Quandiu  
enim est in illo statu ei interdictur omnino  
Sacramentorum collatio. Item validè, sed  
illicitè confert confirmationem Episcopus,  
si in aliena diœcesi, vel etiam in propria  
fideles sibi non subditos confirmare attentet,  
nisi habeat expressum, vel saltem tacitum  
proprii Episcopi consensum; privat enim  
hac actione Episcopum jurisdictione sibi  
propria: alias, ut optime ait Hieronymus  
contra Luciferum, *Tot in Ecclesiis efficerentur schismata, quot Sacerdotes.* Sicut illicitè  
confirmat; qui præscriptas ab Ecclesia cœ-  
remonias, & circumstantias non servat, ita  
illicitè confirmationem recipit, qui a

TRAET. DE SACRAMENTIS. 291  
quas ex illis cœremoniis, aut circumstan-  
tiis scienter omittit, v. g. qui recipit con-  
firmationem non jejunus, nisi ad sit causa  
dispensans. Ita can. *Ut Episcopi non nisi jeju-  
ni. de consecr. dis. 5. can. 7.*

CONSECTARIUM V. De patrinis. Obser-  
vanda sunt omnia statuta, quæ circa patri-  
nos, & matrinas præscribit Ecclesia: haec  
quippe cœremoniæ non minus sunt necessariae  
ad dignitatem confirmationis, & utili-  
tatem confirmati, quam alia. Itaque iure  
communi non debent esse plures patrini,  
nec plures matrinæ, uti dictum est de bap-  
tismo. 2. In patrinum, vel matrinam ad-  
mitti non debet ille idem, qui fuit patrinus,  
vel matrina in baptismo: *Vti enim*, inquit  
D. Thom. *in bellis materialibus constituantur  
duces, & centuriones, per quos alii gubernantur,* ita confirmati e genti eruditioribus, qui  
bus instruantur de his, quæ pertinent ad modum  
certaminis. 3. p. q. 62. a. 10. & sicut  
alius est qui generat, alius qui instruit ad  
pugnam, ita aliis debet esse patrinus in  
baptismo, aliis in confirmatione. Ita can.  
*In catechismo 100. de consecr. dist. 4. 3. Non*  
baptizatus nequit esse patrinus in confirma-  
tione, can. *In baptismate 102. ibidem 4.*  
Vitricus non potest esse patrius privigni,  
can. *De his caus. 30. q. 1. nec conjux con-  
jugis cap. 1. de cognatione spirituali in 6.*  
Confirmatio enim similem inducit cogni-  
tionem spiritualem quam baptismus.

## ARTICULUS III.

In quo prædictum principium , scilicet cœremoniæ Sacramentorum , & circumstan-  
tiæ Sacramentis adjungendæ omitti nequeunt  
citra peccatum , applicatur ad Sacramen-  
tum Eucharistiae.

Propositio unica. Sive Eucharistia con-  
sideretur ut Sacrificium oblatum Deo , sive  
ut Sacramentum dispensandum homini-  
bus , & ab illis adorandum , servandæ  
sunt omnes cœremoniæ , quæ circa illius  
confectionem , collationem , receptio-  
nem & cultum Ecclesia à Christo edicta  
præcipit observari.

Propositio patet ex dictis , & insuper probari potest verbis expressis Tri-  
dent. sess. 22. cap. 25. Cum natura , inquit ,  
hominum ea sit , ut non facile queas sine  
adminiculis exterioribus ad rerum divi-  
narum meditationem sustolli ; propterea  
pia mater Ecclesia ritus quosdam , ut scilicet  
quædam summissâ voce , quædam verò elati-  
iore in missâ pronuntiantur , instituit ,  
cœremonias item adhibuit , ut mysticas be-  
nedictiones , lumina , Thymiamata , uestes ,  
aliaque id genus multa , ex Apostolicâ dis-  
ciplinâ , & traditione , quâ majestas tan-  
ti sacrificii commendaretur , & mentes fi-  
delium per hæc visibilia religionis , & pie-  
tatis signa ad rerum altissimorum , quæ in hoc  
sacrificio latent , contemplationem excitarentur  
Ergo illæ cœremoniæ exactè observandæ  
sunt , & populis , ut ad majorem devo-

Conjectaria hujus doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. De cœremoniis.  
Observandæ sunt cœremoniæ antecedentes, concomitantes, & subsequentes Eucharistiæ confectionem, collationem, & receptionem. Item cœremoniæ quæ respiciunt debitum ejusdem Sacramenti cultum; quia ita jubet Ecclesia. Cœremoniæ antecedentes possunt commodè sequentibus versibus exprimi.

*Jejuna, recita, expecta, tua crimina pa-*  
*de.*

*Et locus, & vestis sacra sint, altare pa-*  
*ratum.*

Explicatur hæc vox JEJUNA. Ex Apostolica traditione Eucharistia non nisi à jejunis sacerdotibus, & à jejunis fidelibus recipi debet. Morem illum antiquum in Ecclesia suo tempore viguisse testatur Tertullianus lib. 2. cap. 5. ad uxorem: *Non sciet;* inquit, *maritus infidelis quid secreto ANTE OMNEM CIBUM gustes.* Cyprianus vero in Epis. ad Cæciliū ait: *Nos autem resurrectionem Domini ostendentes manè celebramus, scilicet jejunii.* Et Synodus Carthaginensis an. 397. Can. 29. jubet, *ut non nisi à jejunis celebrentur Sacraenta altaris excepto uno die anniversario, quo cæna Domini celebratur, uti mos erat tunc temporis.* Demùm Aug. Epis. 54. aliás 118. cap. 8. hæc habet: *Placuit Spiri-  
tu tui sancto, ut in honorem tanti Sacramentū in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per univer-*

*sum orbem mos iste servatur : quæ consuetudo, cum ad ceremonias pertineat sacramentales, & sit in materia gravi, nulli dubium esse potest, quin obliget sub mortali : sunt tamen casus particulares, in quibus Eucharistia à non jejunis sacerdotibus conficitur, & non jejunis fidelibus ministratur. I<sup>o</sup>. Si sacerdos inopinata infirmitate abreptus nequeat post consecratam unam speciem, alteram consecrare : sacerdos non jejunus speciem non consecratam consecrabit, & utramque accipiet. Item si sacerdos erronè loco vini aquam benedixerit, errore deprehenso vinum consecrabit, & licet non jejunus ob aquam sumptam, tamen vinum consecratum recipiet. Item ægrotus per modum viatici Eucharistiam quamvis non jejunus poterit accipere. Lege rubricas Missalis Romani de defectibus in missa frequentibus.*

Explicatur hæc vox RECITA. Seclusa necessitate nulli sacerdoti licet missam celebrare, nisi priùs matutinum, & laudes recitaverit; id enim expressè jubent rubricæ Missalis Romani; quæ haud dubiè vim legis habent; etenim cum missale loquitur de præparatione ad Missam, & apponit quasdam preces, ita habet: preces pro opportunitate sacerdotis faciendæ, quod minimè addit, dum de matutinis, & laudibus ante Missam recitandis mentionem facit; quo sati aperte significatur unum esse de præcepto, aliud de consilio.

Explicatur hæc vox EXPECTA, horam scilicet convenientem. Hæc juxta præsentem Ecclesiæ praxim est ab aurorâ usque ad me-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 295  
ridiem , de quo ita D. Thom. dicendum :  
inquit , quod regulariter Missa debet celebrari  
in die , & non in nocte ; quia ipse Christus est  
præsens in hoc Sacramento ; qui dicit Joan. 9.  
me oportet operari opera ejus , qui misit  
me , donec dies est : venit nox , quando ne-  
mo potest operari . Quandiu in mundo sum ,  
lux sum mundi . Ita tamen quod principium  
diei accipiatur non à media nocte , nec ab ortu  
solis.... sed quandò incipit aurora . Quæ sin-  
gula , ut optimè notat idem sanctus doc-  
tor , probari possunt sola consuetudine Ec-  
clesiæ , & solis congruentiis suadentur , 3. p.  
q. 83. a. 2.

Explicantur hæ voces , TUA CRIMINA  
PANDE . Id expressè docet Trid. sess. 13. cap.  
7. ubi strictè jubet , ut conscientius peccati mor-  
talis , quantumvis se contritum existimet ,  
absque prævia confessione ad Eucharistiam  
accedere non audeat ; ut diximus suprà , ubi  
de sanctitate necessaria ad receptionem Sa-  
cramentorum , additque Concilium , quod  
si necessitate urgente Sacerdos absque præ-  
via confessione celebraverit , quamprimum  
confiteatur ; cumque aliqui autores istud Sy-  
nodi decretum merum consilium esse affere-  
rent , Alexander VII. sequentes damna-  
vit propositiones . Mandatum Trident. fac-  
tum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum  
peccato mortali , confitendi quamprimum , CON-  
SILIJ EST & NON PRÆCEPTUM , illa particula  
QUAMPRIMUM , intelligitur , cum Sacerdos suo  
tempore confitebitur . Quæ singula denotant  
istud dictum TUA CRIMINA PANDE ,  
verum præceptum exprimere .

Explicantur hæc voces ET LOCUS. Tempore persecutionum contra Christianos faserat ubique terrarum sancta celebrare, ut docet Dionysius Alexand. Epis. ad Hieracem, ubi sic habetur: *Cum ab omnibus persecutio-ne exagitati essemus, & morte multati, festum laetis animis celebravimus, & singula loca, & singula afflictionum genera nobis præstituta, ut ager Sylvestris, solitudo deserta, navis fluctibus jactata, diversorum publicum, & horridus carcer opportuna videbantur, in quibus conventus maximo cum gaudio ageremus.* Ast secundum præsentem Ecclesiæ usum extra templo, aut oratoria Deo dicata non licet offerre Missæ sacrificium, ut non obscurè determinat Trident. sess. 22. in decreto de observandis in celebratione Missæ, ubi hæc scribuntur. *Ne patiantur Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium, à secularibus, aut regularibus quibuscumque peragi.*

Explicatur hæc vox VESTES. Certum est apud omnes Christum, cum Missam instituit, quotidianis, & vulgaribus vestibus usum esse; certum quoque videtur idem p̄testitisse Apostolos, saltem cum primū Hierosolymis celebrarunt; vestes enim Sacerdotaes, ut ait Valfriedius Strabo, per inermenta ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum; nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas agebant Sacerdotes. De rebus Eccles. cap. 24. secundūm verò præsentem Ecclesiæ usum vestimenta, quibus utunt-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 297  
tut Sacerdotes in Missa, sunt *Amictus*, *Alba*,  
*cingulum*, *manipulus*, *stola*, *casula*; quæ singula  
nefas est non induere, crimen negligere,  
aut irridere: ut expressè decernit Trid. sess.

22. Can. 7. *Siquis*, inquit, *dixerit ceremonias*,  
*vestes*, & *externa signa*, *quibus in Missarum*  
*celebratione Ecclesia Catholica utitur*, *irritabili*  
*impietatis esse magis*, *quam officia pietatis*, *ana-*  
*thema sit*. *Mystici scriptores* cuilibet *vesti*  
*mysticam* quandam affingunt significatio-  
nem, quæ vulgo nullum habeat cum histo-  
riâ Ecclesiasticâ fundamentum; ideo illis  
*mysticis signis* non est multum insistendum;  
sed maximè hærendum puto piis illis affec-  
tibus, qui in nobis excitari possunt sacris il-  
lis orationibus, quas ex præcepto Ecclesiæ  
recitamus, dum sacras illas vestes induimus,  
v. g. dum dicimus: *impone mihi galeam*, &c.  
revocemus in mentem non aliam esse Sa-  
cerdoti galeam, non aliud amictum, quam  
fidem, spem & charitatem. Idem præstan-  
dum cum alias Sacerdotales vestes indu-  
mus.

Explicantur hæc voces; *SACRA* sunt scilicet,  
*Calix*, *patena*, *corporale*, *purificato-*  
*rium*, *velum* &c. quæ ideo *sacra* dicuntur;  
quia sunt speciali benedictione consecrata.  
Sine his sacris vasis, & instrumentis Missam  
celebrare nefas esset; violaretur enim in ma-  
teria gravi usus universalis Ecclesiæ; quid  
autem circa hæc singula sentiendum paucis  
aperiam. Olim Christus, & Apostoli ob-  
viis quibuscumque *calicibus* & *patenis* usi  
sunt, nec enim verisimile est Christum, aut  
Apostolos ad consecrationem vini assump-

siffe calices diversos ab his, qui in usu vulgari communiter habebantur. Priors Episcopi aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contra lignei Sacerdotes aurei s utuntur calicibus, inquit Conc. Triburiense cap. 18. certum faltem est vitreos calices aliquando fuisse in usu: de vitreo calice loquitur Terrulianus. lib. de pudicit. Et de Exuperio Episcopo Tolos. Sic loquitur Hyerony. Nihil illo, inquit, ditius. qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro. Post Constantini tempora aurei & gemmati calices ita communiter in Eucharistiæ consecratione adhibiti; ut postea Conc. Aquensem an. 1585. caverit calices stanneos nonnisi in extrema necessitate, & post expressam Episcopi licentiam adhiberi posse. Patenæ autem in Ecclesia vulgo ex eadem materiâ conficiebantur, ex qua calices, ideo modò vitreæ, modo ligneæ, modò auræ, modò argenteæ, & stanneæ fuerunt; prout Ecclesiæ, vel paupertas, vel copia permettebat. Corporale, purificatorium, & velum semper in usu fuerunt in Ecclesia; nam verisimile est Apostolos non in nudo altari consecrasse; sed potius super altare linteo corporali coopertum; uti enim mensam, quâ ad refectionem communem utebantur, mappâ linteâ operiebant: ita altare, quo ad consecrationem utebantur, aliquâ mappâ, & superposito corporali vestiebant: & sicut in vulgari cœna mantili utebantur, ita in consecratione purificatorio. Demùm sicut sacra solemus velis occultare, ita sacra Eucharistiæ vasa velo occultanda esse censuerunt Apostoli.

Explicantur hæc voces ALTARE PARATUM. Non in nudo altari sacrificamus, sed in altari triplici mappâ cooperâ, & luminibus illustrato; quia talis est Ecclesiæ usus. Luminibus quidem utimur ; quia Christus, qui noctu cœnam fecit, luminibus in cœna aliis est. Item quia Apostoli, eo quod vel noctu, vel die in cryptis, aliisque locis obscuris sacrificarent, raro sine lumine creduntur Missam celebrasse : jam vero nos & Christum, & Apostolos imitati sole etiam rutilante accendimus luminaria ; non utique ad fugandas tenebras ; sed ad signum lœtitiae demonstrandum, inquit hier. contra Vigilant. Quicumque voluerit mysticas istorum omnium significaciones addiscere, legat Gavantum, & D. Thom. qui verò scire voluerit nudam, simplicem, & historicam iunctiōnem earum omnium cæmoniarum, legat Cardinalem Bona de rebus liturgicis, legat Dominum de Fleury libro, qui inscribitur : *les mœurs des chrétiens.* En quomodo concisè simul & eleganter vestimenta Sacerdotalia explicet Dominus de Fleury cap. 41. Dès lors on avoit des habits particuliers pour l'Office. Ce n'est pas que ces habits fussent d'une figure extraordinaire. Le Pape Celestin I. écrivant aux Evêques des Gaules an. 428. leur dit. Il faut nous distinguer du peuple, non par l'habit, mais par la doctrine & par les mœurs, & ne pas chercher à imposer aux yeux des simples par un extérieur singulier. La Chasuble étoit un habit vulgaire du tems de St. Augustin, la Dalmatique étoit en usage dès le tems de l'Empereur Valérien. L'Eglise étoit un manteau,

commun même aux femmes , & nous l'avons confondu avec l'Orarium , qui étoit une bande de linge , dont se servoient tous ceux , qui vouloient être propres , pour arrêter la sueur autour du col & du visage . Enfin le Manipule en latin mappula , n'étoit qu'une serviette sur le bras , pour servir à la Sainte Table . L'Aube même , c'est-à-dire , la robe blanche , de laine ou de lin , n'étoit pas du commencement un habit particulier aux Clercs , puisque l'Empereur Aurelien fit au Peuple Romain de largesses de ces sortes de tuniques , aussi bien que de ces grands mouchoirs , qu'ils appelloient oraria ; mais depuis que les Clercs se furent accoutumez à porter l'Aube continuellement , on recommanda aux Prêtres d'en avoir qui ne servissoient qu'à l'Autel , afin qu'elles fussent plus blanches . Ainsi il est à croire que du tems qu'ils portoient toujours la Chasuble & la Dalmatique , ils en avoient de particulières pour l'Autel , de même figure que les communes ; mais d'étoffes plus riches & de couleurs plus éclatantes . Sur tout les Canons recommandent aux Prêtres & aux Diacones de ne point servir sans l'Orarium , que toutes fois ils défendoient aux Ministres inferieurs .

Cæmoniaæ concomitantes Eucharistiaæ confectionem , pertinent vel ad panem , vel ad vinum , vel ad ambas species sumptas simul , vel ad varias rubricas in Missali Romano contentas .

*Quantum ad panem Ecclesia Latina consecrat in azimis , Græca verò in fermentatis , utraque Ecclesia , inquit Divus Thomas , piis motivis ducitur . Ecclesia Romana offert azimos panes , propterè quod Dominus sine ulla commixtione*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 301  
commixtione suscepit carnem. Sed Græcæ Ec-  
clesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod ver-  
bum patris induitum est carne, sicut fermen-  
tum miscetur farinæ; si tamen utriusque Ec-  
clesiæ pensarentur motiva, consuetudo  
utendi azimis videtur esse rationabilior, in-  
quit idem Doctor. Primò quidem propter ins-  
titutionem Christi, qui hoc Sacramentum ins-  
tituit primà die azimorum, ut habetur Matth.  
26. & Marc. 14. & Luc. 22. quā die nibil  
fermentatum in domibus Iudeorum esse debebat,  
ut habetur exod. 12. secundò quia panis est  
propriè Sacramentum corporis Christi, quod si-  
ne corruptione conceptum est... Tertiò quia hoc  
magis competit sinceritati fidelium, quæ re-  
quiritur ad usum hujus Sacramenti. Secundum  
illud 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus  
est Christus; itaque epulemur in azimis sinceri-  
tatis, & veritatis. Habet tamen, ut perse-  
quitur idem Doctor, consuetudo Græco-  
rum aliquam rationem 1°. Propter signifi-  
cationem Christi ad instar fermenti naru-  
ram humanam suo vigore fermentantis.  
2°. Ad detestationem hæresis Nazarcorum,  
qui legalia Evangelio miscabant. 3. p. q.  
74. a. 4. in corp.

Quantum ad vinum. Vinum quodlibet de  
vi est materia apta, & valida ad consecra-  
tionem; tamen consecrandum est vinum,  
cui pauxillum aquæ admixtum sit; usus  
enim ille miscendi aquam cum vino anti-  
quissimus est; nam Justinus martyr secundo  
sæculo vivens illius meminit; ait enim Apo-  
log. 2. Christianos solitos participare de pa-  
ne Eucharistico, & de vino, & aqua. Idem

Tome VII.

Dd

docet Cyprianus Epistola 3. ad Cæciliūm, id observant omnes Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ. Ita determinant Concilia, & Concilium Triburicense an. 895. descendens ad particulares hujus cæremoniæ circumstantias determinat, quod aqua non debeat tertiam calicis partem excedere Can. 19. Deinde Concilium Trid. eam consuetudinem ad Christum ipsum refert: Monet, inquit, deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offrendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, is enim etat judaici populi usus, ut vino lymphato uteretur; sic enim habetur prover. 9. v. 5. Bibite vinum, quod miscui vobis, tum etiam, ut ait eadem Synodus, quia è latere Christi aqua simul cum sanguine exivit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis, populi dicantur, ipius populi fideles cum capite Christo unio repræsentatur. Aliam ex D. Ambros. addit Divus Thomas rationem; significat hæc aqua vino mixta introitum in regnum cœlorum: Aqua, inquit, redundat in Calicem, & salit in vitam æternam. Hæ autem rationes non debent admissi quasi motiva, quibus ostendatur aquam miscendam esse cum vino in Calice, sed ut solùm quasi facta historica, quæ probent eam cæremoniam suissimè semper in Ecclesia observatam, & patres his congruentiis non aliud intendisse, quam, ut institutum à Christo ritum populo his congruentiis explicarent. An aqua convergatur in vinum, vel remanet

TRACT. DE SACRAMENTIS. 303  
nens aqua vi consecrationis convertatur in  
sanguinem, quæstio est magis Philosophica,  
quam Theologica, idèo id missum faci-  
mus.

Quantum ad binas species panis, & vini,  
licet altera sufficiat ad validam consecratio-  
nem; tamen utraque species est simul con-  
secranda, primum quidem, quia legimus ita  
Christum fecisse. Secundò verò, quia num-  
quam permisum legitur, ut cum sola spe-  
cie vel panis, vel vini fieret consecratio;  
imò si sint regiones, in quibus non sit vel  
panis, vel vinum, eoque asportari nequeant;  
vetat Ecclesia Missam sine utraque sicut ma-  
teria celebrari; satiusque judicat, ut Mis-  
sam fideles non audiant, quam quod Sa-  
cerdos cum altera tantum specie consecret.  
3. Demùm quia Sacrificium Missæ est sa-  
crificium per modum spiritualis nutritionis,  
juxta illud: *Caro mea verè est cibus, & san-  
ghis meus verè est potus.* Joan. 6. v. 56. Opo-  
ret ergò, ut contineat binas species, panem,  
scilicet, & vinum, quibus nutritio con-  
stat.

Quantum verò ad simplices fideles commu-  
nicantes, vel Clericos non celebrantes, suffi-  
cit ut in una specie panis communicent;  
quia alia est ratio communicandi, alia ce-  
lebrandi. Id ita explicat Trid. sess. 21. cap.  
3. Quamvis, inquit, Redemptor noster.. in-  
suprema illa cæna hoc Sacramentum in du-  
abus peciebus instituerit; & Apostolis tradiderit:  
tamen fatendum esse etiam sub altera tantum  
specie totum, atque integrum Christum, ve-  
rumque Sacramentum sumi, ac propterea,

quoad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem defraudari eos, qui unam speciem solam accipiunt. Multis quidem de causis. 1. Quia cum christi corpus, utpote vivens & gloriosum, nec à sanguine, nec sanguis à corpore, & neutrum à divinitate separari possit, sub quacumque sumatur specie, integer Christus accipitur; & proinde tota gratia sacramentalis, quæ huic Sacramento alligatur. 2. Quia Christus, Apostoli, & primi Ecclesiæ pastores solam speciem panis creduntur simplicibus fidelibus ministrasse. Nam à multis docetur Christum dedisse Eucharistiam Discipulis euntibus Emmaus; in illa autem communione fit solius panis mentio: *Cognoverunt eum*, inquit, textus sacer, *in fractione PANIS*. Apostoli solam haud dubiè dabant speciem panis Judæis recens conversis toto tempore Nazareatūs, quibus diebus Judæis uti vino non licebat; noluissent enim Apostoli initio nascentis Ecclesiæ Mosaïcani legem apertè infringere; voluerunt etenim Synagogam cum honore sepelire; priores Episcopi dabant solam panis speciem Anachoretis: quam ipsi in cellulas suas deferebant, ut eam & adorarent, & tempore congruo sumerent. 3. Quia per solam speciei panis sumptionem fideles firmius roborantur in ea fide, quod Christus in qualibet specie totaliter continetur, impeditur effusio sanguinis, vel in terram, vel supra vestes, quod frequenter contingebat, dum vigeret usus sumendi species vini. Removetur insuper horror ille, quem habent abstemii bibendi species vini,

quemque singuli ferè homines sentiunt bibendi in eodem vase post alios. Demum non est quod Hæretici circa hoc Ecclesiam Romanam calumnientur, cum ipsimet idipsum frequentent, & solum panem offerant: quoties quis ex adstantibus, vel horrore naturali, vel ex aliis causis manifestat se nolle vinum post alios sumere.

*Cæremoniæ verò concomitantes Eucharistie confectionem, & celebrationem habentur initio Missalis, eas potest quilibet ibi legere.*

*Cæremoniæ consequentes Eucharistie confectionem pertinent ad debitum tanti Sacramenti cultum; illud autem Sacramentum, ut pote Christum continens debet cultu latrīæ adorari, de quo ita Trident. sess. 13. can. 6. Si quis dixerit, inquit, in sancto Eucharistie Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latrīæ etiam externo adorandum... & ejus adoratores esse idololatras anathema sit: Christus enim, utpote subsistens in natura divina, debet, ubique que sit, adorari, ut diximus t. 2. ubi de objecto adorationis. Variis autem modis exerceri potest cultus latrīæ erga Christum in Eucharistie Sacramento contentum. 1. Genusflexione, ut docet Cyrillus. Cath. 5. Accedat pronus, inquit, & in adorationis modum, scilicet ille, qui vult communicare. 2. Luminaribus accensis, ut docet Hieroni contra Vigillantium. 3. Thimiamatis, & thuris adustione, ut docet Ambr. in Lucam. 4. Observatione festi ab Urbano IV. instituti. 5. Celebratione processionis à,*

Martino V. & Eugenio IV. institutæ. 6. Pu-  
blica tanti Sacramenti gravibus de causis  
expositio, ut docet Carolus Borromæus  
in sua Synodo XI. Demùm devota ejusdem  
Sacramenti sumptio: *nemo enim*, inquit  
Aug. *carnem illam manducat, nisi prius ado-*  
*raverit in Psal. 98.* Singulos illos modos,  
quibus Christum in Eucharistia adorare pos-  
sumus, paucis expressit Trid. scff. 13. can.

6. & 7. *Si quis dixerit*, inquit, *non licere*  
*sacram Eucharistiam in sacrario reservari*, *sed*  
*statim post consecrationem adstantibus necessa-*  
*rio distribuendam*, *aut non licere*, *ut illa ad in-*  
*firmos honorifice deferatur*: anathema sit. Rur-  
sus: *si quis dixerit Christum non esse cultu la-*  
*triae in Eucharistia adorandum*, *atque ideo*,  
*nec festiva peculiari celebritate venerandum*,  
*neque in processionibus secundum laudabilem*,  
*& universalem Ecclesiæ sanctæ ritum*, *& con-*  
*suetudinem*, *solemniter circumgestandum*, *vel*  
*non publicè*, *ut adoretur*, *populo proponendum*,  
*anathema sit.*

**CONSECTARIUM II.** De persona, quæ va-  
lidè quidem, sed non licite potest Eucharistiam  
vel confiscere, vel distribuere. Eucharistiam  
validè quidem, sed illicite conficit omnis  
Episcopus, omnis Sacerdos, vel suspen-  
sus, vel excommunicatus, vel degradatus,  
vel Hæreticus, vel schismaticus; illis enim  
omnibus per Ecclesiam interdicta est Eu-  
charistiaæ consecratio. Can. multi 84. caus.  
1. q. 1. Item Eucharistiam validè quidem,  
sed illicite dispensat omnis Sacerdos, qui  
non habet jurisdictionem, vel ordinariam,  
aut Episcopus, aut Parochus, vel delegatum,

TRACT. DE SACRAMENTIS. 307  
ut vicarius Parochi; vel præsumptam ut  
sunt singuli Sacerdotes, quibus permittitur  
celebrare, & adstantibus in Missa commu-  
nionem impendere: uti enim pastorum est  
oves suas verbo, & Sacrementis pascere,  
ita ad pastores pertinet eos, qui Sacramen-  
ta ministrent, delegare; Sacerdos autem  
ministrans Eucharistiam sine delegatione  
saltem præsumpta peccat mortaliter; quia  
in casu gravi violat alterius jurisdictionem;  
religiosi verò ipso facto incurruunt excommu-  
nicationem Papæ reservatam, si sine spe-  
ciali Parochi licentiâ præsummant laicis, vel  
clericis viaticum ministrare: Diaconus au-  
tem, & alii inferiores clerici dispensantes  
Eucharistiam extra casum necessitatis, in-  
currunt irregularitatem secundum præsen-  
tem Ecclesiæ praxim, quamvis olim fuerint  
Eucharistiæ ministri in certis casibus. Nam  
Diaconi olim ministrabant Eucharistiam.  
*Qui apud nos, inquit Justinus, Diaconi di-*  
*cuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, pa-*  
*nem, vinum, & aquam.* Acolithi jussu Epis-  
coporum Eucharistiam ad Christi fideles  
deferebant; ipsimet laici acceptam à Sa-  
cerdotibus hostiam consecratam in pro-  
prias domos asportabant, ut eā munirentur  
contra tentationes tyrannorum, eamque,  
eum opus esset, reciperent. Jam verò Dia-  
coni, Subdiaconi, Clerici inferiores, inid  
& laici possent ex dispensatione Papæ idem,  
quod olim circa hujus Sacmenti distribu-  
tionem in Ecclesia observabatur.

CONSECTARIUM III. *Quot modis*  
*possit recipi Eucharistia jam consecrata.* Eucha-

rificia jam consecrata potest tripliciter accipi à christianis. Primo realiter tantum, sed indignè: talis fuit communio Iudeæ & eorum omnium, qui communicant sine dispositionibus debitibus. Secundo spiritualiter tantum; talis est communio eorum omnium, qui Christo existenti in Eucharistia spiritualiter adhaerent, tales sunt beati omnes, justi, & pœnitentes. Tertio realiter & spiritualiter, sed dignè; tales sunt hi omnes qui cum debitibus dispositionibus accipiunt Eucharistiam sub specie panis vel vini.

**C O N S E C T A R I U M IV.** *Quæ dispositio-*  
*nēs requirantur, ut Eucharistia fructuose ac-*  
*ciptiatur realiter & sacramentaliter.* Ut Eu-  
 charistia dignè suscipiatur, tres requirun-  
 tur dispositio[n]es, fides in intellectu, chari-  
 tas in voluntate, & jejunium in corpore.  
 Fides in intellectu, quā discernat panem  
 Eucharisticum à pane communi; ideo Eucha-  
 ristia non datur infantibus. Charitas in  
 voluntate, quā sit extra peccatum mortale;  
 ideo Eucharistia non datur his, qui sunt in  
 peccato mortali. Jejunium in corpore;  
 ideo extra casum necessitatis Eucharistia non  
 sumitur nisi à jejunis. Ut jam jam diximus  
 explicantes hanc dictionem *jejuna*. Expli-  
 cuimus pariter quod Eucharistia non sumi  
 debeat à pueris; explicandum solum super-  
 est, quod non sumi debeat à peccatoribus  
 consciis peccati mortalisi. Id expressè do-  
 cet Apostolus his verbis: *qui manducat &*  
*bibit indignè, judicium sibi manducat & bibt,*  
*non dijudicans corpus Domini.* 1. Ad Corinth.  
 xi. illud idem docet Aug. tract. 62. in Joa.

*Si, inquit, corripitur non dijudicans Corpus Domini, hoc est qui Corpus Dominicum à ceteris cibis non discernit, sed ut quemlibet alium cibum indiscrete, negligenterque sumit; quomodo, sive quam graviter damnatur, qui ad ejus mensam, singens amicum accedit inimicus.* Illud idem docet Trid. sess. 13. c.

*Ecclesiastica, inquit, consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscient peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus observandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris.* Ratio autem cur communicans in peccato mortali grave sacrilegium committat est, inquit D. Th. 1. quia Eucharistia est Sacmentum vivorum: ergo non debet sumi nisi ab his, qui vivunt vita gratiæ. 2. Eucharistia est cibus fortium: ergo sumi nequaquam potest ab his, qui sunt mortui per peccatum. 3. Eucharistia est signum spiritualis unionis, quam habemus cum Christo capite: ergo sumi non debet ab his, qui sunt separati à Christo per peccato 3. p. q. 80. a. 5.

*Sic realis sumptio Eucharistiæ permitti non debet ulli ex his quibus supra monimus suspendendam esse absolutionem; quia realem Eucharistiæ sumptionem debet præcedere absolutio, quoties adest copia Sacerdotis. Sic qui ignorant mysteria fidei, qui nolunt reconciliari cum inimicis, qui nolunt restituere, qui sunt in habitu, aut proxima occasione peccandi, &c. debent pri-*

3<sup>ro</sup> MORALIS CHRISTIANA.  
vari Eucharistiae sumptione, donec præcep-  
to Sacerdotis paruerint.

Sic juxta usum antiquum Sanctorum his  
etiam, quibus concessa est absolutio à gra-  
vibus peccatis, suspendenda est ad tempus,  
sacra communio: *Ut qui separari à regno Cœ-  
lorum timet per ultimam sententiam summi ju-  
dicis, aut separari meruit, per Ecclesiasticam  
disciplinam à Sacramento Cœlestis panis in-  
terim separetur.* Aug. hom. 27. cap. 3. & Con-  
cilium Ancyranum jubet, ut pœnitens emen-  
sis diversis pœnitentiæ stationibus *in quar-  
to anno perfectionem suam, id est Eucharistiam,*  
*percipiat.* Eam praxim observavit Paulus  
erga Corinthium incestuosum, quem non  
nisi post revolutum annum ad communio-  
nem admisit, eandem observavit Joannes  
Evangelista erga illum juvenem, qui à Chris-  
tianismo, ad prædones transierat, & eorum  
dux factus fuerat, quem Ecclesiæ non recon-  
ciliavit, nisi ubi se cum eo macerasset, jeju-  
niis, crebrisque precibus Deum invocasset.  
Eus. his. 2. cap. 17. Sic etiam juxta usum  
à Ludovico Granateni approbatum non sta-  
tim post absolutionem à peccatis mortali-  
bus, pœcipue impudicitæ aut inimicitæ, &c.  
ad Christum puritatis amatorem & pa-  
cis amantissimum per communionem per-  
mitiens est accessus, etsi enim, inquit,  
anima purgata, remanet adhuc fœtidus qui-  
dam incontinentiæ odor, & fumus ali-  
quis rancoris pristini exhalatur, quod utrum-  
que dilatione aliqua, precibus, & piis ope-  
ribus purgari convenit. *non mensam invado,*  
*inquit Aug. sed micasquero serm. 74. de temp.*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 31  
cap. 6. & ut optime ait Bernardus sermone  
de B. Magdalena: *Profecto difficilimus &*  
*presumptuosus saltus est à vestigiis ad verti-*  
*cem Domini transvolare.* Et ita maxima cau-  
tione debet Sacerdos uti , vel in permitten-  
da , vel neganda communione his peccatori-  
bus , quos à grayissimis sceleribus absolvit.  
Permittenda , si judicetur necessaria , ut  
confirmet Deus per sacrum Christi corpus ,  
quod in illis operatus est per gratiam , de-  
neganda verò & ad tempus suspendenda , si  
eà dilatione adaugenda prævideatur in Eu-  
charistiam devotio.

Sic etiam utilis est aliquando di-  
latio sacræ communionis , ut eā dilatione  
purgentur peccata venialia , majorque fiat  
erga sacram Eucharistiam & reverentia , &  
devotio. Chrysothomus teste Palladio *animo*  
*commotiore Sacrificium offerre noluit* ; Hiero-  
nimus basilicas martyrum , cum iratus fuerat ,  
intrare non audebat : à fortiori non ausus  
esset sacram Eucharistiam sumere. Gerun-  
tius Diaconus jussu Ambrofi abstinuit à  
ministerio , cù quodd Ievia quædam verba in-  
consideratè protulisset : si quis enim non ex  
segnitie sed ex reverentia abstineat à sacra  
communione laudandus est de reverentia , in-  
quit autor de imitatione Christi. lib. 4.  
cap. 10,

## ARTICULUS IV.

In quo prædictum principium , scilicet cœ-  
remoniæ Sacramentorum , & circumstantiæ  
Sacramentis adjungendæ , sunt observandæ ,  
applicatur Sacramento pœnitentiæ .

**N**ota. Non hic loquimur de pœnitentia  
solemni , aut publica ; sed de ea pœ-  
nitentiâ privatâ , quâ peccator sistit se in fo-  
ro interno coram Sacerdote .

Propositio unica. Observandæ sunt cœre-  
moniæ , quæ circa administrationem pœni-  
tentiarum in ritualibus describuntur .

Propositio patet ex dictis .

*Consecaria hujus Doctrinae.*

**C**ONSECTARIUM I. De cœremoniis antecedentibus ,  
concomitantibus & consequentibus Sacramentum  
pœnitentiæ . Antequam audiatur confessio , per-  
quirendum est tempus , à quo facta est ulti-  
ma confessio ? An præcedentes fuerint inte-  
græ , & completæ ? Si confessiones ex culpa  
pœnitentis integræ non fuerint , sacrilegæ sunt ,  
& iterandæ . Rursus à pœnitente quæren-  
dum , an impositam satisfactionem impleverit ,  
& inquirenda est causa , cur non im-  
pleverit , an quia animum non habebat ad-  
implendi , cum imponeretur , quo casu nul-  
la est confessio , utpote carens parte essentia-  
li ! An quia vel non potuit , vel neglexit ,  
quo casu oportet , si possit , ut illam impleteat ,  
si non possit , aliam confessarius imponat ,  
cique

TRACT. DE SACRAMENTIS. 313  
eique malo medeatur juxta regulas superius  
traditas, ubi de mutatione satisfactionis.  
Dum auditur confessio, non turbetur pœni-  
tens, etiam si confusè, & in honestè loqua-  
tur, interrumptur solum, cum necessa-  
rium erit, vel ut circumstantiæ peccatorum  
pateant, vel ut cum fiducia incœptam confes-  
sionē prosequatur. Finita accusatione modus  
honestior, & commodior accusandi se indica-  
bitur; & si oportuerit, de iisdem pœnitens ma-  
gis ordinatè interrogabitur. Nihil in vultu  
immutandum, nihil in habitu corporis, quid-  
quid audierit confessarius. Sicut erubescente  
peccatore egerit, gravitatem criminis ne ex-  
ponat, nisi post completam omnino confessio-  
nem. Si pœnitens in confitendo laborare de-  
prehendatur, verba quædam de inferno, de  
impiâ morte mentientis in confessione in-  
jici possunt, ut confessionis partus adjuve-  
tur. Si pœnitens sit perfrictæ frontis, post-  
quam omnia confessus fuerit, ostendendum  
quām severè puniat Deus eos, qui elata cer-  
vice veniam audent postulare, quantâ è  
contra benignitate humiles corde suscipiat.  
Si pœnitens sua ipse peccata exponere non  
valeat, interrogandus erit juxta regulas su-  
perius traditas, ubi de munere confessarii.  
Demum completa confessione absolvendus  
est pœnitens, si sit bene dispositus, remit-  
mittendus verò, si non sit sufficienter dis-  
positus. Antequam absolvatur præmittenda  
est brevis aliqua exhortatio, quâ ad cordis  
compunctionem excitetur, & ad suscipien-  
das salutares, & medicinales satisfactiones  
accendatur & poste absolvendus juxta formâ.

in rituali præscriptam. Post absolucionem datum non sunt habenda cum pœnitentibus colloquia vana, præsertim cum mulieribus, quæ etiam promptius, & graviori cum vultu, modoque loquendi in toto confessionis negotio audiendæ sunt: extra tribunal numquam de auditis in confessione cum pœnitentibus colloquendum, nisi ipsi velint, & id necessarium judicetur in bonum pœnitentis, nec in memoriam revocanda sunt pœnitentiū nomina, nisi ut pro eis orationes ad Deum effundamus. Cavenda est Zelotypia, quā confessarii timent, ne sui pœnitentes apud alios quoque confessionem faciant; imò opportunum est, ut eos pœnitentes, quos ordinariè audimus, interdum ad alios confessarios mittamus, uti de Monialibus præcipit Trid. Quibus ter in anno confessarium extraordinarium dari mandat. Si pœnitens vel absolutus, vel non absolutus citet confessarium coram judice sacerdotali, ut reddat rationem de absolutione data, vel denegata, non respondeat judici sacerdotali, nisi consulto priùs Episcopo: si Episcopus opportunum judicet, ut confessorius sistat se coram judice sacerdotali, nihil aliud respondere debet, nisi se non posse de his rationem reddere, nisi soli Deo: similiiter respondere debet, si coram judice Ecclesiastico citetur.

**C O N S E C T A R I U M II.** *De circumstantiis loci, temporis, & personarum.* Ante confessionem id est antequam pœnitens suscipiatur, observandæ sunt personæ, tempus, & locus. 1. Circa personas, si confessorius sit

Parochus, ab eo observandum est, an pœnitens, qui stat coram se, sit suæ Parochia, vel alienæ. Pœnitentem alienæ Parochiæ Parochus non suscipiat, nisi de obtentâ priùs à suo pastore, vel à superiore licentiâ fidem confessatio facit. Si pœnitens bonum, & peritum Parochum habeat, ab eo pœnitente petenda est causa, cur ad suum pastorem non accesserit; ut siquid est in eo à Parocho alieni animi, vel contemptus, prudenter abstergatur; si quæ opus est erga pœnitentem indulgentiâ, ea potius à Parocho, quam ab alieno facienda est. Si confessarius sit Sacerdos vel sacerularis, vel regularis universaliter in tota Dioecesi erga omnes approbatus, bonum est ut pœnitentem interroget, cur ad ipsum potius, quam ad alium accesserit; an causam habeat, cur ad suum Parochum non accedat, eique magna semper erga Parochum, & proprium pastorem inspiranda est reverentia. His præmissis expendendus est pœnitentis se se offerentis status, sit ne pœnitens laicus, vel non laicus, Sacerdos, vel monachus, dives, vel pauper, dominus, an vasallus, &c.

Et statim in mentem revocanda sunt præcipua offerentis se pœnitentis officia. Si quæ autem sint lubricæ temptationis initia inter pœnitentem, & confessarium, mittendus est pœnitens ad alium Sacerdotem, quod si fieri minimè possit, raro & magna cautione adhibita, & numquam nisi præmissâ oratione est audiendus. Circa tempus isthæc observanda sunt. Interdiu confessiones audiendæ sunt, non ante auroram, non post

Licet tamen post vesperam, vel ante auroram in aliqua necessitate confessiones audire modo lucerna accensa sit, duoque, vel tres testes praesentes sint: ut habent vulgo statuta synodalia cujuslibet dioeceseos. Peccatoribus quovis tempore audiendis paratum esse oportet confessarium; ordinarias tamen confessiones in vigiliis festorum audire magis est opportunum, quam ipso die festo, extraordinarias vero in aliud tempus differre expedit, nisi caritas, vel necessitas aliter suadeat. Annuam confessionem, incipiente quadragesima, singuli fideles inchoare deberent, vel ad eam saltem se disponere. Circa locum isthac observanda sunt non in cubiculis magnatum, nec in oratoriis, sed in Ecclesia loco patenti confessiones audiantur, nisi morbus, vel alia necessitas cogat. Ita Galliae Concilia.

Propterea confessionalia extruenda sunt in Ecclesia. Mulierum confessiones in sacrificia numquam, virorum autem non nisi raro, & necessitate urgente audiantur.

**CONSECTARIUM III.** De persona que validè quidem, sed illicite potest dare absolutio-  
nem. Toties absolutio datur validè quidem, sed illicite, quoties impeditur a sacerdo-  
te approbato, qui observat usum diversum  
ab eo, quem prescribit Ecclesia. Sic jux-  
ta Alensem, & Bonaventuram, & Morinum ab-  
solutio data deprecatoriè est quidem vali-  
da; quia, inquiunt, formâ deprecatoriâ usi-  
sunt antiqui, & ea adhuc utuntur Graci:  
sed eadem absolutio est illicita; quia usus

TRACT. DE SACRAMENTIS. 317  
præsentis Ecclesiæ est; quod forma absolu-  
tionis istis verbis indicativis proferatur:  
*Ego te abservo*, &c. Ut expressius modo lo-  
quendi significetur sententiam Sacerdotis  
non esse solum declaratoriam. Sic valida  
quidem, sed illicita est, absolutio, quæ  
impeditur à sacerdote sine eâ decentia,  
quâ eam impendi oporteret, v. g. juxta D.  
Thom. valida, sed illicita est absolutio à  
peccato carnali, quod confessarius una cum  
pœnitente sua commisit: *Dicendum, inquit,*  
*Quod in tali casu nec Sacerdos debet audire*  
*confessionem mulieris, cum qua peccavit, de il-*  
*lo peccato; sed debet ad alium mittere. Nec*  
*illa debet ei confiteri; sed debet petere lice-*  
*tiam ad alium eundi, vel ad superiorum recur-*  
*rere, si ille licentiam denegaret; tum propter*  
*periculum; tum quia est minor verecundia, si*  
*iamem absolveret, absoluta esset mulier. Quod*  
*enim Aug. dicit, quod absolvens non debet esse*  
*in eodem criminе, intelligendum est secundum*  
*congruentiam, & non secundum necessitatem*  
*Sacramenti. Supplem. q. 20. a. 2. ad 1.*

## ARTICULUS V.

In quo prædictum principium scilicet cœ-  
moniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sa-  
cramentis adjungendæ, sunt observandæ,  
applicatur ad Sacramentum Extremæ-un-  
ctionis.

Propositio unica. Observandæ sunt cœ-  
moniæ, aliaque adjunctæ, tum loci, tum tem-

318 MORALIS CHRISTIANA.  
poris, tum personarum, quæ in ritualibus  
describuntur.

Propositio patet ex dictis.

*Consectaria hujus doctrinae.*

**C O N S E C T A R I U M I.** *De cœmeroniis.*  
Cœmoniæ antecedentes, concomitantes,  
& consequentes Extremam-unctionem ha-  
bentur in rituali; & sola lectione percipi  
possunt.

**C O N S E C T A R I U M II.** *De circumstantiis lo-  
ci, & temporis.* *Locus* in quo; conferatur  
Extrema-unctionio, non est determinatus, ali-  
quando ægroti ex pietate volunt deferri ad  
Ecclesiam, ibique inungi; id vulgare est,  
inquit Goarus, apud Græcos; id teste Ber-  
nardo præstigit Malachias Monachus, mul-  
tique Monachi Domini nostre de Trappai-  
dem præstant: sed usus communis est, ut sa-  
cra hæc unctionio conferatur privatis in domi-  
bus ægrotis in lecto decumbentibus. *Tem-  
pus* verò, quo conferri debet non est pariter  
fixum; aliquando anteviaticum, conferebatur;  
aliuando post viaticū. Qui conferebant ante  
viaticū, eomotivo ducebantur, quod Extrema-  
unctionio sit quasi pœnitentiæ complementū, qui  
verò post viaticum conferebant, hac ratio-  
ne ducebantur; quod Extrema-unctionio sit  
Sacramentum excuntium: ergo post omnia  
Sacramenta conferri debet. Usus ritualis  
Romani est, quod conferatur post confessio-  
nen, & post viaticum. *Si tempus*, inquit  
& conditio infirmi permittat, ante Extremam-  
unctionem pœnitentiæ, & Eucharistie Sa-  
cramenta infirmis præbeantur. *Rituale Pauli*

V. Huic praxi utpote communiori insistendum est.

**CONSECTARIUM III.** *De personis quæ validè quidem, sed illicitè conferunt Extremam-unctionem.* Totiès Extrema-unctionis validè quidem, sed illicitè confertur, quotiès extra necessitatem administratur à Sacerdote, qui vel non est pastor proprius, vel deputatus à pastore; quia eam subordinationem ordo exigit Hierarchicus: imò si religiosus extra necessitatem sine veniâ Parochi conferret Extremam-unctionem, tunc incurrit excommunicationem Papalem Clem. I. de privilegiis. Necessitas autem conferendi hoc Sacramentum est, cum Parochus vel non posset, vel non vellet illud Sacramentum ægroto periclitanti conferre.

## ARTICULUS VI.

In quo prædictum principium, scilicet Cœ-  
remoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sa-  
cramentis adjungendæ, observandæ sunt,  
applicatur ad Sacramentum ordinis.

Propositio unica. Cœremoniæ, aliaque  
adjunctæ, quæ in Pontificali describuntur,  
observanda sunt, ut ordinatio sit licita.

Propositio patet ex dictis.

*Consecratio hujus doctrine.*

**CONSECTARIUM I.** *De cœremoniis  
ordinationis.* Cœremoniæ antecedentes,  
concomitantes, & consequentes ordina-

320 MORALIS CHRISTIANA,  
tionem in pontificali describuntur & sola  
lectione percipi possunt.

CONSECTARIUM II. *De circumstan-  
tiis loci, & temporis ordinationis.* Locus, in quo conferuntur ordines, debet esse proprius Episcopo ordinanti, debet esse sacer, & publicus: proprius quidem, cum enim ordinatio sit actus jurisdictionis extra proprium territorium exerceri non pos-  
test: unde Trident. sess. 6. cap. 5. de re-  
form. hæc habet: *Nu'li Episcopo liceat cu-  
jusvis privilegii prætextu, pontificalia in al-  
terius diæcesi exercere, nisi de ordinarii loci  
expressâ licentiâ, & in personas eidem ordina-  
rio subjectas tantum: si secus factum fuerit,  
Episcopus ab exercitio pontificalium, & sic  
ordinati ab executione ordinum sint ipso jure  
suspensi.* Locus debet insuper esse sacer, quo-  
ties saltē conferuntur ordines, qui inter  
Missarum solemnia conferri solent: Missa  
enim, ut dictum est, nonnisi in loco sacro  
celebrari potest; alii verò ordines, scilicet  
Minores, & insuper tonsura, quocumque in  
loco, & ubicumque conferri possunt, inquit  
Pontificale Romanum. Demùn locus ordi-  
nationis debet esse publicus; si enim, in-  
quit Cyprianus epist. 68. coram omni synago-  
ga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est,  
instruit, & ostendit ordinationes sacerdotales  
nonnisi sub populi assistentis conscientiâ, fieri  
oportere, ut plebe præsente, vel detegantur  
malorum crima, vel bonorum merita prædi-  
centur; & sit ordinatio justa, & legitima,  
quæ omnia suffragio, & judicio fuerit ex-  
aminata. Idem jubet Concil. Trident. sess.

23. de refor. cap. 8. *Ordinationes sacrorum ordinum . . . publicè celebrentur, præsentibus ad id Ecclesiæ canoniceis.* Tempus, quo fieret ordinatio, non erat olim præfixum; nam Apostoli non ad unum potius quam aliqui mensem, vel diem attendebant; Pontifices vero Romani vulgo ordinationem ad mensem Decembrem remittebant; jam vero usus præsentis Ecclesiæ Latinæ est, quod collatio sacrorum ordinum non fiat, nisi sabbathis quatuor temporum, & sabbatho præcedente Dominicam Passionis, & Dominicam Paschatis; minores vero ordines dari possunt singulis Dominicis, & festivis diebus duplicibus, & pridiè solemnis ordinationis. Ea omnia magis constant usu, quam scripto, & ad hæc alludit Trident. sess. 23. cap. 8. dum ait: *Ordinationes sacrorum ordinum statutis à jure temporibus publicè celebrentur.* Collatio vero tonsuræ omni tempore, omni loco fieri potest. Ad circumstantiam temporis pertinet, quod à susceptione unius ordinis ad susceptionem alterius, aliqua interstitia observentur; interstitiorum autem tempus ita fixit Trident. sess. 23. cap. II. de reform. *Minores, inquit, ordines. . . . per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur, . . . ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum etate vitæ meritum, & doctrina major accrescat. . . . cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima mysteria sit ingressus,*

nemo iis initetur, quem non scientia spes majoribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas iudicio Episcopi aliud exposcat: & cap. 13. Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad aliorum gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Hujusmodi est usus Ecclesiæ Latinæ; nam usus Ecclesiæ Græcæ est longè diversus. Siquidem Episcopi solum Presbiteratum & Diaconatum vetantur conferre extra suum territorium, minimè vero alios ordines, ut notat Balzamon in canonem 14. Apostolorum.

**C O N S E C T A R I U M III.** *De personis que validè quidem sed illicite conferunt, & recipiunt Sacramentum ordinis.* Toties ordo confertur validè quidem, sed illicite, quoties confertur ab Episcopo vel excommunicato, vel suspenso, vel degradato, vel hæretico, vel schismatico: quia, ut inquit D. Thomas, hi utuntur validè quidem potestate quam semper retinent, sed quā uti licite nequeunt, quandiu sunt in statu prædicto. Item ordo confertur validè quidem, sed illicite, quoties confertur ab Episcopo nullis certè censuris innodato, sed Pontificalia exercens extra suum territorium, vel circa fideles non sibi subditos: & hoc sine expressa Episcopi loci licentia; id enim districte sub pœna suspensionis vetat Ecclesia.

Validè quidem, sed illicite ordinantur,

TRACT. DE SACRAMENTIS. 88  
qui hic subjiciuntur. 1. Perpetuò amentes,  
cœci, muti, manei, pueri in cunis; licet  
enim sint naturaliter inhabiles ad exercenda  
officia ecclesiastica, sunt tamen apti ad  
fusciendum characterem ordinis. 2. Irre-  
gulares v. g. neophyti, infames, herma-  
phroditi, suspensi, excommunicati; licet  
enim jure ecclesiastico sint inhabiles ad  
munia ecclesiastica & ab eorum exercitio  
arceantur, tamen possunt validè charac-  
terem ordinis recipere.

## ARTICULUS VII.

In quo istud principium, scilicet Cœrimonie  
Sacramentorum, & circumstantiae Sacra-  
mentis adjungendæ observandæ sunt, ap-  
plicatur ad Sacrementum matrimonii.

Propositio unica. Cœrimonie, aliaque  
adjuncta matrimonii, observanda sunt, ut  
matrimonium sit licitum.

Propositio patet ex dictis.

*Consecaria hujus doctrinae.*

CONSECTARIUM I. De Cœrimonis. Obser-  
vandæ sunt cœrimonie antecedentes, con-  
comitantes, & subsequentes matrimonium;  
quia ita jubet Ecclesia; aliàs matrimonium  
fit illicitum. Cœrimonie antecedentes, sunt  
primò sponsalia, secundò proclamations;  
etenim si aliquis istorum omittatur matri-  
monium, licet validum; est tamen illicitum.  
Sunt autem sponsalia futuri matrimonii pro-

missio. De sponsalibus sicut infra specialis paragraphus *Proclamationes* sunt denuntiationes publicæ ad impediendac clandestini matrimonia; debent autem fieri 1°. in parochia sponsi utriusque, in qua per sex saltem menses quilibet habitaverit. 2°. Per tres continuos dies festos, & hoc intra *Missarum solemnia*; non autem in officio. 3°. Elapsis post ultimam denuntiationem sex mensibus, si celebratum non fuerit matrimonium, debet una saltem denuntiatio iterum proclamari ante celebrationem. 4°. Etsi die denuntiationis ultimæ matrimonium celebrari possit, non expedit tamen. Cœremoniæ concomitantes matrimonium in rituali describuntur, & sola lectione percipiuntur. *Ad Cœremoniæ verò subsequentes matrimonium reduci potest sancta ea libertas*, quam habent conjugati, ut stante matrimonio rato, & nondum consummato, cuilibet conjugum datur spatium bimestre, quo matrimonium ratum, & non consummatum dirimitur per solenniæ alterius sponsi in approbata religione professionem, ut expressè definit Trident. sess. 24. can. 6. & meritò quidem; quippe cum conjugati nondum facti sint *una caro* per carnalem copulam, cuilibet licitum sit oportet, se Christo per spirituale conjugium copulare: & sicut per mortem corpoream solvitur carnis matrimonii vinculum, quid ni per mortem spiritualem, qualis est professio religiosa, solvetur rati dumtaxat matrimonii ligamen. Eam doctrinam continuâ traditione in Ecclesia observatam sic explicat Alexander Papa Tertius. cap. *Verum de conver-*

converfione conjugatorum, ubi sic habet. Verum, inquit, posse consensum legitimum de praesenti licitum est alteri, altero etiam repugnante eligere monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos . . . . & alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire. Et cap. Ex publico: Jubet mulierem conjugatam, sed non carnaliter cognitam, vel transire ad religionem, vel ad virum redire intra duos menses.

**CONSECTARIUM II.** De circumstantiis loci, & temporis, in quibus matrimonium & recipi, & conferriri possit. Juxta praesentem Ecclesiæ consuetudinem matrimonii Sacramentum in Ecclesia suscipitur, celebratur Missa specialis, & in ea novi conjugati specialibus precibus Deo offeruntur, & speciali benedictione benedicuntur. Tempus vero matrimonii juxta usum præscriptum in Trid. est hujusmodi à prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam inclusivè, & à die Cineturum usque ad Octavam Paschæ solemnies nuptiæ interdicuntur. Ideo sine dispensatione non possunt toto illo tempore celebrari.

**CONSECTARIUM III.** De personis, quæ validè quidem, sed illicitè contrahunt matrimonium ob circumstantiam impedimentorum prohibentium. Illi omnes validè quidem, sed illicitè contrahunt, qui ineunt matrimonium cum aliquo impedimento impediente. Impedimenta autem impedientia sunt quintuplicis generis, & isto carmine continentur.

*Votum, promissum, prohibitio, tempora, crimen.*

Tome VII.

Ff

Explicantur singulæ voces. *Votum*, scilicet castitatis, si fuerit tantum simplex, impedit matrimonium; quia est ad instar sponsalium, quæ cum Deo ineuntur. Ast si votum solemne fuerit, dirimit matrimonium; quia est ad instar matrimonii initi cum Deo. *Promissio* matrimonii, vel sponsalia cum alio facta impediunt matrimonium.

*Prohibitio* quadruplex prohibet matrimonium. 1<sup>o</sup>. vetatur, ne sine consensu parentum contrahatur. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. 2<sup>o</sup> Ne cum hæreticis ineatur conjugium. Elliberitanum can. 16. Agathense can. 67. 3<sup>o</sup>. Ne quis contrahat cum ea, quam ipse per adulterium polluit. cauf. 31. q. 1 Irritabat tempore Basilii epist. ad Amphilochium cap. 39. 4<sup>o</sup>. Ne quis contrahat durante pœnitentiâ publicâ.

*Tempora* feriata impediunt matrimonium. His non licet matrimonium solemne contrahere, scilicet à Dominica prima adventus usque ad diem Epiphaniæ inclusivè, & à feria quarta Cinerum usque in octavam Paschæ inclusivè. Trident. sess. 24. cap. 10. Nuptias quæcumque solemnes his temporibus celebrare non licet in Gallia absque dispensatione.

*Crimen* impedit nuptias non quodcumque, sed quod istis carminibus explicatur.

'Incestus, monacham dicens, rapiensque alienam:

Presbyterum, uxorem necans, suscepit prolis.

Explicantur singulæ voces. *Incestus* pro-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 327  
hibet matrimonium in perpetuum contingere autem potest quatuor modis. 1<sup>o</sup>. Si cum consanguineis conjugis quis coeat, nisi hoc per errorem contigerit caus. 34. q. 6. & 8.  
2<sup>o</sup>. Si quis cum consanguineis despontati, vel despontatæ coeat. 4. decr. tit. 13. cap. 8.  
3<sup>o</sup>. Si cum duabus sororibus quis fornicietur. 7. capitul. 296. vel cum matre, & filia. caus. 35. q. 2. can. 5. & 6.  
4<sup>o</sup>. Si quis cum propria consanguinea, vel consanguineo nuptias contrahat. caus. 35. q. 2. can. 4. & q. 6. can. 4.

2<sup>o</sup>. *Monacham ducens.* caus. 27. q. 1. can. 13.

3<sup>o</sup>. *Rapiensque alienam.* caus. 27. q. 2. can.

34.

4<sup>o</sup>. *Presbyterum occidens.* caus. 17. q. 4. can.

24.

5<sup>o</sup>. *Uxoremve necans.* caus. 33. q. 2. can. 8.

6<sup>o</sup>. *Suseptio prolis in baptismo, vel in confirmatione.* caus. 30. q. 1. can. 2. Si tamen hoc ex malitia fiat, non autem ex necessitate.

Juxta Cabassutum incestus, occisio Presbyteri, vel uxoris, conjugium attentatum cum moniali, pœnitentia publica impedimenta quidem sunt, sed non recepta in Gallia.

Paragraphus specialis de Sponsalibus.

*Quid sint Sponsalia.*

Sponsalia sunt promissio vel absoluta, vel conditionalis, voluntatia, deliberata, & mutuo signo sensibili expressa futuri ma-

F f ij

trimonii inter personas natura, & jure habiles ad contrahendum.

Hæc definitio ab omnibus admittitur; sumunturque singulæ voces in particulari, ex quibus resolvuntur casus morales.

I. Sponsalia dicuntur promissio, *ex quo istæ inferes*, scilicet, quod ad sponsalia non sufficit propositum, vel desiderium contrahendi cum aliqua; quia propositum, vel desiderium, non est promissio. Hæc autem promissio debet esse non vaga, & indeterminata, sed determinata, & certa, quia vaga promissio non ligat in particulari.

Sic non valet hæc promissio ad sponsalia: si Titius dicat Bertæ, non aliam ducam præter te; quia potest nullam ducere.

Sic non valet hæc promissio: si Titius dicat, ducam aliquam ex tuis filiabus; quia nullam determinat.

II. Dicitur absoluta, *ex quo istæ inferes*, scilicet quod promissio sponsaliorum absoluta potest fieri validè quatuor istis modis.

1<sup>o</sup>. Nudo accipiam te in meam, vel in meum.

2<sup>o</sup>. Dando arrhas sponsalitias, v. g. vestes, jocalia.

3. Annuli subarrhatione.

4. Interveniente juramento; quia hæc omnia confirmant promissionem, sed tantum modificant.

III. Dicitur conditionalis, *ex quo istæ inferes*. I. Si promissio sponsaliorum fiat sub conditione de futuro; promissionis obligatio suspendetur, donec adimpta sit condi-

tro; v. g. accipiam te in meam, vel in meum, si pater voluerit, urgebit obligatio, si pater velit; non urgebit si pater nolit, & vis obligationis suspendetur donec constet de patris voluntate. 2. Si promissio fiat sub conditione de præterito, vel de præsenti, urgebit obligatio promissoris, si conditio sit, vel fuerit posita; quia consensus conditionalis post conditionem positam transit in absolutum; v. g. accipiam te in meam, vel in meum, si sis Berta, vel Titius; urges obligatio, si contrahentes sint Titius, & Berta, & non aliter. 3. Si promissio fiat sub conditione inhonesta, repugnante fini matrimoniali, v. g. accipiam te in meam, vel in meum, si sterilitatem induxeris, non valent sponsalia; quia itur contra finem matrimonii. 4. Si promissio fiat sub conditione inhonesta, non repugnante fini matrimoniali, v. g. accipiam te in meam, vel in meum, si furtis meis consentias, valent sponsalia; quia non itur contra finem matrimonii, sed nou est servanda conditio; quia est de se mala.

IV. Dicitur voluntaria, ex quo istud inferes, scilicet quod promissio facta tantum exteriū, resistente interiū voluntate, non sufficit ad sponsalia; quia requiritur consensus internus.

V. Dicitur deliberata. Promissio debet esse deliberata, quia si absit ea deliberatio, quæ requiritur ad plenum consensum, contractus censemur involuntarius; & proinde invalidus, ex quo istuc inferes scilicet quod sponsali a inita completo septennio va-

330 MORALIS CHRISTIANA.  
lent; tunc enim homo censetur habere usum rationis. Quod si constaret contrahentes sponsalia non habere usum rationis, septen-nio completo, contractus non esset validus.

VI. Dicitur mutua. Promissio debet esse mutua; quia sicuti matrimonium postulat mutuum consensum, ita & sponsalia: *ex quo istae inferes*; si altera pars non repromittat, non fiunt sponsalia. Sic si Titius pro-mittat Bertæ, & Berta non repromittat, non valent sponsalia. Si hic Titius abso-lutè promisisset, & Berta acceptasset, solus Titius teneretur ad promissionem.

VII. Dicitur quod promissio sponsalitiae debeat esse signo sensibili expressa; quia omnis exterior promissio debet esse si-gno sensibili expressa, promissio enim, & contractus debent innoscere modo huma-no, id est sensibili: unde inferes; si altera pars interius tantum consentiat, non valent sponsalia.

VIII. Dicitur futuri matrimonii. Pro-missio deber esse futuri matrimonii; quia per hoc sponsalia distinguntur à matrimo-nio: *ex quo istae inferes*. Matrimonium clandestinum non habet vim sponsaliorum; quia sponsalia debent distingui à matrimo-nio; & ita declaratum fuit à Congregatio-ne Cardinalium.

IX. Dicitur inter personas naturā, & jure habiles. Promissio debet fieri inter personas naturā & jure habiles; quia sicut contractus est invalidus, quoties personæ sunt inhabiles ad contrahendum, ita pro-missio matrimonialis est invalida, si personæ

sint inhabiles ad matrimonium , ex quo istae  
inferentur 1<sup>o</sup>. Sponsalia contracta inter duas  
mulieres , sunt nulla ; quia non sunt natura  
habiles ad matrimonium inter se. 2. Spon-  
salia inita inter ligatos voto castitatis , aut  
alio impedimento juris sunt invalida.

*De obligatione sponsaliorum.*

Propositio unica. Sponsalia sunt promis-  
sio vel absoluta , vel conditionalis , volun-  
taria , deliberata , & mutua , signo sensibili  
expressa futuri matrimonii inter personas  
naturam , & jure habiles.

Propositio patet ex dictis.

*consecaria hujus doctrinae.*

CONSECTARIUM I. Qui contraxerunt  
sponsalia , tenentur inire matrimonium ;  
quia omnis promissio absoluta , & accepta-  
ta ligat.

CONSECTARIUM II. Qui contraxerunt  
sponsalia , tenentur inire matrimonium  
tempore condicō , si tempus determinave-  
rint : quia promissio servanda est juxta pa-  
ctam conditionem : si vero tempus non de-  
terminaverint , debent inire matrimonium  
tempore congruenti , cum altera pars exi-  
get ; quia res promissa convenienter tunc ex  
obligatione deber concedi , cum justè exi-  
gitur.

CONSECTARIUM III. Quandò qui contra-  
ixerunt sponsalia , peccant carnaliter cum  
aliis ; v. g. sponsa cum alio à sponso , &

sponsus cum alia à sponsa , peccant ne dum peccato fornicationis simplicis , sed peccato luxuriæ mediantis inter simplicem fornicationem , & adulterium ; quia violent castitatem per actum carnaleni , & insuper violent justitiam ; promiserant enim sibi mutuo fore fideles , & hæc circumstantia est aprienda in confessione , ut potè aggravans notabiliter .

**C O N S E C T A R I U M . IV.** Qui contraxit sponsalia fictè , non tenetur inire matrimonium ; quia non fuit vera promissio , tenetur tamen compensare injuriam factam parti , cum qua contraxerat simulate , quia jus ita exigit . Attamen per accidens potest obligari . Sic qui sub ficta promissione matrimonii defloravit virginem ejusdem conditionis . . . . vel quæ inferioris conditionis ignorabat conditionem illius , qui eam defloravit , tenetur deflorans eam ducere in uxorem ; quia tunc filia decepta est sub spe futuri matrimonii . Si tamen filia sciuerit disparitatem conditionis , non tenetur eam ducere in uxorem , sed tantum tenetur eam dotare ; quia filia sciens conditionis disparitatem , ipsa voluit decipi , & ita sibi debet damnum suum attribuere .

**C O N S E C T A R I U M . V.** Qui contraxerunt sponsalia , non possunt sibi mutuos dare amplexus , nec actum conjugalem committere ; quia nondum initus est contractus , sed solum dispositiones positæ sunt ad contractum .

**C O N S E C T A R I U M . VI.** Si alter defensorum nolit injustè inire matrimonium ,

TRACT. DE SACRAMENTIS. 333  
poterit cogi per censuras, vel aliis poenitentiales ad ineundum matrimonium; quia iudex legitimus potest cogere promittentem, ut servet promissa. Hoc tamen non est in primum redigendum, si timeatur aliquod incommodeum inter conjugatos.

*De dissolutione sponsaliorum.*

Propositio unica. Sponsalia sunt promissio absoluta, voluntaria, deliberata, & signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas natura, & jure habiles.

Propositio patet ex dictis.

*Consecutaria hujus doctrinae.*

CONSECTARIUM I. Sponsalia possunt dissolvi eodem modo, quo solent alii contractus promissorii dissolvi; quia habent vim contractus.

CONSECTARIUM II. Si terminus matrimonii ineundi fuerit conditione aliqua praefixus, transacto tempore, & termino, sponsalia dissolvuntur. v.g. Duo promittunt sibi mutuo se inituros matrimonium intra duos menses, quod si non ineant matrimonium intra illud tempus, erunt liberi a promissione, transacto tempore statuto sponsalia erunt dissoluta.

Si terminus non esset praefixus conditione aliqua, sed tantum ad maturandum matrimonium, sponsalia non dissolverentur transacto illo tempore, sed data opportuna occasione matrimonium ineundum esset quam-

citiūs ; procrastinatio enim matrimonii inter despontatos exponit eos periculo fornicationis , & periculo non commodè nubendi, si dissolutis sponsalibus cogantur cum aliis contrahere.

**C O N S E C T A R I U M III.** Sponsalia dissolvuntur per mutuum utriusque partis consensum ; quia promissio non ligat cum offertur, & acceptatur promissionis relaxatio , v. g. si utraque pars rescindat sponsalia , si utraque pars eliciat votum castitatis , vel Religionis ; quia in his omnibus casibus utraque pars censemur alteri relaxare obligationem ineundi matrimonium.

**C O N S E C T A R I U M IV.** Si alter contrahentium lædat comparatem in ordine ad matrimonium , pars læsa eximitur ab obligatione sponsalium , minimè vero pars lædens . Sed si pars læsa exigat ad impletionem promissi , pars lædens tenetur adimplere sponsalia , seu promissum , prout potest , & quandō poterit ; quia in promissionibus mutuis pars lædens cecidit jure suo ; pars vero læsa potest uti jure suo. Et ita si altera pars ineat sponsalia nova , pars læsa non tenetur initis prioribus sponsalibus stare ; & si velit , potest exigere , ut pars lædens servet promissum , & ineat promissum sibi matrimonium ; quia prior promissio magis ligat quam posterior.

Si tamen pars lædens esset vir , & deflorasset secundam sponsam , cum qua secunda contraxit sponsalia , teneretur potius inire matrimonium cum secunda sponsa , quam cum prima ; quia teneretur impedire maius-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 335  
damnum. Majus autem damnum est defloratio, quam violatio promissionis sponsalium.

Si altera pars fornicetur, permittat oscula, tactus impudicos, &c. pars innocens, quæ est læsa, potest dissolvere sponsalia, & dimittere partem fornicantem, aut impudicam; quia hoc est jus partis læsa. Deinde quia in promissione sponsaliorum, hæc conditio implicitè ponitur, quod partes contrahentes sibi mutuò erunt fideles.

Si utraque pars ejusdem criminis fuerit rea, vir potest dimittere sponsam, & fœmina sponsum; quia sponsus, & sponsa sunt æquales in hoc crimine, sicut in adulterio; hic enim attenditur fides sponsaliorum, ad quam servandam utraque pars æquasiter tenetur. Si altera pars labatur in hæresim, pars innocens poterit dissolvere sponsalia.

CONSECTARIUM V. Sequens ex eo quod promissio debeat esse voluntaria, & deliberata. Dissolvuntur sponsalia, si nova detegatur mutatio, quæ si prævisa fuisset, non fuissent contracta sponsalia; quia tunc sponsalia censentur fuisse contracta involuntariè.

Et idèo si de novo pateant defectus insignes vel in anima, vel in corpore, vel in bonis fortunæ, possunt dissolvi sponsalia à arte, quæ per talē occultationem fuisse t. læsa.

Sic in sequentibus casibus possunt dissolvi sponsalia ab altera parte læsa.

I. Quandò in anima compatis apprehen-

ditur asperitas morum , futuræ furiæ inter conjuges , vel rixæ inter parentes conjugatorum .

2°. Si in corpore illius detegantur defectus insignes v. g. lepra , paralysis , morbus gallicus , mutilatio membrorum , auris , brachii &c. fœtidus oris aut corporis odor .

3°. Si in bonis fortunæ detegatur diminutio insignis divitiarum .

Si autem illi defectus reddant matrimonium perniciosum comparti , vel filiis ex tali connubio orituris , pars , quæ patitur illos defectus , non potest illos occultare ; quia præjudicium proliis , & compartis debet privatæ utilitati præponderare .

Si verò illi defectus reddant matrimonium tantum minus gratum & injucundum , potest cas prudenter occultare .

C O N S E C T A R I U M VI. Sequens ex eò quod sponsalia iniri debeant inter personas naturā , & jure habiles . Dissolvuntur sponsalia , si aliquo impedimento superveniente , vel altera pars , vel utraque pars fiat inhabilis ad matrimonium promissum ; putā si utraque pars , vel altera pars ineat matrimonium cum compare diversa ab ea , quam desponsavit ; quia matrimonium ratum dissolvit sponsalia . Item si altera , vel utraque pars eliciat votum castitatis , vel votum intrandi Religionem ; quia votum etiam simplex dirimit sponsalia . Item si utraque , vel altera pars proficiscatur in regionem longinquam non redditura , nisi post longum tempus ; quia absentia longi temporis , putā biennii , aut trienni dissolvit sponsalia .

Monitum

Monitum I. Quandò sponsalia dirimuntur, non per consensum utriusque partis, sed per culpam alterius partis, pars innocens potest petere, vel compensationem damni, vel sponsaliorum executionem, quandò mandari possunt executioni: & ita desponsatus, vel desponsata ineuntes matrimonium in præjudicium ejus partis, cum qua primò sponsalia inierant, defuncta comparte, tenentur adimplere promissum matrimonium, si pars læsa illud exigat. Item pars, quæ elicit votum vel castitatis, vel Religionis, si obtineat dispensationem à voto, vel non recipiatur in Religione, tenetur inire matrimonium cum ea, quam desponsaverat, si hæc illud exigat; quia manet semper obligatio promissionis.

Monitum II. Quandò sponsalia dissolvuntur, dissolvi debent autoritate judicis Ecclesiastici.

## CAPUT. II.

*Quæ sit obligatio recipiendi Sacra menta.*

Propositio unica. Illi omnes tenentur recipere Sacra menta, qui opus habent gratiâ, quæ confertur per Sacra menta.

Probatur r. Scripturâ. Nemo potest piè, & sanctè vivere sine gratiâ, juxta illud Christi: *Sine me nihil potestis facere.* Atqui gratia, quâ piè vivimus, hauritur è Sacra mentis, juxta illud: *Haurietis aquas;* id est gratiam, è fontibus salvatoris; id est è Sacra mentis: ergo qui cget gratiâ, quæ

2'. Ex jure Canonico. Omnia Sacra men-  
ta sunt toti Ecclesiae necessaria , quamvis  
singula non sint singulis necessaria , sed ali-  
qua aliquibus , ut habetur hac inductione ;  
*baptismus v. g. Sacra mentum est ad regene-*  
*rationem intrantium in Ecclesiam Canon.*  
*nulla præter 142, de consec. dist. 4. confirma-*  
*tio ad robur pugnantium Can. Spiritus San-*  
*ctus de consec. dist. 5. Eucharistia ad viati-  
cum saluberrimum progredientium Canon.*  
*de his. 26. q. 6. pœnitentia ad remedium re-*  
*fipiscientium. Can bis qui 26. q. 7. Extrema-*  
*unctorum ad levamen ex hoc sæculo excuntium.*  
*Can. ab infirmis 26. q. 7. ordo ad consecra-*  
*tionem divinis inservientium Can. Cleros.*  
*dist. 21. matrimonium ad benedictionem*  
*generantium. Can. omne 27. q. 2. Demum*  
*quodlibet Sacra mentum est id , à quo om-*  
*nis vera iustitia vel incipit , vel cœpta auge-  
tur , vel amissa reparatur. Ut habetur in*  
*Trident. sess. 7. & Can. nulla de consec. dist.*  
*4. ergo quilibet homo , qui eget gratiā , quæ*  
*in predictis Sacra mentis continetur , debet*  
*recipere illud Sacra mentum , cuius gratiā*  
*eget : debet , inquam , recipere , vel in re ,*  
*cum adest opportuna occasio , vel in voto ,*  
*cum non adest opportunitas , quandò scilicet*  
*urget præceptum recipiendi Sacra men-*  
*tum.*

3'. Ratione. Qui vult finem , debet velle  
media conducentia ad finem. Ergo qui vult  
gratiam consequi , debet aut recipere , aut  
velle recipere Sacra menta , quæ sunt media,

TRACT. DE SACRAMENTIS. 339  
quibus Deus utitur ad conferendam gratiam.

Consecaria, quibus præcedens doctrina ad singula Sacra menta applicatur.

CONSECTARIUM I. Quandonam urgeat obligatio recipiendi baptismum, seu de necessitate baptismi.

Nullus est homo, sive infans, sive adultus, cui necessarius non sit baptismus, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii; ita ut sine baptismo vel in re, vel in voto suscepto salus æterna obtineri non possit. Et primò quidem necessarius est baptismus, ut per illum homo emundetur à peccato originali, secundò verò, ut per illum homo initietur in Christiana Religione. Etenim geminus ille effectus non aliunde, quam à baptismate emanat. De primò quippe effectu dicitur in scriptura Joan. 2. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Domini. Quod enim, inquit Christus, natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est, quasi dicat, carnalis generatio ab Adamo proveniens infundit peccatum, spiritualis verò regeneratio emanans à Christo infundit gratiam. Secundum verò effectum, scilicet initiationem in Christiana Religione, ita explicat Matthæus his verbis: euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c. Insinuans quoddam qui per doctrinam instruuntur circa fidem, per baptismum in Christiana Religione initiantur. Quem du-*

340 MORALIS CHRISTIANA.  
plicem effectum ita explicat Florent his  
verbis: Primum omnium Sacramentorum  
locum tenet Sanctum baptismus, quod vitæ spi-  
ritualis janua est: Per ipsum enim membra  
Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Quam  
regenerationem à peccato, & initiationem in  
Christianæ Religionē ita paucis verbis ex-  
pressit: D. Th. 3. p. q. 68. ar. 1. in corp. Ad  
hoc autem, inquit, datur baptismus, ut a' iquis  
per ipsum regeneretur, & incorporetur Christo,  
factus membrum ipsius; unde dicitur ad Ga-  
lat. quicumque in Christo baptizati estis, Chris-  
tum induistis, unde manifestum est quod omnes  
ad baptismum tenentur; & sine eo non potest  
esse salus hominibus.

Si generatim nullus est homo, cui liber,  
& indifferens debeat esse baptisimus, sed ut  
necessarius habendus est, vel ut regenere-  
tur, vel ut initietur: Ideò dicit Trident.  
de baptismo. Can. 5. si quis dixerit baptis-  
mum liberum esse; hoc est non necessarium, ana-  
thema sit.

Sic in specie baptismus pueris, etiam non  
adultis necessarius est; atque ea in ætate  
conferendus. Ideò dicit Trident. sess. 5. de  
peccato originali, si quis parvulos recentes  
ab uteris matrum batizandos negat, anathema  
sit: Ideò enim in remissionem peccatorum bapti-  
zantur, ut in eis regeneratione mundetur quod  
generatione contraxere: quodque remedium  
ad eò est indispensabile, ut si illis pueris, vel  
casu, vel malitiâ hominum denegetur, justo  
Dei judicio in his tenebris relinquuntur, ab  
Ecclesia nullis precibus adjuventur: fixa  
enim Domini sententia est. Nisi quis repatus

TRACT. DE SACRAMENTIS. 341  
suerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest  
introire in regnum cælorum. Et Aug. lib. 3.  
de anima & ejus origine cap. 9. noli, inquit,  
credere, nec dicere, nec docere, infantes ante-  
quam baptizentur morte præventos, pervenire  
posse ad originalium indulgentiam peccatorum,  
si vis esse Catholicus. Solum quippe marty-  
rium in infantibus, sola contritio in adul-  
tis, supplere potest defectum baptismi.

Sic in specie omnibus adultis necessarius  
est baptimus, eisque, si sufficienter instruc-  
ti, & dispositi, conferendus. Philippus enim  
eunuchum reginæ Candacis sufficienter ins-  
tructum, & dispositum illicè baptizavit.  
Sicuti & Petrus Cornelium. Vulgo tamen  
tempore aliquo differtur baptismus, primò  
propter cautelam, ne Ecclesia decipiatur,  
Sacramentum baptismatis passim quibus-  
cumque potentibus conferens: possunt enim  
occurrere, qui fictè, & indispositi postulent.  
Secundò ad utilitatem recipientium, ut ple-  
niùs instruantur, & sanctius disponantur.  
Tertiò propter solemnitatem Sacramenti ut  
splendidius in Paschate, vel Pentecoste, ut  
olim moris erat, conferatur.

Sic ergo in praxi r'. Baptizandus est adul-  
tus plenæ rationis compos, qui vel nutu,  
vel verbo baptismum postulat. Item bapti-  
zandus est adultus, etiamsi non plenæ ra-  
tionis compos, modò saltem per lucida, ut  
dicunt, intervalla ratione utatur, & per ea  
intervalla intentionem aliquam exhibuerit  
fusciendi Sacramentum aut saltem nullum  
obicem contraria voluntate posuerit, ut di-  
cit Innoc. III. cap. majores.

Gg iij

2'. Baptizari possunt, & debent omnes pueri, omnes infantes, omnes amentes, demum quicumque alii, qui à nativitate usus rationis caruerunt, nec ulla unquam habuerunt rationis intervalla, licet actu proprio non credant; sicuti enim sine actu proprio per voluntatem Adami ex vi generationis carnalis peccatum originale contraxerunt, ita sine actu proprio ex vi regenerationis spiritualis, possunt per voluntatem Christi gratiam regenerantem recipere, ut docet Orig. supra illud ad Rom. *Si enim complantati, ubi sic loquitur. Ecclesia*, inquit, ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Cyprian. Epist. 64. editionis novæ. In Concilio definitum esse non expectandum octavum diem circa collationem baptismi. Aug. lib. 10. de Genes. ad litteram cap. 23. *Consuetudo* inquit, matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam aspernanda est, neque ullo modo superflua deputanda nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.

3'. Baptizari possunt, & debent Fidelium, vel Hæreticorum parvuli, ipsis etiam parentibus invitatis; quippe cum tam Fideles, quam Hæretici sint baptizati, legibus subjiciuntur Ecclesiæ, quæ proinde potest filios, parentibus irrationaliter invitatis, baptizare, eosque è manibus corum eripere, si periculum immineat, ne corrumpantur.

4'. Baptizari possunt, & debent filii pagorum, qui sunt sub captivitate principum Christianorum; cum enim servi sunt filii, quos suscipiunt, non parentum juris sunt, sed Dominorum. Ergo in bonum spirituale, &

æternam salutem baptizari possunt, & debent eorum pueri, & in Christiana Religione educari. Quandò autem parentes infideles subjiciuntur tantum civiliter vel Ecclesiæ, vel principibus, nec possunt, nec debent filii invitis parentibus baptizari; parentes enim habent jus naturale supra filios, quibus contra injustitiam orbari nequeunt, periculumque foret, ne filii baptizati postea ab infidelibus parentibus perverterentur. Si tamen iidem filii vel per mortem, vel per alium casum essent eripiendi parentibus, tunc, invitis etiam parentibus, & possent, & debent baptizari, nulla enim tunc per baptismum fieret injuria parentibus, nec pertimescendum periculum violandæ fidei.

5. Per rationem oppositam nec possunt, nec debent baptizari pueri in utero matris; nemo enim potest renasci, nisi jam natus, cum autem puernondum integrè natus perclitur, si partim ex utero effusus caput ostendat, ea pars debet ablui, & cum debita forma baptizari; nec postea rebaptizandus est sub conditione; præcipua enim pars abluta est, si pedem, manumve, aliamve corporis partem ostendar, potest, & debet ea pars ablui, sed postea rebaptizandus est sub conditione; quia præcipuapars non abluta est. Si dubium sit; an infans vel integre, vel partim effusus sit mortuus, vel vivens, potest juxta manuale Bellov. baptizari; quia viventi loquitur, qui dicit: ego te baptizo: vel poterit baptizari sub hac conditione, si tu es homo vivens, ego te baptizo. Si mater monstruum generit, si nihil hominis

443 MORALIS CHRISTIANA,  
appareat baptizari non debet, si autem dubium sit, debet baptizati sub hac conditio-  
ne, si tu es homo, ego te baptizo. Si duæ personæ appareant ex duplice pectore, ex du-  
plice capite; &c. duo baptismata facienda sunt; vel si mortis periculum urgeat, uter-  
que uno baptismate baptizandus est sub hac forma: ego vos baptizo. Si autem dubium  
sit, an sint duæ personæ, vel una tantum clarae appareat, ea, quæ apparet, absolutè ba-  
ptizanda est, ea, quæ non apparet, sub conditione baptizanda est.

CONSECARIUM II. Quandonam urgeat obligatio recipiendi confirmationem, sive quæ sit ejus necessitas. Sacramentum Confirmationis necessarium est, non necessitate medii, cum certum sit multos salvari sine confirmatione, sed necessarium est Sacramentum illud necessitate præcepti; & primò quidem necessitate præcepti communis, quo cunctis fidelibus præcipitur, ut in accepta in baptismate gratia perseverent, perfectique christiani habeantur, ut docet Concil. Laod. cap. 48. Oportet, inquit, baptizatos post baptismum, chrismatis quoque cœlestis, & regni Christi participes fieri. Ad quam necessitatem alludit Cypr. epist. 71. ad Janua. ubi hæc habet: *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* Deinde confirmatio necessaria est speciali præcepto, ut acceptam fidem custodiamus in corde, & cum opus est ore confiteamur: *Corde enim creditur ad justitiam, ut dicit Paulus; Ora autem confessio fit ad salutem.* Ea au-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 345  
tem fidei firmitas, & christianæ religionis professio ex Sacramento confirmationis oritur, ut docet Florent. *Quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ideoque in fronte, ubi Verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen conficeri erubescat, & crucem ejus, quæ Judæis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia; propter quod signo Crucis signatur.* Tertiò necessaria est confirmatio, ut ex ea varias gratias actuales hauriamus, quibus variis temptationibus valeamus resistere, ut docet Concil. Senon. an. 1524. *Confirmatio, inquit, fortiori reddit ad resistendum temptationibus, promptiore ad Deo serviendum, & ad Dei præcepta adimplendum.* Quartò demum debet illud Sacramentum recipi propter characterem, quo tanquam Christi milites designamur, & christiani perfecti efficimur. De quo ita Concil. Rhemen. an. 1583. *Quamvis, inquit, unusquisque per baptismum catalogo fidelium adscriptus sit, ad Diaboli tamen, carnisque, mundique temptationes perferendas, ac superandas, non nisi per impositionem manuum Episcopi, plus ROBORIS, & GRATIÆ recipit.* Unde ait Cyril. Hyeros. Catech. 3. *Hujus sancti chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani . . . Antequam enim hæc gratia vobis donata esset, non eratis digni eo nomine.*

Ex quo sequitur quod fidelis quilibet retinetur confirmationis Sacramentum recipere, quando opportuna sece exhibit occasio, ne se prædictis utilitatibus orbum efficiat. Ita docet expressè Concil. Sen. suprà citatum:

*Quam scilicet confirmationem*, inquit, *fideles omnes usum rationis habentes OBLIGANTUR suscipere, aut saltem non contemnere; contemni autem dicitur, quandō Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere; aut sine gravi difficultate adiri potest Episcopus qui confirmat.* Et quamvis omni pace frueretur Ecclesia, tamen urgeret præceptum recipiendæ confirmationis; quippe tempore Constantini, aliorumque Imperatorum de Ecclesia bene merentium, quantacumque esset Ecclesiæ tranquillitas, tamen sollicita devotione postulabatur illud Sacramentum à fidelibus, & maximâ curâ conferebatur ab Episcopis.

2. Fideles maximè miseris istis temporibus tenentur ad confirmationem recurrere, quibus tot hæreticis circumcidimus, & præcipue his, qui confirmationem otiosam cœrimoniam calumniantur. Hanc rationem ut maximè momentosam assert Concil. Rhenense suprà citatum: *Moneant ergo, inquit, Parochi, divinique verbi præcones, Confirmationis Sacramentum non debere negligi, vel prætermitti à verè Christianis, hoc præsertim calamitoso, & hæreſeon pleno tempore.*

3. Strictius adhuc ligat præceptum recipiendæ confirmationis tempore, quo urget persecutio tyrannorum; effectus enim specialis hujus Sacramenti est robur contra tyrannos, quod haberi non potest sine confirmatione, aut illius voto, ut docet D. Thomas his verbis: *Sicuti, inquit, nullus consequitur effectum baptismi sine baptismo vo-*

TRACT. DE SACRAMENTIS 347  
to , ita nullus consequitur effectum confirmationis sine illius voto , quando scilicet non potest realiter suscipi . 3. p. q. 72. art. 6. ad 1. Quocirca testatur historia Ecclesiastica tempore persecutionum properasse Episcopos , ut baptizatos confirmarent , cuius sollicitudinis exemplum dedere Apostoli Petrus , & Joannes , qui ad Samaritanos per Philippum baptizatos citi , & properantes acceperunt , ut eis confirmationem conferrent : unde Parochi debent enixè precari Episcopos , ut hoc Sacramentum conferrant , debent & populos adhortari , ut illud suscipere non omittant ; nullus enim est peccatum , qui dixerit eum omnino à peccato vacare , qui confirmationem non suscepit , dum opportuna occasio se offerret , & inter antiquos scholasticos , vel nulos , vel paucos hujus sententiæ patronos reperies . Germon tueretur confirmationem esse necessariam ; non quidem absolute , sed conditionate , scilicet ut vita spiritualis , & salus in baptismo adepta robustè contra hostes spirituales custodiatur . Et Hugo à Sancto Victore sic loquitur : Quid prodest , si per baptismum erigaris , nisi etiam per confirmationem ad standum roboreris ?

CONSECTARIUM III. Quandonam urgeat præceptum communionis , seu de necessitate Eucharistiæ . Eucharistiæ sumptio est omnibus , & singulis Christianis necessaria ; non solum necessitate præcepti , sed etiam necessitate medii ; sed diversimodè : necessaria est pueris in voto implicitè contento in receptione baptismi ; adultis in re , vel in

voto. Rursus Eucharistiae sumptio necessaria est morituris per modum viatici , Sacerdotibus per modum Sacramenti , & sacrificii : necessitas autem illa fundatur in expressis Christi verbis ; *Nisi manducaveritis carnem Fili Hominis , & biberitis ejus sanguinem , non habebitis vitam in vobis.* Joan. cap. 6. v. 54. Cujus præcepti necessitatem Moïses ipse prædixerat num. 9. v. 13. ubi sic loquitur : *Si quis mundus est , & in itinere non fuit , & tamen non fecerit phase , exterminabitur anima illius de populis suis ; quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo ; Non enim minus urget veritas , quam figura ; strictiorque debet esse obligatio Paschatis Evangelici , quam paschatis legalis.* Et quidem meritò ; nemo enim salvare potest , nisi fiat membrum Christi , juxta illud ; *Ego sum vitis & vos palmites ,* Joan. 15. v. 5. & juxta illud Pauli ad Ephes. cap. 2. v. 21. ubi Christus vocatur lapis angularis , in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Domino , in quo , & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu ; atqui ut homo fiat membrum Christi , & templum Dei , debet conjungi cum Christo per Eucharistiae sumptionem , vel in re , vel in voto spectatam , juxta illud : *qui manducat meam carnem , & bibit meum sanguinem , in me manet , & ego in eo ,* Joan. c. 6. v. 57. Ergo quilibet Christianus debet vel in re , vel in voto suscipere Eucharistiam.

P U E R I S necessaria est Eucharistia non quidem in re suscepta ; quia nondum ratione

TRACT. DE SACRAMENTIS. 339  
tione utuntur, quā probare se valeant, juxta Apostoli præceptum: *Probet autem seipsum homo*; nec ullo devotionis sensu erga illud Sacramentum affici possunt, sed necessaria est in voto implicite contento in receptione baptismatis, ut expresse docet Trident. fess. 22. cap. 4. Eadem sancta Synodus docet parvulos usurrationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistia communione; siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adep-tam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Et quamvis in pluribus Ecclesiis daretur infantibus sumenda realiter Eucharistia, id tamen factum non est ex necessitate, sed ex solius disciplinæ usu, non generali, sed particulari, qui tamen justis de causis immutatus est, ut monet idem Trident. Neque ideo, inquit, tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctissimi illi patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est. Votum illud puerorum circa Eucharistiam paucis explicat D. Thom. 3. p. q. 33. a. 3. Per baptismum, inquit, ordinatur homo ad Eucharistiam; & ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ad Eucharistiam ordinantur per Ecclesiam; & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex fide Ecclesiæ desiderant Eucharistiam. Doctrinam illam hauserat D. Thom. ex Augustino lib. 3. de peccat. meritis cap. 4. ubi disertis verbis docet, quod pueri Christo per baptif.

num inserantur; cui scilicet Christo, inquit, *ut incorporentur, Sacramento baptismatis inducuntur.*

ADULTIS necessaria est Eucharistia, vel in re, vel in voto explicite suscepta, necessitate præcepti tum divini, tum ecclesiastici. Divini quidem, ut præmonent hæc verba Christi adultos alloquentis; *Hoc facite in meam commemorationem.* Quem textum ita interpretatur D. Th. 3. p. q. 38. a. II. *Sine voto, inquit, percipiendi hoc Sacramentum, non potest hominis esse salus, frustra autem esset votum, nisi adimpleretur, quando opportunitas adesset;* & ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesie, sed ex mandato Domini dicentis Luc. 12. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Eucharistia autem ex præcepto Ecclesie sumi debet singulis annis, saltem in Paschate, ut dicetur infra.

MORITURIS necessaria est Eucharistia per modum Viatici, ita remotior docet antiquitas; siquidem teste Eusebio lib. 6. hist. cap. 34. Serapion in infirmitate constitutus Eucharistiam sibi afferri enixe postulavit, camque devote accepit a puer, qui partem Eucharistie in osejus infudit, quam a sacerdote acceperat. Sancta Petronilla eodem Sacramento ante mortem munita est, siquidem Nicomedes ad eam ægrotantem accessit, celebravit mysteria Christi; Virgo autem sanctissima mox ut corporis Christi Sacramentum accepit, inclinans se in lectulo emisit spiritum. D. Basilius, teste Amphiloquo, cum in lecto

decumberet sacram viaticum accepit, & cum in ore ejus esset; reddidit Domino spiritum. Chrysostomus ægrotans in Cucu-  
so cum divinam sanctificationem per com-  
munionem accepisset, beatissimam ingres-  
sus est profectionem, cum Christo vivens,  
& regnans. Hieronymus eum in lecto mori-  
turus decumberet, & Presbyter sanctissi-  
mum Christi corpus obtulisset, ille pro-  
stravit se pronus in terram voce, & lacry-  
mis orationis, & ubi orationem comple-  
vit, vir Domini sacrum Domini corpus  
fuscipliens ad terram supinus rediit. Quæ  
singula historiæ facta satis indicant consue-  
tudinem sumendi viaticum in infirmitate,  
non consilium esse, sed præceptum. Ideo  
que Augustinus lib. de visitatione infirm.  
Eucharistiam de præcepto sumendam esse  
declarat; infimo enim sic loquitur; illud  
vivificum Dominici corporis supplemen-  
tum fuscipere non renas, quin potius illud  
amicissime quæras, fideliter comedas: ci-  
bus ille etenim incomparabilis, ineffabilis,  
viaticum tibi erit saluberrimum, redemp-  
tionis tuæ pretium, Redemptoris moni-  
mentum, & redempti munimentum. Ideo  
Trident. sess. 13. can. 7. anathema pronun-  
tiat contra eos, qui dixerint non licere sa-  
cram Eucharistiam reservari . . . ut illa ad  
infimos honorifice deferatur; & ideò forte  
**Concilium Nicænum Eucharistiam vocat**  
necessarium viaticum.

SACERDOTIBUS necessaria est Eucha-  
ristia, & per modum sacrificii, & per mo-  
dum Sacramenti; nefas enim est Sacerdo-

tem omnino à celebratione Missæ abstinere, ut docet D. Thom. his verbis: *Sacerdoti, inquit, etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione cessare, sed saltem videtur quod celebrare teneatur in precipuis festis, maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt, hinc est quod 2. Machab. cap. 4. contra quosdam Sacerdotes dicitur, quod jam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & sacrificiis neglectis. 3. p. q. 82. a. 10.*

Quām frequenter autem sumi debeat Eucharistia ab adultis, non eadem fuit semper in Ecclesia consuetudo. Primis siquidem Ecclesiæ temporibus sumebatur quotidie à fidelibus Eucharistia; erant enim christiani perseverantes in fractione panis, inquit Lucas. Postea verò singulis dominicis à fidelibus sumebatur, ut notat Concil. Aquil. gr. can. 1. Sane, inquit, communicatio corporis Domini omni die dominico debuit celebrari. Postea tribus festis solemnioribus à laicis accipiebatur, ut habetur can. Sæculares de consecrat. Sæculares, inquit qui natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habentur. Jam verò ex præcepto Ecclesiastico, tum in Lateranensi, tum in Tridentino contento fideles omnes singulis annis semel saltem in Paschate Eucharistiam sumere tenentur. Si quis, inquit Trident. negaverit omnes, & singulos Christi fideles nimirusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum

TRACT. DE SACRAMENTIS. 343  
sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit. Quod præceptum si omiserint fideles, viventes ab Ecclesiæ ingressu, defuncti ab Ecclesiastica sepultura prohibentur, nisi proprii Sacerdotis consilio legitima de causa communionem distulerint. Quid verò circa frequentem usum Eucharistiæ sentiam paucis accipe. Ideo sit hæc incidens propositio.

*Frequens communio non debet permitti nisi bis, qui sunt extra effectum peccati præcipue mortalis.*

Probatur 1. Ex Gennadio lib. de dogmatibus Ecclesiasticis cap. 53. *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen diebus dominicis communicare suadeo, &hortor. SI T A M E N MENS SINE AFFECTU PECCANDI SIT. nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari.... Accedat, inquit idem auctor, christianus intrepidus & securus. SED HOC DE ILLO DICO, QUEM CAPI-TALIA ET MORTALIA PECCATA NON GRAVANT.*

2. Ex Justino, apologia 2. *Nemini, inquit, licet Eucharistiæ participem fieri, quin... Consentaneam Christi præceptionibus vitam agat.*

3. Ex Chrysostomo, serm. de beato Philogonio ubi sic habetur: *Quemod madum enim, inquit, qui sibi nullius mali conscientis est, hunc oportet singulis diebus accedere, ad Eucharistiam scilicet: sic qui peccatis occupatus est nec penitet cum, ne in festis quidem accedere tutum est; neque enim semel in anno accede-*

re , liberat nos à peccatis , si indigne accesserimus ; quin hoc ipsum potius auget damnationem ; quod cum semel tantum accedamus , ne tum pure accedimus . Et idem author . hom . 3. in cap . 1. Epist . ad Eph . docet , quod neque Quadragesimæ , neque Epiphaniæ dies dignos nos faciunt , ut accedamus ad Eucharistiam , sed animæ integritas , atquæ innocentia . Vel ut alia vult versio , animæ sinceritas , atque puritas .

4. Ex D . Thom . 3. p . q . 80. art . 10. in corp . ubi ait , quod communio potest considerari ex parte Christi , & ex parte sumentis : In quo , inquit , requiritur , ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat . Ergo ut quis possit Eucharistiam accipere , debet esse extra affectum peccati , præcipue mortalis , imò & venialis , qui affectus peccati venialis stare non potest cum virtute consentanea Christi præceptionibus : ut loquitur Justinus martyr ; neque cum eâ integritate animæ , quam exigit Chrysostomus ; neque cum magna devotione , quam postulat D . Th . Ex qua propositione isthac inferes .

1. Ad frequentem communionem horrandi & admittendi sunt omnes fideles , qui sunt extra affectum peccati mortalis , & qui nituntur contra peccata venialia ; quia Concilium Trident . sess . 13. cap . 8. Admonet , hortatur , rogat & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri , ut omnes & singuli ; qui christiano nomine censemur .... Hæc sacra mysteria corporis & sanguinis ejus ead fidei constantiam , ead animi devotione , ac pieta-

te, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequentè suscipere possint. Et sess. 22. cap. 6. hæc habet. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistica perceptione communicarent.

II. Ad pœnitentiani hortandi sunt, sed ad communionem admitti non debent hi, qui non sunt extra affectum peccati mortalis, sed singuli excludendi sunt à sacra communione, donec plenè resipuerint; tales sunt ii omnes, quibus juxta regulas supra positas suspendenda est absolutio, v. g. qui saepe relabuntur in peccata mortalia; qui solas virtutes morales Gentilium, minimè virtutes christianorum exercent; qui magis sunt extra vitia, quam intra virtutes: quippe ad frequentem communionem non sufficit vita solius expers vitii, sed requiritur vita christianis virtutibus ornata. Unde damnata est sequens propositio ab Innocentio XI. *Frequens confessio & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

III. Hortandi sunt ad pœnitentiam & aliquando ad communionem admittendi hi, qui extra affectum peccati mortalis, nondum planè affectum peccati venialis abiecerunt; ut concepta pœnitentiâ affectum illū abjiciant, acceptâ communione in proposito non peccandi etiam venialiter, confirmantur, & dilatâ communione ad Eucharistix perceptionem paratores reddantur. Id expressè docet Innocentius XI. qui hanc

47 MORALIS CHRISTIANA,  
Regulam statuit die 12. Februarii 1679. Vnde  
que ut populi doceantur par esse, ut hi:  
*Qui se minus paratos senserint, abscedant à  
communione; quo per pietatis opera ipsi dein-  
ceps se paratos magis exhibeant.*

CONSECTARIUM IV. Quandonam  
urgeat obligatio recipiendi Sacramentum  
pœnitentiæ, seu de necessitate Sacramenti  
pœnitentiæ. Totiès necessariū est pœnitentiæ  
Sacramentum vel in re, vel in voto suscep-  
tum, quotiès necessaria est contritio, con-  
fessio, & Sacerdotis absolutio; quia Sacra-  
mentum Pœnitentiæ illis partibus consti-  
tuitur; & proinde examinandum, quandonam  
urgeat præceptum contritionis, confessionis  
satisfactionis, & absolutionis.

Totiès autem urget præceptum, vel ATTRI-  
TIONIS, quā homo Deum tamquam omnis  
justitiæ fontē diligere incipiat, quæ attritio  
conjungatur oportet cum Sacramento in re,  
vel CONTRITIONIS perfectæ cum Sacra-  
mento in voto, quotiès homo lapsus in pec-  
catum mortale, tenetur à peccato mortali  
resurgere; quia non est aliud medium resur-  
gendi à peccato quām vel attritio cū Sacra-  
mento, vel contritio cum voto Sacramen-  
ti, juxta illud Christi; *nisi pœnitentiam ha-  
bueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13.  
v. 3. quam doctrinam explicat Trident. sess.  
14. cap. 4. his verbis: *Fuit autem, inquit  
sancta Synodus, quovis tempore ad impetrان-  
dam veniam peccatorum hic contritionis mo-  
rūs necessarius.* Ergo homo lapsus in pec-  
catum tenetur vel atteri, vel conteri in se-  
quentibus casibus. 1. In mortis articulo;

TRACT. DE SACRAMENTIS. 347  
tunc enim maximè eniti debet, ut adipiscatur gratiam; si enim sine gratia defecerit, in æternum damnabitur. Atbor siquidem in ea parte immota manebit, in quam ceciderit, ita & peccator: *Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Eccles. II. v. 3.

II. Cum solemniter, & ex officio aliquod debet conferre Sacramentum; oportet enim, ut minister secundarius conformetur Christo, qui est principalis minister, eique per gratiam conjungatur. Et quamvis, ut optimè ait Sylvius in Binsfeldium per solam contritionem minister fiat extra affectum peccati mortalis, crediderim ego non negligendam confessionem, si habeat copiam confessarii.

III. Cum debet recipere aliquod Sacramentum; quia dispotio ad Sacramentum est fides Sacramenti, & dolor de peccatis.

IV. In casibus publicæ calamitatis; quia tunc decet maximè per contritionem cordis Deum iratum flectere, uti multos etiam sanctos viros fecisse legimus. Instar omnium sit justissimus Daniel, qui tempore captivitatis in sacco, & cinere, & jejunio sic Dominum deprecabatur: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus.* Vide integrum illam orationem Danielis 9. & interdum coram Deo eam supplex effunde.

V. In tentatione urgenti, quæ non aliter, quam per contritionem vitari potest. Quibus in angustiis hæc, aut similes effundendæ sunt preces: *Domine, salva nos, perimus.. Et ne nos inducas in temptationem, sed libera nos à malo.*

VI. Cum peccata commissa & deleta, non quidem segniter oberrant memoriae, sed quasi impetu facto irruunt, & sua titillatione periculum consensu inducunt; tunc enim observandum illud Sapientis: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.*

VII. Demum statim post peccatum commissum, non quidem statim phisice, sed statim moraliter; quia ut optimè dicit Sapiens: *Non tardes converti ad Dominum.* Et D. Th. 22. q. 62. art. 8. *Manifestum est, inquit, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum STATIM deserere, scilicet cum periculum est, ne peccatum conversionis dilatatione fiat vulnus insanabile.*

Toties urget præceptum CONFESSIONIS in voto, quoties urget præceptum contritionis; quia non potest esse vera contritio sine voto confessionis, ut docet Trident. sess. 14. cap. 14. Ubi expressè dicit, quod votum Sacramenti pœnitentiae, & proinde confessionis in illa includitur.

Toties ex vi juris naturalis urget præceptum CONFESSIONIS in re, quoties habita copia confessarii homo baptizatus lapsus in peccatum mortale, tenetur gratiam amissam recuperare; quia in lege Evangelica, quandò adest copia confessarii, homo baptizatus lapsus in peccatum mortale non potest justificari, nisi per absolutionem, juxta illud: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: absolutio autem non impenditur, nisi ritè contritis, & sincere confessis.* Præceptum

ergo confessionis urget in sequentibus casibus. 1°. In articulo mortis vel naturalis, quæ ex morbo oritur, vel violentæ, quæ à causâ extrinsecâ nobis infertur; tunc enim oporteret nos in gratiam Dei redire per contritionem, & confessionem. 2°. In probabili mortis periculo, putâ si quis ingrediatut periculosam navigationem, intret periculosum certamen, item mulier tenera primùm paritura, vel solita habere partus difficultes, & alia hujusmodi pericula, in quibus oportet nos cum Deo reconciliari, ut in Domino moriamur.

3°. Qui habitâ copiâ confessarii, vel recepturus est, vel collaturus est aliquod Sacramentum; receptorus Sacramentum vivorum, debet esse in statu gratiæ; cum Sacra menta vivorum conferant secundam gratiam: ergo si habeat copiam sacerdotis, debet præmittere confessionem, quæ est medium destinatum ad obtainendam primam gratiam: Sacerdos vero, qui collaturus est Sacramentum, si fuerit peccati mortalis sibi conscientius, inquit Rituale Romanum Pauli V. quod ab sit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat: sed si habeat copiam confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri. 4°. Fidelis omnis utriusque sexus, modo sit adul tus, quamvis annos pubertatis non attigerit, semel in anno confiteatur necessum est. 5°. Omnis homo baptizatus reus peccati mortalis, sive Catholicus, sive non Catholicus, tenetur ex præcepto Ecclesiastico semel in anno confiteri; ita enim habet Con-

cilium Lateranense: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam paenitentiam propriis viribus studeat adimplere.* Quem pium usum retinendum juber Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. Hoc autem præceptum adimpleatur, quovis anni tempore peccator confiteatur; quia Concilium non determinavit tempus confessionis, sicuti determinavit tempus communionis: usus tamen est quod confessio fiat circa quadragesimam, ut ea peccatorum declaratione fidelis se ad communionem sanctius disponat. Qui ergo per annum integrum non est confessus, tenetur quam cito poterit confiteri; sicuti qui tenetur solvere debitum intra annum, si non solverit intra annum, tenetur altero anno solvere. 6°. Qui habet solum peccata venialia, tenetur vel ea confiteri, vel saltem sistere se suo Sacerdoti, ut statum suæ conscientiæ pastori suo aperiat. Ita expressè docet D. Thom. supp. q. 6. a. 3. Tenentur, inquit, omnes ex constitutione ab Ecclesia edita in Concilio generali sub Inn. III. tum ut quilibet peccatorem se recognoscatur; quia omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei; tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur: tum etiam ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat. Et in solutione ad 3. Dicendum inquit, quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur. Vel potest dici secundum quosdam, quod ex decretali præ-

**T R A C T . D E S A C R A M E N T I S .** 351  
*li prædicta non obligantur, nisi qui habent peccata mortalia.... sed sufficit ad præceptum Ecclæsiæ implendum, ut qui habet peccata solum venialia se sacerdoti repræsentet. & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur.*

Toties urget præceptum **SATISFACTIONIS** Sacramentalis subeundæ, quoties est necessaria, vel ad reparandum peccata præterita, vel ad præcavendum futura, vel ad obtemperandum confessario, vel ad integrandum Sacramentum pœnitentiæ. Satisfactio est necessaria ad reparandum peccata præterita; quia ut diximus dimissâ culpâ non omnis poena remittitur. Item necessaria est ad præcavendum futura; satisfactio enim est ad instar medicinæ præterita peccata tollentis, & præcaventis futura. Demum est necessaria ad integratem Sacramenti, cum sit pars illius, & ad obediendum confessario, cum pœnitens impositam sibi à confessario congruam pœnitentiam teneatur, & acceptare, & excipi.

Toties urget præceptum **ABSOLUTIONIS** percipiendæ; quoties hæc absolutio est ad percipiendam peccatorum veniam omnino necessaria: est autem absolutio Sacerdotis necessaria in lege Evangelica his omnibus, qui post baptisma lapsi sunt in aliquod peccatum mortale.

**C O N S E C T A R I U M V .** Quandonam urgeat præceptum Extremæ-unctionis, seu de necessitate Extremæ-unctionis. Sacramentum Extremæ-unctionis necessarium est, non necessitate medii, cum certum sit de si-

de multis infirmos non recepto isto Sacra-  
mento salvari, sed necessitate præcepti tum  
Ecclesiastici, tum divini. Necesitas illa fun-  
datur in verbis Apostoli Jacobi 5. v. 14. *In-*  
*firma tur quis in vobis, inducat presbyteros Ec-*  
*clesiae.* Verbum autem illud inducat, signifi-  
cat strictum, & verum præceptum juxta mul-  
ta Concilia, & varios patres, nec ad me-  
rum Consilium detorqueri potest, ut vo-  
lunt quidam Theologi. Concilium Cabillo-  
nense 1. sub Carolo magno, & Leone 3. Can.  
48. sic habet: *secundum Beati Jacobi docu-*  
*mentum, cui etiam DECRETUM patrum conso-*  
*nant: infirmi oleo, quod ab Episcopis consecra-*  
*tur, ungi DEBENT.* Concilium Augustodo-  
nense Can. 20. sic loquitur: *Unctionis extre-*  
*ma Sacramentum cum Litanis, & orationibus*  
*a majoribus acceptis, totaque Ecclesie serva-*  
*tis, fidelibus impertiendum JUBEMUS.* Et  
alterum Concilium Cabillonense an. 1538.  
cap. 5. parte 7. hæc, inquit, sacra unctionis  
impendatur cum expositione MANDATI Apo-  
stoli. Idem sentiunt sancti patres; nam Aug.  
lib. de visitatione infirmorum extremamunc-  
tionem cum viatico componit: Ergo si via-  
ticum sit de præcepto in articulo mortis, ita  
& extrema-unctionio. Sic, inquit, roges de te,  
& pro te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus,  
imo per Apostolum Dominus, ipsa videlicet olei  
sacratæ libatio, intelligitur spiritus sancti Ty-  
picalis unctionis. Rupertus in vita Huberti Co-  
loniensis hæc habet: Abbatem Eliam accersi-  
vit, quo veniente secundum PRÆCEPTUM  
Apostoli sacro est unctionis oleo in nomine Domini:  
Ergo Sacramentum extrema-unctionis est

C O N S E C T A R I U M VI. *Quandonam*  
urgeat præceptum ordinationis suscipienda, seu  
de necessitate suscipiendi ordinis. Toties ur-  
get obligatio suscipiendi ordinis , quoties  
quis ornatus, ut supponitur, dotibus neces-  
sariis ad ordinationem, & carens impedimen-  
tis Canonicis , removentibus ab ordinatione , à legitimo superiori præceptum acci-  
pit , ut permittat sibi manus imponi. Tuac  
enim judicare debet necessarium sibi esse  
hoc Sacramentum accipere , tum ut ipse  
Domino consecretur , tum ut alios sanc-  
tificet , tum ut cultum Dei promoveat ,  
tum demum ut reginem Ecclesie stabilitat ;  
resistere autem legitimo superiori in illis  
circumstantiis , non virtus est , sed vitium ;  
non humilitas , sed superbia ; non zelus do-  
minus Domini , quo oportet accendi omnes  
clericos , sed amor otii. De homine in his  
circumstantiis posito loquitur Ecclesiasticus  
cap. 13. v. 11. *Noli* , inquit , *esse humiliis in sa-*  
*pientia tua , ne humiliatus in stultitiam se-*  
*ducaris.* De eo etiam sic loquitur Gregorius  
in suo Pastorali 1. Par cap. 5, qui habet , in-  
quit , dona Dei , ut possit esse Pastor , si vo-  
catus suscipere renuit , plerunque dona ip-  
sa sibi auferuntur. *Quia* non pro se tantum ,  
sed etiam pro aliis acceperat : unde Domi-  
nus dicens; Si diligis me , pasces oves meas ,  
clare docuit quod si testimonium dilectionis  
est suscipere onus Pastorale , quisquis virtu-  
tibus pollens ipsum suscipere renuit , Pasto-  
rem summum convincitur non amare : quod  
si ideo curam Pastoralem refugiunt , quia

quietem contemplationis diligunt, sciante quod de tantis animabus rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt: & juxta legem merito Ecclesia in ullum expuet; quia noluit suscitare semen fratris sui Christi defuncti sine liberis: quia paucos in vita Dominus convertit: dicitur autem expuere in faciem ejus; quia exprobrat quietem ejus. Non est autem inferioris judicare; an dignus sit vel indignus, sed superioris; nisi inferior haberet tanta vitia occulta, quæ cum impedirent, ne validè ordinem posset recipere, quo in casu teneretur ea manifestare secretò superiori, & iste teneretur medium aliquod invenire ad tollendum scandalum, quod ex tali resistentia oritur. Et Bernardus scribens cuidam Abbatii, qui proponebat dimittere abbatiam, ut sibi quietius vacaret, hoc ei omnino interdit, multisque probat argumentis, quæ eadem possunt suadere, ut qui judicatur à legitimo superiore idoneus ad ordines suscipiendos, prælato non resistat. Primo quia charitas non querit quæ sua sunt. Secundo quia ex ea insobedientia sequitur scandalum & turbatio pacis. Libenter, ait, carebo quantolibet, etiam sp̄irituali questu, qui non possit acquiriri nisi cum scandalo. Ubi enim scandatum, ibi procul dubio charitatis est detrimentum. Ubi autem est diminutio charitatis, non potest separari sp̄iritualis exercitii prospectus. Item qui propriam quietem communi utilitati præfert, non potest dicere: mibi vivere Christus est & mori lucrum. Et ubi erit illud: Nemo sibi vivit, nemo sibi moritur. Et illud: Non querens

quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi  
siant; & ut qui vivunt non sibi vivant, sed ei,  
qui pro ipsis mortuus est. Epis. 82. Et ad alium  
Abbatem scribens, qui Abbatiae renuntiare  
volebat, hæc scribit, quæ ad propositum  
nostrum possunt inservire. Tene, inquit, quod  
tenes, mane in quo es, & stude prodesse, quibus  
præes. Nec præesse refuge, dum potes prodesse:  
quia ve quidem tibi si præes & non prodes, sed  
ve gravius, si quia præ esse metuis, prodesse  
refugis. Epis. 86. Et ad alium scribens, qui  
à se rejecerat sarcinam curæ Pastoralis & li-  
centiam ab Episcopo magis extorserat, quām  
obtinuerat. Attende, inquit, si licuit Christia-  
no injunctam sibi di mittere obedientiam ante  
mortem, cum Christus factus fuerit obediens  
usque ad mortem. Si dicas, quod impetrasti li-  
centiam ab Episcopo cedendi, dico quod cum  
fuerit importunitate extorta, non fuit licentia,  
sed violentia: quod enim tuā importunitate vic-  
tus Episcopus invitus fecit non fuit absolvere,  
sed abrumpere. Gaudes quia exoneratus es, &  
ego vereor, quod Deus sit in te exonoratus,  
cujus procūl dubio ordinationi resistis, dum pro-  
motus ab illo, tu te dejicis. Oportebat etiam  
patienter portare onus impositum, animo non  
frangi, pusillanimitate non vinci, & semel sus-  
ceptum deponere non licebat. Si allegas difficul-  
tatem, vel impossibilitatem, omnia possibilia  
sunt credenti. Hoc verum est quod depositisti;  
quia magis tibi placuit quies tua, quām utilitas  
aliena. Nec veretur idem Bern. scribens ad  
Euge. lib. 4. cum adhortari, ut quos vel  
prælatione, vel sacris ordinibus dignos ju-  
dicaverit compellat int̄pare... His haud dubiè

innitebantur fundamentis sancti præsules, eum vel invitis vel insciis, etiam sacras manus imponebant. Sic Flavianus Episcopus Constantinopolitanus Macedonianum Eremitanum abduxit à vertice montis, tanquam in eum ad se delata fuisset accusatio. Cum autem mysticum esset propositum sacrificium adduxit ad altare, eumque coaptat in numerum Sacerdotum: postquam autem fuit sacrum finitum officium, & hoc ei significavit aliquis: quod enim factum fuerat ignorabat omnino. Primum quidem incessebat omnes maledictis & convitis: postea autem accepto baculo.... cui inniti solebat, & ipsum persequebatur pontificem, & alios, quotquot aderant: Aliquandiu credidit se non esse presbyterū, postea vero rationibus familiarium convictus, se gessit ut presbyterum. Theodoretus histor. s. p. p. cap. 13. sic Epiphanius de Pauliano à se ordinato dicit. Ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberare se cupiens adjuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus.... proponentes ei timorem Dei & compellentes ut ministraret. Valde quippe obnitezatur indignum se esse contestans; vix ergo compulimus eum & persuadere potuimus eum testimonii scripturarum & propositione mandatorum Dei: & cum ministraret in sanctis sacrificiis, rursus cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus presbyterum, & iisdem verbis, quibus ante suaseramus, intulimus ut sederet in ordine presbyterii.

CONSECTARIUM VII. Quandonam  
urgeat præceptum contrahendi matrimonii. To-

tięs urget præceptum matrimonii contrahendi , quotięs id exigit bonum universale reipublicæ vel civilis vel Ecclesiasticæ , vel privatum bonum spirituale illius , qui potest matrimonium contrahere ; quia matrimonium destinatum fuit à Deo 1'. Ad multiplicationem generis humani in bonum reipublicæ civilis , vel Ecclesiasticæ . 2'. In remedium concupiscentiæ . Ergo totięs urget præceptum contrahendi matrimonium , quotięs aliqua ex illis causis interveniet . Sic sancti Patriarchæ per quos populus Dei carnaliter propagandus erat , tandem obligati fuerunt ad contrahendum matrimonium , donec multiplicatis sufficienter populis cessavit præceptum matrimonii contrahendi ; idēc nec Iosue , nec Elias , nec Elizæus , nec Jeremias leguntur matrimonia contraxisse , & Christus & Joannes Baptista non accusati sunt à Judæis , quasi legis Mosaicæ transgressores , licet matrimonium non contraxerint ; quod significat tunc nullum viguisse præceptum matrimonii contrahendi , multo minus nunc urget necessitas contrahend matrimonii , cum , ut notat Aug. lib. 1. De nuptiis . cap. 13. Populus Christianus ex omnibus gentibus coalescat , & spirituali generatione , potius quam carnali multiplicetur . Sic filii Regum & Imperatorum tenentur iniire nuptias , cum ex eorum matrimonio pax reipublicæ penderet & bonum Ecclesiæ speratur . Sic privati tenentur matrimonium iniire , cum non habent donum continentiæ : ut docet Aug. de bono conjugali cap. 10. mihi uidetur , inquit , hoc tempore solos eos qui se

*non continent, conjugari oportere secundum illam Apostoli sententiam quod si se non continent, nubant, melius est enim nubere, quam uriri. Matrimonium enim quod ante lapsum erat officium naturae, post lapsum fit remedium concupiscentiae. Sic filius familias quibusdam in casibus tenetur ex mandato paterno matrimonium contrahere. Pater, inquit D. Thom. potest filium ad matrimonium inducere ex rationabili causa. Et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris: ut si illa causa cogat de necessitate vel de honestate, præceptum similiter cogat; alias non. In 4. dist. 29. q. 2. a. 4. itaque si causa talis sit, ut filium omnino obliget, tunc filius tenebitur ex necessitate matrimonium contrahere: si vero ea causa obliget ex honestate, tenebitur ex decentia contrahere, v. g. filius est incontinentis, tunc debet obediens patri præcipienti matrimonium, ut vitet incontinentiam; filius virginem seduxit sub spe matrimonii, & injuria non potest aliter compensari; tenetur eam ducere, quam defloravit, ut servet justitiam. Filius nubilis pudicitia periclitatur; tunc jubente patre, tenetur aut matrimonium contrahere, aut Monasterium ingredi, ut vitet ignomiam, quæ merito prætimetur. Item si pater vel in captivitate constitutus, vel in opere pressus, vel a potentibus inimicis exagitatus, ea mala aliter vitare nequeat, quam per matrimonium filii, tunc filius debet matrimonium inire. Si vero causæ propter quas pater suadet matrimonium, non sint tam urgentes, filius tunc tenebitur ex decentia inire matri-*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 359  
monium. v. g. Si pater, inconsulto filio,  
ei sponsam elegisset, aliundē honestam, pa-  
rem, & familiæ convenientem, tunc ex ho-  
nestate deberet filius matrimonium contra-  
here.

### C A P U T I I I .

*Quomodo homo teneatur vivere post  
acceptum Sacramentum.*

**P**ropositio uicaria. Homo post acceptum  
Sacramentum tenetur eam vitam degere,  
quam exigit dignitas & sanctitas Sacramen-  
ti accepti.

Probatur 1<sup>o</sup>. Scripturâ. Quoties Deus  
legem aliquam hominibus statuit, toties  
eam stricte observari voluit, juxta illud :  
*Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Psal.  
118. v. 4. Atqui Deus instituendo Sacra-  
menta, legem posuit obligantem homines,  
ut vivant digne Sacramentis acceptis; cum  
Sacramentum sit pactum, quo Deus promit-  
tit se gratiam daturum hominibus, & homi-  
nes obligent se reddituros obsequium Deo;  
ergo homines post accepta Sacra-  
menta tenentur vivere digne Sacramentis acceptis.

2<sup>o</sup>. Ex Ambros. sermone 24. novæ edi-  
tionis. *Non sufficit quod christianum nomen  
præseramus, quod utique fit per Sacra-  
menta quæ recipimus, si opera christiana non fa-  
cimus, id est opera digna Sacramentis.* Idem  
docet Chrysoft. sermone de Martyribus.  
*Quæ aut imitandi sunt, aut non laudandi :*  
*ubi sic habet: Unde tu christiane delicatus es*

miles , si putas te posse sine pugna vincere , sine certamine triumphare , exerce vires , fortius dimica , atrociter in prælio iſo concerta , considera pactum , conditionem attende , militiam nosce , pactum quod spopondisti , conditionem , qua accessisti , militiam cui nomen dedisti . Quod pactum utique sit , cum recipiuntur Sacra- menta ; quæ vita sancta dicitur , cum vivi- tar dignè Sacramentis .

3<sup>o</sup>. Ratione . In quocumque statu homo constituatur , tenetur eam vitam degere , quam dignitas statūs exigit : cui officio si non satisfaciat , punitur juxta prævaricatio- nis meritum . Sic Adam cum mandatum Dcī in Paradiso fuisset transgressus , sibi & posteris justitiam , in qua constitutus fuerat amisit , sententiam mortis , quam intermis- natus fuerat Deus , subiit , & Paradiso eje- citus est . Sic filii Dei ; id est posteri Seth , videntes filias hominum , id est , filias Cain , quod essent pulchræ , illicoque commer- cio se mutuo commaculantes , diluvio ab- sorpti sunt . Sic Judæi violantes legem Mozaicam , & cæremonias legales contemp- tui habentes ejectedi sunt : ergo christiani violantes legem Sacramentorum , longè se- verius punientur : ut probat Paulus ad He- bræos 20. ubi sic habet : Propter ea abundan- tius oportet nos observare ea , quæ audivimus , ne forte pereffluamus , si enim qui per Angelos di- cetus est sermo , factus est firmus , & omnis præ- varicatio & inobedientia accepit justam mer- cedis retributionem , quomodo nos effugiemus , si tantam neglexerimus salutem , scilicet eam quæ ex Sacramentis oritur .

## Consectaria bujus doctrinæ.

**C**ONSECTARIUM I. *Quam sanctè vivere  
debeat homo baptizatus.* Homo baptizatus  
debet Patri Æterno cuius est nova creaturā  
vitæ novitatem, Christo cuius est mem-  
brum conformitatem, Ecclesiæ cuius est fi-  
lius obedientiam. Debet Patri novitatem  
vitæ: ita docet Paulus 2. ad Corinth. c. 3.  
v. 17. *Vetera, inquit, transferunt; ecce facta  
sunt omnia nova.* Et idem Paulus ad Colos.  
2. v. 9, *Expoliantes, inquit, vos veterem ho-  
minem cum actibus suis, & induentes novum.*  
*Quæ novitas in eo sita est* juxta eundem  
Paulum ad Titum 2. v. 11. *Ut abnegantes  
impietatem & secularia desideria, sobriè &  
piè & justè vivamus in hoc seculo, expetan-  
tes beatam spem.* Quippe juxta Cypria-  
num epist. ad Donatum: Christianismus ex  
mors criminum & vita virtutum. Et juxta  
Aug. lib. de cantico novo: *Omnis qui bap-  
tismum Christi desiderat, vitam novam con-  
cupiscit: transeat ergo à vetustate, ut perve-  
niat ad novitatem.* Et de Symbolo ad Ca-  
rechumenos lib. 2. cap. 1. *Videte, inquit,  
quia professionem vestram in curiam profertis  
Angelicam: nomina profientium accipiuntur  
in libro vitæ.* Baptizatis autem sic loquitur  
Chrysost. *Aliam, inquit, vivamus vitam,  
faciamus de terra cœlum, monstramus rectè vi-  
vendo gentibus, quibus bonis careant; nam  
quando nos laudabiliter vivere videbunt, qua-  
si faciem cœtorum aspicient.* Et Greg. Nazi.  
orat. 40. *novam vitam his verbis baptizato-*

præcipit. Baptismum estimare debemus, tanquam secundæ vitæ, ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum.

I I. Baptizatus debet Christo, cuius est membrum, conformitatem, ut expresse docet Paulus ad Romanos 6. v. 3. *An ignoratis, inquit, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Quod ita interpretatur Aug. Enchirid. cap. 41. 42, *Ipsum est quod in nobis celebratur magnum sacramentum, ut quicumque ad istam pertineat gratiam, moriatur peccato, sicut ipse peccato mortuus dicitur; quia mortuus est carni, hoc est peccati similitudini; & vivant de lavacro renascendo, sicut ipse de sepulchro resurgendo; quamlibet etatem corporis gerant, id est omnes Christi annos imitentur, infantes imitentur infantem, pueri puerum, adolescentes adolescentem, imitemur Iesum docentem, jejunantem, prædicantem. Ideo juxta praxim Ecclesiæ, cum baptismo initiamur, renuntiamus mundo, Diabolo, & omnib' operib' ejus, & oninib' pompis ejus: quam renuntiatione ita vult fieri Aug. Renuntiate, inquit, non solum vocib', sed etiam morib', non tantum sono lingue, sed & actu vitæ, non tantum labiis sonantibus, sed & operibus pronuntiantibus. lib. 4. de Symbolo ad Catechum. cap. 1. Quid enim est renuntiare mundo, nisi imitari Christum, qui dixit, Ego non sum de hoc mundo. Ioan. 8. v. 23.*

Nisi

Nisi imitari Apostolos dicentes 1. ad Corinth. 4. v. 18. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc. Renuntiare mundo est imitari spirituales Israëlitas, de quibus Isaïas ait: *Ceruent terram de longe.* 33. v. 71. id est mundum execrabuntur. Quid demum est renuntiare mundo, nisi obedire Joanni dicenti; *Nolite conformari huic seculo.* 1. Joannis cap. 2. v. 15. Per mundum enim, inquit Aug. vult intelligi eos, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiae, ut ab illo elegantur ex mundo. tractatu 107. in Jean. Per mundum intelligi debent hi, qui dicunt: *Nolumus hunc,* id est, Christum regnare super nos. Quid sit renuntiare Diabolo latè explicat Aug. Soliloquiorum ad Deum c. 16. dum instruit nos, quomodo Deum debeamus orare, ut nos ab insidiis Diaboli liberet. *Deus meus,* inquit, *ad te clamamus, libera nos ab adversario nostro quotidiano,* qui sive dormiamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcumque opus operemur, omnibus modis instat die ac nocte, fraudibus, artibus, nunc palam, nunc occulte, sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras. Et tamen, Domine, pessima insania nostra; quia cum continuè videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus & lascivimus in pigritiis nostris tanquam securi ante eum, qui nihil aliud desiderat, quam ut nos perdat.... Laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate, laqueos tenet in cibo, in potu, in voluptate, in somno, id

vigilia, laqueos posuit in verbo & in opere,  
 & in omni via nostra, sed tu Domine libera  
 nos à laqueo venantium, & à verbo aspero, ut  
 confiteamur tibi dicentes: Benedictus Dominus  
 Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus  
 eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de  
 laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos  
 liberati sumus. Et lib. 2. de Symbolo ad Ca-  
 techumenos cap. 1. Duo sunt, inquit, gene-  
 ra armorum Diaboli valde fortia. . . . voluptas  
 & timor; alios enim voluptate capit, alios  
 timore frangit. Confirmetur & nostra acies,  
 proferantur arma spiritualia: contra timorem  
 Diaboli adsit timor Domini, castus permanens  
 in sæculum sæculi; contra voluptatem turpissi-  
 ma delectationis non desit fides orationis. Et  
 lib. de Ecclesiasticis dogmatibus Baptiza-  
 tos omnes Diabolo renuntiantes ita admo-  
 net Aug. Nemo etiam baptismatis gratia re-  
 novatus idoneus est ad superandas Diaboli insi-  
 dias, & ad vincendas carnis concupiscentias,  
 nisi per quotidianum adjutorium Dei perseve-  
 rantiam bona conversationis acceperit. Per  
 nullam aliam artem salvari possumus à Diaboli  
 incursibus, nisi per crucem Domini, inquit  
 idem Aug. lib. de restitudine Catholicæ  
 conversationis,

III. Baptizatus debet Ecclesiæ, cuius est  
 filius, obedientiam in credendo & in agen-  
 do: sicut enim juxta Paulum, qui circum-  
 cuditur sit debitor universæ legis faciendæ,  
 & subditus Synagogæ; ita qui baptizatur,  
 sit debitor universæ legis Evangelicæ, &  
 subditus Ecclesiæ, quam oportet nos audire,  
 dum proponit credenda; quia est columnæ si-

dei & firmamentum veritatis, cui oportet subesse, cum præcipit facienda, ut iubet Christus, dum dicit: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Etenim, ut pronuntiat Aug. non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. Tract. 4. de Symbol. cap. 10. Et idem Aug. lib. 2. de civit Dei 21. Possunt extra hanc Ecclesiam aliqua esse Dei munera: vera aliqua de Christo sententia: ipsius Christi Sacramenta: bona aliqua opera; sed non justitia & sanctitas vitæ. *Vera, inquit, justitia non est, nisi in ea republica, cuius conditor rectorque Christus est.* Et Enchiridion. cap. 65. Non peccatorum remissio, non solida spes hæreditatis æternæ: sicut enim Abraham filiis concubinarum, per quos hæreses & schismata designantur, largitus est quædam munuscula, ac soli filio Saræ, quæ matrem nostram Ecclesiam præsignabat, largitus est hæreditatem, ita & Christus infidelibus extra Ecclesiam existentibus quædam largitur munera temporalia; solis vero fidelibus in Ecclesia existentibus impendit veram justitiam.

C O S E C T A R I U M I I. Quomodo vivere debeat baptizatus & confirmatus. Homo baptizatus debet vivere, quatenus miles patris æterni, pro quo pugnat, quasi Discipulus Christi, cuius doctrinam sustinet, quasi habitaculum spiritus sancti, cuius gratia perfunditur.

I. Debet fidem divinam, id est religionem christianam, tanquam intrepidus miles contra Tyrannos, etiam cum vita dis-

366 MORALIS CHRISSIANA,  
pendio, tueri, & contra falsos christianos  
cum mundani honoris contemptu defendere.  
*Noli erubescere*, inquit Paulus, *testimonium*  
*Domini nostri Iesu Christi.* I. Ad Timoth.  
cap. 2. v. 8 *Sacræ illius pugnæ exemplum*  
*dederunt Apostoli*, cum coram Iudeis,  
*accepto Spiritu sancti robore*, in die Pen-  
tecostes Christi nomen confessi sunt & fla-  
gellati. *Iabant gaudentes à conspectu Concilii*,  
*quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu con-*  
*tumeliam pati*: Non solum coram tyrannis,  
sed præcipue coram falsis christianis debent  
hi qui sunt chrysante uncti, eam quam pro-  
fitentur religionem exercere: juxta illud  
documentum Christi. *Qui me confessus fuerit*  
& verba mea in generatione istâ adulterâ &  
peccatrice, *filius hominis confitebitur eum*, cum  
venerit in gloria patris sui cum Angelis. Marc.  
8. v. 38. & juxta illud Pauli: *Providemus enim*  
*bona non solum coram Deo, sed etiam coram ho-*  
*minibus.* 2. Ad Corith. cap. 8. v. 21. Præci-  
puè coram illis, quos habemus ejusdem re-  
ligionis sequaces; sed sæpiissimè ejusdem sacræ  
doctrinæ infensissimos impugnatores, quos  
Apostolus vocat inimicos crucis Christi.

II. Confirmatus, utpote Christi discipu-  
lus, debet à Christo doctrinam, quam la-  
tè poterit verbis explicando & factis ex-  
hibendo propagare: juxta illud Apostoli.  
*Non erubesco Evangelium, virtus est enim Dei*  
*in salutem omni credenti.* Id præstiterunt  
Apostoli post acceptam in die Pentecostes  
Sacramenti confirmationis virtutem: quip-  
pe per totum orbem dispersi Evangelium  
Christi prædicaverunt, Domino cooperante &

III. Confirmatus, tanquam plenus ſpiritu sancto, debet factis exprimere eam, quam profitetur, religionem; est enim christianus chrismatis unctione consecratus, ſedes Spiritus sancti. Requiescat super eum, inquit scriptura, spiritus Domini, spiritus sapientiae & intellectus spiritus conſilii & fortitudinis, spiritus scientiae & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Isaiae cap. 11. v. 2. Sunt autem, juxta divum Thomam 1. 2. q. 68. art. 1. dona illa Spiritus sancti, habitus quidam perſcientes hominem, ad hoc quod prompte sequatur instinctum Spiritus sancti; per ſapientiam confirmatus judicabit de omnibus non ſecundum regulas hominum fallaces & incertas, ſed ſecundum regulas fidei ſemper certas & infallibiles v. g. æterna habebit ut æterna, caduca ut caduca, &c. Per intellectum, quaſi intus leget & interiora rerum penetrabit, temporalia utpote fluxa parvi faciet, æterna utpote minima peritura, in magno pretio habebit. Per conſilium nihil tentabit perperā, omnia ad legē Dei tanquam ad ſtaterā fidelē appendet; & ita illud evenier, quod dicit ſapiens. conſilium custodiet te, & prudentia servabit te ut eruaris à via mala. Proverb. 2. v. 12. Per fortitudinem, omnia in Deo tentabit, niſi niſi divinā virtute exequetur, dicens cuncti Paulo. Omnia possum in eo, qui me confortat: ad Philip. 4. v. 13. Per ſcientiam non ab alio, quām à Deo doceri gestiet. Beatus, inquit, quem tu erudieris Domine, & de lege tuā do-

*iueris eum. Psalmo 95. v. 12. Per pietatem Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum semper praesentem habebit, credet ei ut Doctori, sperabit in ipsuni ut promissorem, amabit ut patrem, adorabit ut Dominum, & in ipso tanquam in ultimo fine conquiescat. Per timorem, nihil aliud timebit, quam separari a Deo suo.*

CONSECTARIUM III. *Quomodo homo vivere debeat post sacram Eucharistiae sumptionem. Homo, sumptuosa sacrâ Eucharistiâ, debet vivere. 1. Quasi Christum portans. 2. Quasi vitam Christi exhibens. 3. Quasi mortem Christi rememorans.*

1. Homo post sacram communionem debet se gerere, quasi Christum portans. Christus enim promittit, se permansurum in eo, qui ipsum Sacramentaliter recipiet. *Qui manducat, inquit, meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Inde est, quod patres eos, qui Eucharistiam sumunt, vocant *Christophorus*, id est, Christum portantes; ergo sicuti summâ vigilia, attentaque cautione incedunt, qui pretiosum liquorum portant, ne forte improviso lapsu aliquid pretiosi liquoris effundatur; ita summa cautione uti deber, qui Christum post communionem portat, ne forte *perefluamus*: ut dicit Paulus ad Hebreos, id est, ne diffusa per Christum in cordibus nostris gratia incautione nostrâ effundatur. Christo ergo nutriti, nihil extra Christum queramus: ille enim corrupto penitus palato est, cui Christus nauseat. Et sicut manna teste Sapiente, omne delectansatum in se præha-

bens, omnisque saporis suavitatem conti-  
nens, piis Israëlitis generale cujuscumque  
alterius edulii inspirabat fastidium; ita di-  
vinum istud manna pios fideles ab omnibus  
obligamentis terrestribus longè revocat, &  
ad gustandas solas epulas cœlestes suaviter  
allicit. Eo ergo pane, velut alter Elias,  
nutritus christianus ambulat per viam man-  
datorum, & usque ad montem Dei Oreb,  
id est, usque ad cœlestem patriam progre-  
ditur. Hoc melle, velut alter Jonathas,  
recreatus, incœptum contra vitia certamen  
persegitur, nec desistit, donec insigni vi-  
ctoriā omnes adversantes sibi, salutis suæ  
inimicos prostraverit. Et rursus sicut Abel  
Deo litat de primogenitis gregis, & Abra-  
ham unigenitum filium Isaac Deo offerre  
non detrectat; ita fidelis Eucharistiā sacrâ sa-  
ginatus, ut loquitur Tertulianus, & per  
eam Deo oblatus, Christo, qui est sibi si-  
mul & cibus & hostia, offert quidquid ha-  
bet pinguis & charius.

II. Homo post communionem debet fa-  
ctis suis vitam Christi exhibere: dicitur enim  
Joan. 6. v. 38. *Qui manducat me, vivet pro-  
pter me. Sicut enim, juxta Cyrillum, Verbum  
unitum humanitati Christi, vitam divi-  
nam Christo largiebatur, adeò ut vita Chri-  
sti esset Theandrica, id est, humana & divina;  
ita humanitas Salvatoris nobiscum per com-  
munionem unita, vitam Christi nobis communi-  
cat. Oportet ergo post communionē, ut vitā  
Christi repræsentemus: oportet ut, *Exhi-  
beamus nos, mortuos quidem peccato, viventes  
autem in Christo. Demùm oportet ut que-**

370 MORALIS CHRISTIANA,  
madmodum ipse ambulavit, & ipsi ambule-  
mus; quemadmodum Christus vixit vita pa-  
tris, & ipsi vivamus vita Christi; quemad-  
modum, ut ipse nos præmonet Joan. 14.  
v. 20. *Ego sum in patre meo, & vos in me, &*  
*ego in vobis; ita & nos simus in Christo.* Quip-  
pe ut ait Joannes 1. Epist 4. v. 9. *Misit Deus*  
*filium suum, ut vivamus per eum:* Est enim  
Christus, ut docet Paulus ad Coloss. 3. v.  
4. *vita nostra:* & ut ipsem Paulus facetur  
de seipso, non aliam sibi esse vitam, ni-  
si eam, quam a Christo acceperat. *Vivo ego,*  
*inquit, jam non ego, vivit verò in me Chri-*  
*stus.* Ad Galat. 2. v. 20. Ita non vivamus  
nos vitam humanam, vivat verò in nobis Chri-  
stus. Et sicut Melchisedech panem & vi-  
num, typum Eucharistiae, Abrahæ victori è  
pugna redeunti obtulit, & illi dedit, qui  
erat pater credentium, qui fide vivebat, ita hi  
quibus communicatum est sanctum illud Sa-  
cramentum, vitam Abrahæ, fidemque ejus  
imitaturi sunt. Et sicut Agnus Paschalis,  
qui & ipse sacrificium fuit & cibus populi  
Judaici, Judæos ad spiritualem quamdam  
vivendi normam induxit; ita & Eucharistia,  
cibus noster simul & nostrum sacrificium, ad  
sublimiores quamdam vitam nos debet  
evehere: ut docet Paulus. *Pascha nostrum,*  
*inquit, immolatus est Christus;* itaque epule-  
mur non in fermento veteri, neque in ferumen-  
to malitia & nequitiae, sed in azimis sinceri-  
tatis & veritatis, id est excluso omni pec-  
cato, vivamus secundum normam gra-  
tiae.

L III. Homo post communionem debet

Christi mortem rememorari: ita enim præcipit Christus. *hoc facite in meam commemorationem.* Luc 22. v. 19. Est enim Christi passio. 1. Infinitum meritum, quo tollitur ab humana natura indignitas inducta per peccatum originale juxta illud 1. Joan. 2. *Ipsæ est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* 2. Superabundans satisfactio & redemptio; quæ reparatur omnis illata Deo ab hominibus injuria, juxta illud: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Ad Gal. 3. 3. Est sacrificium infiniti valoris supplens insufficientiam omnium sacrificiorum, quæ in lege vel naturæ vel Mosaiæ oblata sunt, juxta illud: *Tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis ad Eph. 5.* 4. Est vis efficacissima salutis nostræ omnibus mediis ad salutem nostram operandam destinatis efficaciam tribuens juxta illud: *Verbum crucis hjs, qui salvi fiunt, est virtus Dei* 1. ad Corinth. 1. quos omnes mirificos effectus Christus in Eucharistia conclusit juxta illud: *Memoriam fecit mirabilem suorum, & ea singula miracibia voluit à nobis recoli, quoties Eucharistiam sumimus: Hoc facite, inquit, in meam commemorationem.*

CONSECARIUM IV. *Quomodo vivere debeat, qui Sacramentum pœnitentiæ accepit.* Qui post baptismum lapsus est in peccata mortalia, & eorum absolutionem in Sacramento Pœnitentiæ obtinuit, debet, I. Dolere ob peccata præterita, quatenus commissa. II. Ob eadem peccata, quare

aus remissa , debet Deo gratias reddere.  
 III. Ob eadem peccata , quatenus per recidi-  
 divam redeuntia , debet semper timere.  
 I. Debet dolere ob peccata commissa. Ita  
 fecere , inquit Aug. omnes peccatores ad  
 Deum conversi ; & inter illos quatuor enum-  
 erat , scilicet , Davidem , Achab , Manas-  
 sen , & Magdalenan ; quibus adjungi possunt  
 Petrus & Paulus , &c David dicit : *Lavabo*  
*per singulas noctes lectum meum , lacrymis meis*  
*stratum meum rigabo*, Ps. 6. & iterum : *Cine-*  
*rem tanquam panem manducabam , & potum*  
*meum cum fletu miscebam*. Psal. 101. De im-  
 piissimo Achab. 3. Reg. 21. Nonne vidisti hu-  
 miliatum Achab coram me. De Manasse 4. Reg.  
 21. Dicitur , quod in captivitatem ductus , &  
 in carcerem missus , cum grandi humilitate pœ-  
 nitentiam agens , ita gratiam Dei obtinuerit ,  
 ut mereretur inter Dei amicos postmodum nu-  
 merari. Peccatrix quoque illa , quæ pedes Do-  
 mini lacrymis lavit , capillis suis extersit . . . .  
 audire meruit. Dimittuntur ei peccata multa ,  
 quoniam dilexit multum. Ita Aug. serm. 58.  
 de tempore. De Petro verum pœnitente le-  
 gimus. Matth. 26. v. 75. *Egressus foras , fle-*  
*vit amare*. Paulus vero de seipso ait : *Casti-*  
*go corpus meum , & in servitutem redigo*. 1.  
 ad Corinh. 9. v. 27. *In hac ergo pœnitentia* ,  
 inquit Aug. majorem in se quisque severitatem  
 debet exercere , ut a seipso judicatus , non judi-  
 cetur a Domino , sicut ipse Apostolus ait. *Si*  
*enim nos met ipsos judicaremus , non utique ju-*  
*dicaremur*. Ita Aug. de pœnitentiæ medici-  
 na. II. Homo pœnitens ob peccata dimis-  
 sa debet gratias agere , & cor contritum of-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 373  
ferre. Ita Aug. in Psal. 50. juxta illud Da-  
vidis. *Cor contritum & humiliatum, Deus,*  
*non despicies.* Psal. 50. v. 19. Et juxta illud  
eiusdem Prophetæ *Dirupisti vincula mea,*  
*tibi sacrificabo hostiam laudis.* Psalm. 115.  
III. Debet homo post acceptam absolutio-  
nem, peccatum recidivæ & præcavere, &  
maximè timere: præcavere quidem; quia  
peccato recidivæ nihil est Deo odiosus; ti-  
mere verò, quia nihil est illo peccato peri-  
culosius. Peccato recidivæ nihil Deo est  
odiosus: quippè generatim, *Odio sunt Deo*  
*impius & impietas ejus.* Sapient. 14. v. 9. Sed  
longè odiosior, qui Deo reconciliatus, ite-  
rum in peccatum relabitur. De anima rela-  
bente sic habet scriptura: *Quare vilis facta*  
*es nimis, iterans vias tuas.* Jerem. 2. v. 36.  
Et quidem non immerito: peccator enim  
relabens est canis reversus ad vomitum,  
quem Deus incipit evomere de ore suo: est  
fus Iota in volutabro suo, quam Deus finit  
suis sordibus inquinatam: est terra sterilis  
maledicto proxima, cuius consummatio in  
combustionem: est ædificium manu Dei sæ-  
pius erectum; sed malitiâ nostrâ sæpius de-  
structum, quod in ruina sua relinquit Deus:  
unus enim ædificans & alius destruens, quid  
amplius nisi labor & dolor: est inconstans  
ille servus, qui misit manum ad aratum &  
respexit retro, & proinde non est aptus reg-  
no Dei: demùm desertor est miles, qui à  
castris Dei transit ad castra Diaboli, quem  
pœnituisse pœnitet, quem proinde Deus  
odio suo insequitur: juxta illud. *Qui trans-  
greditur à justitia ad peccatum, paravit illum*

*Dominus ad romphæam.* Eccl. 26. v. 27. Est enim recidiva rebellio , quæ excusationem non admittit . & ingratitudo , quæ nullos limites agnoscit. David peccavit ex infirmitate ; ideo ait : *Miserere mei , quoniam infirmus sum.* Psal. 6. v. 3. Paulus peccavit ex ignorantia ; ideo ait , *Misericordiam consecutus sum ; quia ignorans feci.* 1. ad Timoth. 1. v. 13. Peccator verò recidens , ex industria & malitia peccat : juxta illud Job. 22. v. 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Et rursus. *Quasi de industria recesserunt ab eo.* Job. 34. v. 27. Qua ingratitudine nihil majus , cum peccator ex Dei bonitate peccandi occasionem assumat , & fiat nequior , quia Deus bonus est. Sicut peccato recidivæ nihil Deo est odiosius , ita nihil eo peccato periculosius , nihil minus sanabile : quippe etsi verum sit , nullum peccatum esse absolute irremissible ; quia Deus sic compellat omnes peccatores. *Convertimini , filii revertentes :* *ego sanabo aversiones vestras.* Jerem. 3. v. 22. Et rursus. *Eum qui venit ad me , nan ejiciam foras.* Joan. 6. v. 37. Tamen certum est peccato recidivæ non facile concedi veniam : est enim fractura iterata , quæ difficillime sanari potest : juxta illud. *Pessima plaga tua , insanabilis fractura tua.* Jerem. 30. v. 12. Est puteus ille altus , è quo vix exiri potest : juxta illud. *Impius cum in profundum venerit , contemnit.* Proverb. 18. v. 3. Quem puteum tam vehementer timebat Propheta dicens : *Ne quando urgeat super me puteus os suum :* Psal. 68. v. 16. Est venenum illud insanabile , de quo sic loquitur Moyses Deut.

32. v. 32. *Uva eorum, uva felix, venenum aspidum insanabile.* Est funiculus ille triplex, qui difficillimè solvitur. Est onus illud ingens, quod peccatorem aggravat, & ne cœlum respiciat, omnino impedit; juxta illud Davidis. *Sicut onus grave, gravata sunt super me iniquitates meæ.* Psal. 37. Est demum putrida cicatrix, quæ vix sanari potest: juxta illud. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ.* Psal. 37. v. 6. Et hoc justo Dei iudicio, quia per recidivam homo fit debilior, dæmon fortior, & Deus ad puniendum patrator: ut patet ex Ninive; primâ enim vice misit Prophetam Jonam, dicentem 3. v. 4. *Quadraginta adhuc dies, & Ninive subveretur.* Post verò recidivam, misit tantum epistolam, his verbis conceptam: *Deus æmulator ulciscens Dominus; ulciscens Dominus, & habens furorem.* Nahum. 1. v. 2. Quippe per recidivam, ut docet D. Th. Peccata redeunt non simpliter, sed secundum quid. Hujus rei exemplum est in Semei exeunte ex Jerusalem contra vetitum Salomonis, quem etiā post datam veniam occidi jubet Salomon; quia exiens ex Jerusalem præteritum peccatum, etsi dimissum, quasi revocaverat. *Reddit tibi Dominus malitiam tuam in caput tuum.* 3. Reg. 2. v. 36. Ita per recidivam peccata dimissa in caput nostrum revertuntur.

**C O N S E C T A R I U M V.** *Quomodo vivere, aut potius mori debeat, qui periculosisimè decumbens, accipit Extremam-unctionem.* Qui accipit Extremam-unctionem, debet mortem acceptare tanquam pœnam peccato debitam, tanquam sacrificium Deo debitum,

376 MORALIS CHRISTIANA;  
& tanquam medium conducens ad futuram  
resurrectionem.

Quomodo vivere debeant, qui sacris or-  
dinibus sunt iniciati, diximus in sexto tomo,  
ubi de officio Clericorum, & de officio eo-  
rum, qui præsunt spiritualiter. Quomodo  
vero vivere debeant conjugati, diximus in  
tertio tomo, ubi de officiis conjugatorum.





## SECUNDA PARS TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

*In quā proposita & explicata definitione Sacramenti, tum in communi, tum in particuliari per illationes inter se connexas probantur & inferuntur eae Conclusiones, quae in scholis agitari solent.*

### CAPUT PRIMUM

*De Sacramentis in communi.*

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit Sacramentum?*

**N**O MEN Sacramenti sumitur diversè modè ut in priori parte diximus, sed hic sumitur prout est invisibilis gratia signum visibile ad nostram sanctificationem divinitùs institutum.

*Explicatur fusiùs quid sit Sacramentum.*

Sacramentum est signum practicum sensibile divinitus & stabiliter institutum usu suo gratiam habitualem Christi significans, & confe-

rens homini viatori per Ministrum ad hoc deputatum cum certis dispositioaibus ex parte conferentis & recipientis.

Hæc definitio explicatur via affirmatio-  
nis & via negationis. Primo quidem via  
affirmationis.

Illa definitio est optima quæ continet  
omnia, quæ convenienter rei definitæ, quia  
definitio debet explicare naturam rei atque  
tradita definitio continet omnia, quæ con-  
venient rei definitæ seu Sacramentis. Ergo  
est optima. Minor explicatur, explicando  
singulas voces.

I. Dicitur *signum*, id est res ducens nos  
in cognitionem alterius, uti enim fumus  
significat ignem, rubor faciei motum cor-  
dis, ita Sacramentum significat gratiam.

II. Dicitur *signum practicum*, uti enim  
verba illa, fiat lux, Lazare veni fortas, verè  
efficiebant quod significabant, ita & Sacra-  
mentum novæ legis efficit, quod significat.  
Sacramenta verò Legis Mosaicæ erant tan-  
tum speculativa signa, erant enim infirma,  
& egena elementa ad Gal. 4. In quibus non  
erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum  
Sacramentorum novæ Legis, in quibus verè  
erat expiatio. Inquit Aug. tract. 41. in Joan.

III. Dicitur *sensibile* quia Sacramentum  
est propter homines sensibiles, quos decet du-  
ci rebus sensibilibus.

IV. Dicitur *divinitus institutum*, quia  
cum Sacramentum ordinetur ad gratiam  
producendam, & solus Deus possit produ-  
cere gratiam, solus Deus potuit instituere  
Sacramenta.

V. Dicitur *stabiliter*, quia cum Sacramentum sit quædam *protestatio fidei*, & *exercitium Religionis*, sicuti Religio est permanens & stabilis, ita & Sacramentum.

V I. Dicitur *usu suo gratiam significans & conferens*; quia Christus instituendo Sacra-  
menta propter gratiam significandam & cau-  
sandam, voluit ut in actuali usu Sacra-  
mentorum conferrur gratia.

V II. Dicitur *gratiam habitualem*, quia  
gratia sacramentalis nihil aliud esse videtur  
quam ipsamet gratia habitualis vel infusa,  
vel adaucta cum jure aliquo ad accipienda à  
Deo auxilia actualia necessaria ad vivendum  
conformiter ad finem Sacramenti. v. g. Bap-  
tismi gratia dat jus ad auxilia, quibus viva-  
mus, ut debet vivere regeneratus.

V III. Dicitur *gratiam Christi*, quia Sa-  
cramenta conferunt gratiam medicinalem &  
Redemptoris, non verò Conditoris, quia  
ut potè instrumenta Christi & rivuli ejus  
passionis ordinantur ad eamdem gratiam, ad  
quam Christus ordinabatur.

I X. Dicitur *in homine viatore*, quia Sa-  
cramenta sunt propter homines viatores, &  
non propter comprehensores, cum sint media,  
quibus ad gloriam pervenitur.

X. Dicitur *ritè disposito*, quia si subje-  
ctum Sacramenti sit indispositum, Sacramen-  
tum non producit gratiam.

X I. Dicitur *cum certis conditionibus ex  
parte conferentis, & ex parte recipientis*, quia  
ut Sacramentum valide conferatur, requi-  
ritur in Ministris intentio faciendi quod fa-  
cit Ecclesia. Et quia ut utiliter recipiatur,

requiritur in recipiente adulto ut habeat fidem de *Sacramento*, & dolorem de peccatis: sicut enim adulti liberè perdidimus gratiam, ita dispositione à nobis liberè elicitâ debemus eam recuperare.

XII. Dicitur per *Ministrum ad hoc deputatum*, quia si *Sacmentum* conseratur ab eo quem Deus non deputavit est invalidum,

*Explicatur eadem definitio viâ negationis.*

Illa definitio est optima quæ excludit omnia quæ non conveniunt rei definitæ, quia cum definitio convertatur cum re definita debet excludere omnia quæ non conveniunt rei definitæ: atqui tradita definitio excludit omnia quæ non conveniunt *Sacramentis*. Ergo tradita definitio est optima.

Minor explicatur.

I. Dicitur *signum practicum gratiæ*, & per hoc excluduntur signa speculativa gratiæ. v. g. Lignum vitæ præfigurans Eucharistiam; Crux significans Christi Passionem, quæ non sunt *Sacmenta*, licet speculativè significant gratiam.

II. Additur *sensibile*, & per hoc excluduntur actus interni supernaturales, qui licet vel disponant ad gratiam, vel eam adaugeant, non sunt *Sacmenta*, quia non sunt sensibiles.

III. Dicitur *divinitus institutum*, & per hoc excluduntur cœremoniæ ab Ecclesia institutæ, quæ licet aliquando causent gratiam, excitando nos ad amorem Dei, tamen non sunt *Sacmenta*; quia non sunt *divinitus institutæ*.

I V. Dicitur stabiliter institutum, & per hoc excluduntur cœremoniæ transiunies, quibus Christus causabat gratiam nimis rūm ablutio pedum Apostolorum. contactus fimbriæ vestis, quæ omnia non sunt Sacra menta, quia non fuere à Christo ita instituta ut permanenter in Ecclesiis fidelium observarentur tamquam cœremoniæ Sacramentales.

V. Dicitur in homine viatore rite disposita per Ministrum ad hoc deputatum, quia per hoc excluduntur beati à receptione Sacramentum, & Angeli à collatione ordinaria.

## ARTICULUS II.

*De Sacramento quatenus est signum.*

Propositiō unica. Sacramentum est signum gratiæ sanctificantis.

Probatur. 1<sup>o</sup>. Quia nihil aliud intelligimus per Sacramentum, si quid aliud intelligant adversarii quæstio erit de nomine & non de re.

2<sup>o</sup>. Quia Sacramentum denominatur sacramentum à gratia, sicut sanum denominatur solum à sanitate.

Et ita Sacramentum ordinatur ad gratiam, non ordinatur ad gratiam, illam continendo substantialiter sicut Deus; quia Sacramentum est creatura, & creatura non continet substantialiter gratiam, non ordinatur ad gratiam recipiendam formaliter sicut Angelus, vel anima, quia non est substantia intelligens receptiva gratiæ sanctificantis, ergo ordinatur ad gratiam significando & causan-

*do eam in homine; quia non potest aliter ordinari, & ideo dicitur Sacramentum, seu signum sacrum significando, & causando gratiam in homine:*

Sicut ambulatio dicitur sana significando, & causando sanitatem in homine, & quia gratia habitualis, non verò actualis formam liter sanctificat, idè dicitur signum gratiæ habitualis.

*Consecratio educta ex hoc principio.*

*Sacramentum est signum gratiæ sanctificantis.*  
Ergo non est signum naturale, quia non significat ex naturâ gratiam, sicut fumus significat ex naturâ ignem, rubor faciei motum cordis.

*Sacramentum non est signum naturale gratiæ.*  
Ergo est signum ex instituto, quia omne signum vel est naturale, vel ex instituto.  
v. g. Fumus est signum naturale ignis, vexillum est signum ex instituto prælii, verba hominum sunt ex instituto signa cogitacionis.

*Sacramentum est signum ex libero instituto.*  
Ergo vel est ex institutione divina, vel ex institutione creata, scilicet angelica, vel humana, quia omnis institutio libera est vel à Deo, vel ab Angelo, vel ab Homine, quia non datur nisi triplex agens liberum, scilicet Deus, Angelus, & Homo.

*Sacramentum est signum ex instituto vel divino, vel angelico, vel humano.*

Ergo Sacramentum est signum ex instituto divino, quia cum nec Angelus nec homo

T A C T . D E S A C R A M E N T I S 383  
possint certò producere gratiam , sequitur  
quod non possint instituere signa , quæ certò  
& infallibiliter significant gratiam.

*Sacramentum est signum ex instituto Divino.*

Ergo Sacramentum est tale , quale Deus  
voluit , quia signa ex instituto pendet om-  
nino ex voluntate instituentis.

*Sacramentum est tale quale Deus voluit.*

Ergo in doctrina Sacramentorum non aliæ  
debent afferri rationes quām ex , quæ in vo-  
luntate Dei nitantur , tota enim ratio facti  
debet esse voluntas facientis. Et ita quoties  
inquiritur ratio quare sint septem Sacra-  
menta nec plura nec pauciora : Quare Deus  
hæc signa elegerit , potius quām alia , so-  
lū respondendum ; Ita Deo visum est. Quod  
equidem habemus ex revelatione residente  
in scriptura & traditione , & nobis per Ec-  
clesiam proposita. Rationes verò si quæ affe-  
rantur à Theologis , non sunt demonstratio-  
nes quæ demonstrent quod asserimus , sed  
funt congruentiæ quæ nobis suadent quod  
per fidem ut certum habemus. Quæ ratio-  
nes non sunt quidem spernendæ , sed iis uten-  
dum est ad levandam debilitatem intelle-  
ctus.

*In explicanda natura Sacramentorum non  
aliæ debent afferri rationes , nisi que nitantur  
in revelatione , contenta in scriptura & tra-  
ditione , vel in congruentiis quæ à Patribus &  
Theologis afferri solent.*

Ergo non male asserimus septem esse Sa-  
cramenta nec plura nec pauciora , scilicet  
Baptismum , Confirmationem , Eucharistiam ,  
Pœnitentiam , Extremam-unctionem , ordi-

nem, & matrimonium, habemus enim per revelationem contentam in scriptura & traditione, praedicta Sacra menta, & hanc affert congruentiam Eugenius in instructione ad Armenos. Per baptismum, inquit, spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in graia & roboramur in fide, renati autem, & roborati nutrimur divinâ Eucharistie alimonâ; quod si per peccatum ægryitudinem incurrimus animæ, per pénitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiâ & corporaliter, prout animæ expedit per Extremâunctionem, sanamur. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter. Per matrimonium corporaliter augetur. Tota autem Ecclesia est in possessione horum septem Sacramentorum, & semper fuit in eadem possessione. Ut patet ex Conciliis Trident. Florent. Constan. ex usu Ecclesiæ Orientalis, quæ licet schismate jam pridem ab Ecclesia Romana divisa, tamen nullum negat Sacramentum, ergo signum est septem Sacra menta à Christo esse instituta, ergo retinenda sunt septem hujusmodi Sacra menta.

*Non male assērimus septem esse Sacra menta innixi traditione & universalī Ecclesiæ praxi.*

Ergo male nobis objicitur rejicienda esse illa septem Sacra menta, quia scriptura nullibi docet esse septem Sacra menta, & quod Patres non mentionem faciant de septenario numero Sacramentorum. 1º. Quia sufficit quod traditio id doceat. 2º. Quia licet scriptura non dicat esse duodecim articulos fidei, quatuor esse Evangelia, tamen reverenter ob traditionem & duodecim articulos &

quatuor Evangelia suscipimus. Quidni septem Sacra menta pari pietatis affectu suscipiemus. Patres verò antiquiores non singula per currunt Sacra menta in suis libris, vel quia de Sacra mentis notioribus loquebantur. v.g. Baptismo; Eucharistiā, & alia Paganis occultabant, ut monet Aug. in Psal. 103, vel quia cum Baptismus & Eucharistia ex expresso Christi mandato singulis essent necessaria, ita hæc duo Sacra menta singulis erant explicanda. Non desunt tamen Patres qui de aliis Sacra mentis loquantur, ut videre est apud Estium, in 4. distin. 1.

## ARTICULUS III.

*De Sacramento quatenus sensibili.*

Propositio unica. *Sacramentum est signum sensibile.*

I. Quia nihil aliud intelligimus, &c.

II. Quia Deus agit in rebus juxta modum rerum, cum ergo Sacra menta sint proper homines, & homines conveniant duci rebus sensibilibus, Sacra menta debent esse aliquid sensibile.

III. Homo lapsus erat in peccatum indebit, inhærendo sensibilibus, ergo congruum fuit ut ex divinâ bonitate ex sensibilibus remedium sumeret, & sic appareret sensibilia ut potè à Deo creata esse bona, & ea tantum esse hominibus noxia, quando eis in ordinate utantur.

4'. Deus alloquitur homines per sensibiles figuræ in scripturis, per Angelos sensibiliter apparentes, per filium in humanitate

sensibili sensibiliter conversantem, ergo congruè utitur Sacramentis sensibilibus.

Unde omnia Sacra menta sunt sensibilia.

Baptismus in aquâ & in verbis. Confirmatio in materia scilicet manuum impositio ne vel Chrismate, vel utroque & in verbis. Eucharistia in speciebus consecratis, & in verbis consecrationis, pœnitentia in actibus sensibilibus pœnitentis & in verbis absolutionis. Extrema-unctio in oleo & in verbis. Ordo vel in impositione manuum vel in exhibitione vel contactu materiæ per quam designatur potestas conferenda ordinato, & in verbis Episcopi ordinantis. Matrimonium in actibus sensibilibus partium contrahentium, proindè licet corpus Christi in Eucharistiâ non sit sensibile tatione sui; quia non habet quantitatem in ordine ad locum, est tamen sensibile ratione specierum Eucharisticarum, quæ ut potè habentes quantitatem in ordine ad locum sunt sensibiles. Attritio pariter in confessione & consensus in matrimonio etiâ non sint sensibiles ratione sui, quia sunt actus interni, sunt tamen sensibiles ratione alterius; quia exprimuntur per signa sensibilia.

*Consecratio educata ex predicto principio.*

*Sacramentum est signum sensibile.*

Ergo est compositum morale, quia omne signum sensibile, si sit arbitratum, & expressè significativum, quale est Sacramentum, est compositum morale ut patet inductivè v. g. syllaba BA. componitur ex B. & A. hæc dictio PATER. Coalescit ex PA. & TER. Sic propositio

TRACT. DE SACRAMENTIS. 387  
positio illa *Pater est bonus*, constat ex istis  
vocibus, *Nimirum, Pater & bonus.*

*Sacramentum, est compositum morale.*

Ergò constat ex materia & forma seu ex multis moraliter componentibus quorum unum habet moraliter rationem formæ, & aliud rationem materiae, quorum unum determinat, & unum determinatur, quorum unum significat minus expressè, aliud magis expressè; quia sicut in omni composito phisico est realiter materia & forma, ita in omni composito morali debet esse moraliter materia & forma, & sicuti in composito phisico materia & forma existunt simul, conjunctione phisicâ, ita in Sacrementis utpote compositis moralibus, materia & forma debent simul existere conjunctione morali, & non separari ongâ interpolatione.

*Sacramentum constat ex materia & formâ  
moraliter compoeniibus.*

Ergo non incongruè dicitur, quod Sacramentum constet rebus & verbis. Rebus tanquam materia, verbis tanquam forma; quia in omni composito morali, præcipue si sit sub genere signi, est aliquid quod vocatur res, seu materia, & aliquid quod vocatur verbum seu forma. Sic in typis allegoricis Gallicè, devises, sunt res & verba, res, nimirum, pictura, quæ est quasi corpus, & verba quæ sunt quasi anima.

Ratio ulterior est quia res ultimum locum tenent, inter signa ad placitum, verba vero primum locum occupant, res ergò de-

terminantur per verba, & proinde res determinabiles debent dici materia, quia materia est id quod determinatur, verba vero determinantia debent dici forma, quia forma est id quod determinat.

*Sacramentum constat rebus tanquam materiam, verbis tanquam formam.*

Ergo res & verba sunt de essentiâ Sacramentis; Quia materia & forma sunt de essentiâ compositi, tum phisici, tum moralis, exenim si sola forma, vel sola materia esset de essentiâ compositi tum phisici, tum moralis, compositum esset æquè simplex ac pars.

*Res & verba sunt de essentiâ Sacramenti.*

Ergo si res & verba immutentur substantialiter, non erit Sacramentum, quia mutata essentiâ rei, non est res. Sic v. g. si tollas naturam hominis, non erit homo.

Ergo si res & verba mutentur accidentaliter, verum erit Sacramentum; quia mutatio accidentalis, non tollit essentiam rei, ut patet ex aquâ, quando de calida fit frigida, & vice versa, de frigidâ fit calida.

*Mutatio est essentialis in Sacramentorum materia, quando materia deperdit esse Phisicum, quod habebat, vel fit inepta ad Sacramentalem actionem. v. g. si aqua mutetur in vinum, vel si aqua congeletur & fiat inepta ad abluendum.*

*Mutatio est accidentalis, Quando remanet in eâdem specie, & cum aptitudine ad actionem Sacramentalem. v. g. si aqua calefiat, aut frigefiat, aqua enim calida & frigida, est si bstantialiter aqua, & apta ad abluendum.*

*Mutatio est essentialis* in forma Sacramentorum, quando destruitur sensus verborum, ita ut verba significant disformiter ad id quod prius significabant.

*Mutatio est accidentalis* in forma Sacramentorum, quando non destruitur sensus verborum.

*Mutatio initialis in verbis vulgo est essentialis*, mutatio facta in fine est vulgo accidentalis. Sic ego te Baptizo in nomine matris, mutando pa. in ma. est mutatio essentialis. Ego te baptizo in nomine patrias mutando is tu ias, est mutatio accidentalis.

#### ARTICULUS IV.

*De Sacramento quatenus significat gratiam.*

*Propositio unica. Sacramenta est signum sensibile gratiae sanctificantis.*

Probatur. 1°. Nihil aliud intelligimus. 2°. Ut aliquid sit Sacramentum debet significare non quamcumque rem sacram sed gratiam sanctificantem, seu habitualem; sola enī gratia habitualis est ea quæ formaliter sanctificat, & ita crux, Evangelium, non sunt Sacra menta, etiam si significant aliquid sacram, quia non significant, nec conferunt ex se gratiam sanctificantem.

*Sacramentum significat gratiam habitualēm seu sanctificantem.*

Ergo Sacramentum significat aliquo modo tria, passionem Christi, gratiam & gloriam, quia tria illa concidunt ad justificationem, nam ad justificationem passio con-

currit effectivè , gratia formaliter & gloriæ finaliter , ideo Sacramentum dicitur signum demonstrativum gratiæ præsentis , signum rememorativum passionis peractæ , & signum pronosticum gloriæ futuræ .

*Sacramentum significat tria.*

Ergò licet significet plura non causat æquivalvocationem & confusionem , quia illa multa sunt ad invicem ordinata , passio enim ordinatur ad gratiam producendam & gratia ad gloriam obtinendam .

## ARTICULUS V.

### *De Sacramento quatenus divinitus institutum.*

Propositio I. Sacramentum est signum institutum à Deo .

Probatur 1<sup>o</sup>. Nihil aliud intelligimus per Sacramentum . 2<sup>o</sup>. Sacramentum non est ex instituto Angelico vel humano . Ergo est ex instituto divino . 3<sup>o</sup>. Sacramentum ordinatur ad producendam gratiam , sed solus Deus potest principaliter producere gratiam ; & creatura nequit illam producere nisi instrumentaliter , ergo solus Deus potuit principaliter instituere Sacra menta , & crearura potuit solum instrumentaliter . Ita Chrysost . homil . 25 . in Joan .

Propositio 2. Congruum fuit quod Christus immediate instituerit Sacra menta ; hoc sensu quod Christus quædam instituit Sacra menta , & contulit . v. g . Baptismum & ordinem , vel quædam designavit quæ Aposto-

li occurrente occasione instituerent, & celebrent, & hoc sensu quod Christus sit in omni Sacramento operator.

Probatur 1<sup>o</sup>. Sic se habet Christus in mundo reparato sicut Deus in mundo condito, ergo sicut Deus creator immediatè produxit, præcipuas mundi partes, ita Christus redemptor immediate debuit instituere Sacra menta, quæ sunt quasi præcipua mundi reparati medicamenta, & sicuti Deus mundum à se immediatè productum gubernat, mediantibus Angelis gubernantibus, ita Christus Sacra menta à se immediatè instituta dat fidelibus mediantibus suis ministris Sacra menta ministrantibus.

2<sup>o</sup>. Christus est princeps Ecclesiæ, & origo gratiæ, ergo & author Sacramentorum Ecclesiæ.

3<sup>o</sup>. Christo debet tribui omnis perfectio creaturæ communicabilis, & quæ non repugnat fini incarnationis, qualis erat institutio Sacramentorum 4<sup>o</sup>. Ita docet Trident. sess. 7. Can. 10. 5<sup>o</sup>. Aug. docet Sacra menta omnia fluxisse de latere Christi. Trac. 120. in Joan. & in Psal. 56. ideo ait: *ipse est qui baptizat, ipse est qui per Sacerdotes peccata dimittit.* Trac. 5. in Joan. ergo Christus instituit omnia Sacra menta.

### *Consecratio prædicti principii.*

Christus immediatè instituit Sacra menta, Ergo instituit omnia & singula Sacra menta novæ legis, & non Sacra menta legis naturæ, neque legis Mosaïcæ; quia institutor

Sacramentorum ut potè determinans materiam & formam, debet realiter existere; cum instituantur Sacra menta, Christus autem non realiter tunc existebat, sed erat solum aliquando extitus; instituit autem Sacra menta novæ legis ut patet haec inductione. Instituit enim Baptisma. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* confirmationem promisit; promittens spiritum sanctum Joan. 16. *Si abiero mittam eum ad vos, &c.* Eucharistiam celebravit Matt. 26. pœnitentiae tribunal erexit. Joan. 20. *quorum remiseritis peccata, &c.* Extremam-unctionem insinuavit Mar. 6. ordinis potestatem dedit Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam Apostolos, &c.* Matrimonii iurafirmavit dicens *quod Deus coniunxit homo non separet;* etenim ut dicit Aug. Plus apud nos valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri. videtur autem Baptisma instituisse, cum baptizatus est, quia tunc vim regenerativam aquis contulit, & quia tunc forma baptismi implicitè expressa est, patet enim apparuit in voce, filius carne, spiritus sanctus in specie columbae. Hæc verba nisi quis renatus fuerit, denotant necessitatem baptismi. Hæc verba *Euntes baptizate eos in nomine patris, &c.* Denotant obligationem conferendi & recipiendi Baptismum. Confirmationem videtur instituisse *Designative*, quando imponebat manus supra pueros quia tunc designabat impositionem manuum Sacramentalem: *Effective* quando ordinavit Apostolos Episcopos; *Quia* tunc constituit ministrum confirmationis; *formaliter* in nocte cœnæ quando docuit Apostolos materiam.

hujus Sacramenti nimirum Chrisma confidere. Eucharistiam instituit in nocte cœnæ quando accipiens panem & vinum dedit discipulis suis Matth. 26. pœnitentiam videtur instituisse Designativè quando dixit Petro quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis: Formaliter quando dixit Apostolis accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Joan. 20. Extremam unctionem videtur instituisse Designativè quando misit Apostolos qui inungerent infirmos. Marc. 6. Formaliter in nocte cœnæ quando docuit Apostolos materiam hujus Sacramenti confidere.

Ordinem videtur Formaliter instituisse quando Apostolos ordinavit in nocte cœnæ, dicens; *Hoc facite in meam commemorationem* Matrimonium videtur instituisse Designativè quando interfuit nuptiis in Canâ Gallileæ. Formaliter quando dixit quod Deus coniunxit homo non separat.

*Christus instituit Sacra menta novæ legis imme diatè hoc sensu quod ipse quædam Sacra menta instituit & contulit, vel quod Apostolis dedit mandatum, ut postea occurrente occasione Sacramentum à se designatum conferrent aut celebrarent.*

Ergo determinavit vel in genere, vel in specie, materiam & formam Sacramentorum, quia instituere Sacra menta est determinare illorum materiam & formam, cum Sacra menta constent essentia liter ex materia & formâ. Sic Christus in specie determinavit materiam & formam baptismi nimirum quam, & hæc verba, *ego te baptizo, &c.*

Sic determinavit *in specie* materiam & formam pœnitentiæ nimirum *actus pœnitentis* quales sunt contritio, confessio, satisfactor. Et hæc verba *ego te absolvō à peccatis tuis.*

Sic determinavit materiam & formam Eucharistiæ nimirum *panem*, & *vinum*, & hæc verba consecratoria *hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, &c.

Sed determinavit solū in genere materiam & formam aliorum Sacramentorum præscribendo solū res sensibiles adhibendas esse pro materia & forma, relinquens Ecclesiæ determinandam materiam, & formam in particulati. Quia habemus ex Euchologiis non eamdem specie materiam, & formam in istis Sacramentis ab Ecclesia semper fuisse usurpatam, quod significat eam materiam non fuisse à Christo determinatam, quia Ecclesia utpote fidelis sponsa numquam mutavit quæ à Christo accepit.

*Christus determinavit materiam & formam Sacramentorum vel in genere, vel in i specie.*

Ergo non licet Ecclesiæ, vel homini privato mutare materiam & formam Sacramentorum, non enim licet inferiori ministro invertere, quod superior præscriptis & sicuti quod Deus conjunxit homo non debet separare, ita quod Deus instituit homo non debet mutare.

*Non licet Ecclesiæ vel privato homini mutare materiam vel formam Sacramentorum.*

Ergo si quæ videatur mutatio introducta in Ecclesiâ in usu Sacramentorum, hæc mutatio, vel est accidentalis, vel solū cœrimonialis, vel conditionalis, id est, appositorio conditionis; hæc enim mutationes utpote

TRACT. DE SACRAMENTIS. 399  
non essentiales, possunt introduci ab Ecclesia ob potestatem quam accepit à Christo.

*Accidentalis vel cærimonialis mutatio potest ab Ecclesia induci; Ecclesia enim potest ad ornamentum Sacramentorum, ad populi instructionem, & ad plebis ædificationem novas cærimonias & solemnitates in Sacramentis conferendis adjicere.*

Sic Ecclesia addidit cærimonias aliquas in solemnī Sacramentorum administratione, quæ à Christo, vel ab Apostolis non adhibebantur.

*Mutatio conditionalis potest ab Ecclesia induci, quia Ecclesia utpote res publica, potest quasdem conditiones contractibus apponere, quibus omissis contractus sunt nulli.*

Sic apposuit matrimonio istam conditionem quod celebraretur coram Parocho, & duobus testibus.

*Potest Demum designare Ecclesia in specie, quod Christus designavit tantum in communi & genere. v. g. Ecclesia acceptis à Christo signis sensibilibus in communi adhibendi pro aliquibus Sacramentis potest determinare in specie res alias sensibles.*

Sic determinauit in specie certam materiam ut materiam confirmationis, Extramæunctionis, & ordinis, quæ à Christo & ab Apostolis non adhibebatur in eadem specie, sed solum in genere. Ita docent insignes Theologi; scilicet, Petrus cantor in summa de Sacramentis; Alexander Alensis in quartâ parte summæ; St. Bonaventura. in 4. senten Bellarm. lib. de ordine & extremâunctione, cap. 9. Morinus. lib. 8. de admi-

nist. Pœnit. & Dominus de Goudeau lib. cui titulus est *discours sur les Ordres sacrés*. Quamvis alii doceant materiam ejuscumque Sacramenti esse à Christo in specie determinatam, & mutationem sive contingit esse accidentalem.

*Si quæ videatur mutatio facta in Sacramentis hæc mutatio vel est solum accidentalis, vel cæterinalis, vel conditionalis, seu appositoria conditionis.*

Ergo si circa confirmationem, ordinem, & matrimonium, non iidem semper viguerint in Ecclesiæ ritus, non inde sequitur diversa esse hæc tria Sacraenta ab his, quæ initio Ecclesiæ conferebantur. Manserunt enim semper eadem Sacraenta ut loquitur Trident. saluā eorum substantiā; Scilicet quod fuerint cæterinalē sensibiles, ad significandam & conferendam gratiam divinitus institutæ, In genere quidem, licet non in specie.

## ARTICULUS VI.

### De Sacramento quatenus causa gratiae.

Propositio unica Sacramentum est signum sensibile usu suo gratiam conferens.

Probatur 1'. Nihil aliud intelligimus per Sacramentum 2'. Scripturā singulis Sacramentis vim efficiendi gratiam adscribit loquens enim de Baptismo ait, *salvo nos fecit per lavacrum regenerationis* ad Tit. 3. cap. De confirmatione vero dicitur quod videns Simon magus quod per impositionem manuum daretur spiritus sanctus voluerit vim illam

conferendi spiritum sanctum emere. De Eucharistiâ sic habet. Joan. 6. cap. *Caro mea verè est cibus... qui manducat me vivet propter me.* De poenitentiâ. Joan. 20. dicitur quorum remiseritis peccata remittuntur eis, de extre-  
mâ-unctione, sic habet Jacobus 2. si in pec-  
catis sit infirmus scilicet remittentur ei. De or-  
dine autem declarat. Paul. 1'. Ad Timo. 4.  
cap. quod gratia data sit Timotheo, per im-  
positionem manuum presbyterii, Demum apud  
nos plus valet in matrimonio sanctitas Sacra-  
menti, quam fœcunditas uteri; inquit Aug. 3'.  
Juxta patres Sacraenta se habent ad gratiam  
sicuti fons ad aquam, uterus ad embrionem,  
aqua calefacta ad calorem, Jordanis ad le-  
pram mundatam, virga Moysis ad mare ru-  
brum divisum, gratiam que non modo signi-  
ficant, uti arcus in nubibus significabat di-  
luvium aquæ jam præteritum, & diluvium  
ignis aliquandò futurum ut inquit Gre-  
gorius. Sed Sacraenta signa sunt prac-  
tica gratiæ, sicut hæc verba, fiat lux; *Lazare  
veni foras,* efficiebant quod significabant. 4'.  
Sacraenta sunt instrumenta Christi, & appli-  
catio passionis illius, ergo ad id ordinantur ad  
quod Christus ordinabatur: ergo cum Chris-  
tus venerit ut gratiam conferret hominibus,  
*Ego veniut vitâ habeant & abundantius habeant:*  
Sacramentū debet usu suo conferre gratiam.

### Consecraria hujus doctrinae.

Sacramentum est signum sensibile practicum  
usu suo gratiam conferens.

I. Ergo Sacramentum confert gratiam ex  
opere operato, id est, ultra debitum subjecti

398. MORALIS CHRISTIANA  
recipientis, & meritum ministri conferentis,  
si enim Sacra menta non conferrent gratiam  
ultra debitum recipientis, & meritum con-  
ferentis, non essent causæ magis efficaces gra-  
tiaæ, quæ sunt bona opera, quibus ad gra-  
tiam disponimur, & sic receptio Sacramen-  
torum esset quasi inutilis recipienti; cum  
aliundè æque uberem posset recipere gra-  
tiam excitandò se v. g. ad pietatem: sicuti  
calor ignis admotus animali esset illi inuti-  
lis si nullum alium gradum caloris afferret  
nisi eum quem animal excitando se posset  
accipere independenter ab igne. Secundò  
quia si Sacra menta non conferrent gratiam  
ultra debitum subjecti & sanctitatem minis-  
tri essent inutilia collata pueris, & amenti-  
bus, in quibus nulla est supernaturalis dis-  
positio. Imò & inutilia essent etiam & ipsis  
adultis ritè dispositis, quando per malos  
ministros conferrentur; utrumque tamen fal-  
sum esse probat Ecclesiæ praxis.

II. Ergò Sacramentum non est tantùm ri-  
tus excitans fidem, & Symbolum acceptæ per  
fidem gratiaæ, & pignus quo Deus se nobis  
oppignoret, vel quo nos oppignoremus Deo;  
sed insuper verè est causa instrumentalis gra-  
tiaæ, quia licet prædicta omnia significant ali-  
quem effectum Sacramenti, non tamen signi-  
fificant præcipuum scilicet producere gratiam.  
Deinde Sacramentum esset nullum collatum  
parvulis, collatum amentibus, collatum  
idiomate ignoto quia non posset excita-  
re fidem. Demum Sacra menta veteris  
legis ut potè solempniori apparatu collata,  
magis fidem excitantia, essent perfectiora Sa-  
cramenta.

Sacramenta, quām Sacra menta novae legis, licet vocentur à D. Paul. infirma & egena eleminta.

III. Ergo Sacramentum non est tantum conditio sine quā non, ad cuius præsentiam Deus operetur gratiam, vel signum merè speculativum gratiæ, sed est instrumentum verè effectivum gratiæ, vel morale, vel phisicum. Conditio enim sine quā non, & signum speculativum nihil operatur neque phisicè, neque moraliter ad effectum. v. g. Lex de successionibus filiorum causa est moralis cur filius ad hæreditatem vocetur, actus auctem Parochi attestantis aliquem esse filium alterius, signum quidem est deferendæ hæreditatis sed non causa, si inspiciamus autem modum loquendi vel scripturæ, vel patrum, Sacra menta sunt non tantum conditiones, sed causa gratiæ, non signa speculativa, sed practica.

*Sacramentum non est tantum signum speculativum sed practicum gratiæ, non est tantum conditio sine quā non, sed instrumentum verè effectivum.*

Ergo verba Sacramentorum non sunt tantum excitativa fidei, & deprecatoria solum gratiæ, & concionatoria tantum ad populum, sed consecratoria & effectiva; etenim si totum Sacramentum sit effectivum gratiæ, præcipua illius pars nimis formæ seu verba debent esse effectiva. Quando autem Aug. dicit tract. 8. in Joan. verbum Sacramentale operari; Non quia dicitur, sed quia creditur, non sensus est quod debeat credi vel à suscipiente, vel à ministrante, cum juxta cum-

430 MORALIS CHRISTIANA.

dem Aug. Sacramentum operetur sine utriusque pietate & fide , sed sensus est quod verbum Sacramentale creditur ab Ecclesiâ, id est , habetur ut cœremonia sacra , & ut professio fidei in Christi Ecclesiâ.

*Verba Sacramentorum non sunt concionatoria tanium , vel deprecatoria , sed effectiva gratiae.*

Ergo ut plurimū verba Sacramentorum debent conferri sub formâ expressâ per modum indicativum , & non per modum optativum, quia per modum indicativum melius exprimitur efficientia , quam per modum optativum ; v.g. *Ego te baptizo*, melius exprimit, quam hæc forma *baptisem hunc puerum*. Quod si sint quædam Sacra menta, quæ collata fuerint verbis deprecatoriis , sensus tamen Ecclesiæ semper fuit , quod verbis etiam illis exprimeretur & subintelligeretur efficientia Sacramenti.

Quod si Extrema-unctionio conferatur, etiam nunc modo deprecatorio : *Indulgeat tibi Deus , quidquid per sensus deliquisti*; ideo hoc sit , inquit D. Th. quod Extrema-unctionio Sacramentum sit infirmorum & morientium, qui orare non possunt , & qui tamen maximè oratione egeant , & insuper quia si expediatur, confertur sanitas corporalis per Extremam-unctionem, ad quem effectum corporalem decet Sacramentum ordinari per orationem ministri.

*Alia Consecataria ejusdem principii.*

Sacramentum est signum sensibile usus suo gratiam Christi conferens.

TRACT. DE SACRAMENTIS. 403

Ergo confert gratiam Christi, juxta diversam significationem, quam per res & verba exprimit, quod enim operatur gratiam media significatione, debet eam producere juxta diversam significationem quam exprimit.

*Sacramentum producit gratiam juxta diversam significationem quam per res & verba exprimit.*

Ergo quodlibet Sacramentum diversam & specialem producit gratiam; quia quodlibet Sacramentum diversam & specialem habet significationem v. g. Baptismus significat spiritualem regenerationem, Confirmatio spirituale robur, Eucharistia nutritionem, Extrema-uncio convalescentiam, ordo prælationem, Matrimonium unicem Christi cuius est beneficium.

*Quodlibet Sacramentum diversam & specialem producit gratiam., juxta diversam & specialem significationem quam habet.*

Ergo Baptismus producit gratiam regenerantem, Confirmatio gratiam roborantem, Eucharistia gratiam nutrientem, Pœnitentia gratiam resuscitantem, Extrema-uncio gratiam peccatorum reliquias abstergentem, ordo gratiam aliis utiliter ministrandi sacra, & Matrimonium gratiam quâ conjugati vivant ut repræsentantes unionem Christi cum Ecclesiâ, quâve sanctè generent, & educent filios in timore Domini; singula enim hæc Sacra menta, singularem illam significant sanctitatem.

*Baptismus confert gratiam regenerantem & Confirmatio roborantem , &c.*

Ergò duo Sacra menta Baptismus scilicet & pœnitentia vitam spiritualem dant, & incipiunt; cætera verò Sacra menta vitam spiritualem non dant, sed supponunt, non conferunt, sed adaugent diversimodè; quia ut moneret Trident. Baptismus est id à quo *omnis justitia incipit*. Pœnitentia est id à quo *justitia amissa reparatur*, & cætera Sacra menta sunt id à quo vita spiritualis accepta augetur.

*Baptismus & Pœnitentia conferunt & incipiunt vitam spiritualem, cætera verò Sacra menta non incipiunt sed augent.*

Ergo Baptismus & Pœnitentia non incongruè vocantur *Sacra menta mortuorum*, quia dantur mortuis non corporaliter, sed spiritualiter per peccatum, cætera verò *Sacra menta vivorum*; quia dantur ~~viventibus~~ spiritualiter per gratiam.

*Baptismus & pœnitentia congruè vocantur *Sacra menta mortuorum*, reliqua verò *Sacra menta vivorum*.*

Ergo Baptismus & Pœnitentia per se producunt primam gratiam, alia verò secundam; quia ad id Sacra menta mortuorum per se ordinantur v. g. Baptismus ordinatur ad incipiendam vitam spiritualem, pœnitentia ad eam reparandam, cætera verò Sacra menta ad eam adaugendam, quorum priùs fit per primam gratiam, posterius verò per secundam.

*Baptismus & Pœnitentia per se producunt primam gratiam, cætera Sacra menta secundam.*

Ergo nihil obstat quod per accidens Sacra-  
menta vivorum producant primam gratiam,  
& Sacra-menta mortuorum secundam ; scilicet si ita exigat status & dispositio subje-  
cti recipientis Sacra-menta , cum enim Sacra-  
menta sint applicatio passionis Christi ,  
& applicatio passionis Christi nequeat esse  
sine fructu gratiae : quoties subiectum non  
habet dispositiones gratiae contrarias , toties  
debet produci gratia , ergo producetur se-  
cunda gratia , si subiectum jam habeat pri-  
mam gratiam , producetur vero prima gratia ,  
si subiectum non habeat primam gratiam ,  
& sit dispositus ad illam recipiendam .

Et ita si ille qui accedit ad Baptismum &  
Poenitentiam sit perfectè contritus , habeat  
que gratiam habitualem , hanc Baptismus  
& poenitentia non conferunt ; quia suppon-  
nitur esse in anima , sed eam gratiam insigni-  
ter adaugebunt . Ita pariter si ille qui susci-  
pit Eucharistiam , Extremam-unctionem ,  
&c. sit in peccato mortali quod inculpabili-  
ter ignorat , vel in peccato mortali cogni-  
to , quod confireri non potest , eo quod copiam  
confessarii non habeat si Sacra-  
mentum vivorum , v. g. Eucharistiam , Extremam-  
unctionem , &c. suscipiat cum sufficienti  
contritione , tunc Sacra-mentum vivorum pro-  
ducet per accidens primam gratiam , & ju-  
stificabit uti faceret Baptismus & poeniten-  
tia ; cum enim Sacra-mentum illud sit passio-  
nis Christi applicatio ; proinde nequit esse  
sine fructu gratiae . Ergo si non possit produ-  
cere secundam gratiam , debet producere pri-  
mam .

*Alia consectoria ejusdem principii.*

*Sacramentum est signum sensibile usu suo gratiam conferens.*

Ergo Sacramentum usu suo applicat nobis passionem Christi, quâ pro nobis meruit, & quâ pro nobis satisfecit, etenim Sacramentum non potest aliter nobis gratiam Christi conferre.

*Sacramentum usu suo applicat nobis passionem Christi quâ pro nobis meruit, & pro nobis satisfecit.*

Ergo Sacramentorum receptio non dispensat adultos ab exercitio bonorum operum, quibus & se disponant ad gratiam, & quibus sub Christo capite, sibi mereantur gloriam, & pro peccatis satisfaciant; passio enim Christi, utpotè causa universalis, non excludit, sed exigit cooperationem omnium nostrum qui sumus causæ particulares: meritum pariter & satisfactio Christi capit is non excludunt, sed exigunt meritum & satisfactionem omnium nostrum qui sumus ejus membra. Dicit enim nobis Christus: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita ex vos faciatis,* & Paulus ait: *Adimpleo quæ desunt passionum Christi: applicando scilicet sibi per Sacra menta meritum passionum Christi.* Unde ad hoc ita nos hortatur, Paulus, *Imitatores, inquit, mei estole sicut & ego Christi: Nosque in eo labore consolatur his verbis: Si compatimur cum Christo, cum illo conglorificabimur.*

*Sacramentorum receptio non dispensat adul-*

Ergo receptio Sacramentorum non fovet pigritiam & socordiam in recipientibus, sed è contrà in his zelum & ardorem excitat: Christi satisfactionem non minuit, sed è contra ejus infinitudinem ostendit: non fovet pigritiam, cum exercitium virtutis non impedit, sed imperet: non minuit Christi satisfactionem, sed ejus infinitudinem clarius indicat; influxus enim causæ inferioris sub superiori, causæ superioris dignitatem non minuit sed ejus & dignitatem & necessitatem magis ostendit; cum causa inferior nihil agat nisi dependenter à superiore: meritum & satisfactionem membrorum non evacuat meritum, & satisfactionem Christi capitatis, sed contrà ipsius dignitatem, & necessitatem apertius patefacit; cum quotquot sumus Christi membra nihil agamus nisi dependenter à Christo; dependemus enim à Christo, sicuti membra à capite, sicuti vites à palmito, sicuti ædificium à petra angulari, sicuti oves à pastore, discipuli à doctore, demum sicuti creaturæ à creatore, ipsius enim factura sumus creati in operibus bonis. Neque enim, ut inquit Tridentinum, ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolviimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui non confortat, omnia possumus, & ita non habet homo unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos patientie; qui ex illo vim habent, ab illo offe-

406 MORALIS CHRISTIANA.  
runtur patri & per illum acceptantur à pa-  
tre.

*U*sus Sacramentorum nec in Christianis pi-  
gritiam fovet nec Christi satisfactionem ener-  
vat.

Ergò in christianâ religione non potest  
pietas solidior suaderi fidelibus quam fre-  
quent sed sancta Sacramentorum acceptio, in-  
culcando tamen semper quam pias & sanctas  
dispositiones quodlibet Sacramentum exigat:  
& ita quæcumque sunt in Ecclesiâ eò ten-  
dant oportet, ut plebs christiana ad frequen-  
tem sed sanctum Sacramentorum usum excite-  
tur. Eo fine dantur indulgentiae à summis  
pontificibus, eodem fine sunt frequentes  
missiones in urbibus & in pagis, nec aliam  
ob causam creatæ sunt à pii & religiosis ho-  
minibus confraternitates Rosarii, Scapularii  
nisi ut fideles & frequentiūs & sanctiūs Sa-  
cramenta reciperent, ut gratias sibi necessa-  
rias ab his sacris fontibus haurirent.

*Alia Consecaria ejusdem principii.*

*Sacramentum est signum sensibile usu suo gra-  
tiam Christi conferens.*

Ergò si inquiratur quæ sit causa gratiæ in  
collatione & receptione Sacramentorum sic  
respondendum est, causa principalis Deus  
est, juxta illud: *Gratiam & gloriam dabit  
Dominus.* Humanitas Christi est instrumen-  
tum conjunctum divinitati, quia Deus uti-  
tur humanitate Christi verbo hypostatico  
unita ad producendam gratiam, juxta illud:  
*Gratia per Jesum Christum facta est.* Sacramen-

tum est instrumentum separatum à supposito à divinitate, quia Deus utitur Sacramentis ad producendam gratiam, juxta illud: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Sicuti enim dum queritur quæ sit causa scripturæ, respondetur animam causam esse principalem, manum vero instrumentum coniunctum, & calatum instrumentum separatum.

*In usu Sacramentorum Deus est causa principalis gratiae, humanitas Christi instrumentum conjunctum, & Sacramentum instrumentum separatum:*

Ergo Sacramentum confert gratiam juxta intentionem Dei moventis, & juxta intentionem animæ Christi motæ à Deo & moventis Sacra menta, quoties enim instrumentum planè subjicitur principali causa, ut contingit in proposito, toties effectus producitur juxta intentionem causæ principialis. Si enim calamus planè subjiceretur manu, & manus animæ, scriptio non aliter fieret quam ut eam fieri vellet & intenderet anima.

*Sacramentum confert gratiam juxta intentionem Dei moventis, & juxta intentionem animæ Christi motæ à Deo & moventis Sacramentum.*

Ergo Sacramentum quodlibet non confert gratiam nisi suppositis certis dispositionibus, in adultis, & nullis suppositis, in non adultis, talis enim est nitentis Dei, & Christi in usu Sacramentorum, ut adultis qui liberum habent rationis usum, sicut libera voluntate à gratiâ recesserunt, ita liberâ electione ad gratiam redeant, & in ea crescant, & per-

severent. E contra cum non adulti absque libertate personali in peccato sint, vult Deus Sacra menta eis absque ulla dispositione prodesse. Et sicut in Adamo geniti absque personali actu moriuntur, ita in Christo regenerati absque personali actu salvantur.

*Sacramentum quodlibet non confert gratiam nisi suppositis certis dispositionibus in adultis, & nullis suppositis in non adultis.*

Ergo Sacra menta possunt conferri non adultis, v. g. parvulis & amentibus, etiam si nulla sit in eis dispositio. v. g. Sacramentum necessitatis. Ut Baptismus debet eis necessariò conferri, Sacramentum non necessitatis, putà Confirmatio posset validè & fructuose illis conferri, Deus enim ab illis ut pote usu rationis caretibus non exigit dispositiones, adultis verò nulla sunt coae renda sacramenta, nisi dispositiones cui libet Sacramento congruae habeant, quia Ni ut potè habentes usum rationis debent cum debit is dispositionibus Sacra menta recipere.

*Sacra menta non sunt conferenda adultis nisi dispositiones habeant convenientes Sacramento, quod intendunt recipere.*

Ergo si velint Baptismum accipere debent habere fidem de Baptismo, dolorem de peccato, & oportet ut Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipient, inquit Trident. quia non aliter possunt, inquit Concilium, justificari per Baptismum, si verò velint pœnitentiam recipere easdem à fortiori dispositiones habeant necessum est; qui enim ab acceptâ per Baptismum justitiâ lapsi sunt, oportet ut & fide ardenter, & spe firmiore

TRACT. DE SACRAMENTIS. 409  
ri, & dolore acriori, & amore ferventiori, ad Deum offenditum redeant, si vero velint Sacra menta alia à Baptismo & à pœnitentia recipere, in statu gratiae sint necessarium est; hæc enim Sacra menta ut potè destinata ad adaugendam gratiam non nisi jam habentibus gratiam conferuntur.

*Si adulti velint Baptismum & pœnitentiam recipere debent habere eam fidem, spem, contritionem, & amorem initialem qualem descripsimus ex Trident. & si velint recipere sacramenta diversa à Baptismo & pœnitentiâ debent esse in statu gratiae.*

Ergo adulti, qui scienter Sacra menta sine prædictis dispositionibus recipiunt, sacrilegium committunt, quia indignè rem sacram scilicet Sacra menta sibi conferri permittunt. Idem sacilegium incurunt, qui scienter Sacra menta indignis conferunt, quia agunt contrà illud Christi: *Nolite dare sanctum canibus.*

*Qui scienter recipiunt Sacra menta sine debitis dispositionibus sacrilegium committunt, & pariter qui ea scienter conferunt indignis.*

Ergo quantumvis sanctus utilisque sit Sacramentorum usus non tamen passim & sine prudenti cautione est exercendus, ne bonum in malum, medicina in venenum, subsidium in nocumentum, demum causa salutis in occasionem damnationis ex pravo usu degeneret; de quolibet enim Sacramento dici potest, quod D. Thom. de Eucharistia pronunciat: *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.*

40 MORALIS CHRISTIANA,

*Alia Consecaria scholastica ex eodem  
principio educata.*

*Sacramentum est collativum gratiæ Christi.*

Ergo ex vi præsentis decreti debuerunt esse Sacra menta in lege naturæ, in lege Mosaïca, & debent esse in lege Evangelica, quia in triplici illa duratione homines egent gratiæ Christi Salvatoris, quia Deus post peccatum Adami proposuit Christum propitiationem per fidem.

*Fuerunt Sacra menta in Lege naturæ, in Lege Mosaïca, & Evangelica.*

Ergo ad minus fuerunt duo Sacra menta in lege naturæ, scilicet oblatio pueroru tollens peccatum originale, & Sacrificium tollens peccatum actuale mortale, quia hæc duo Sacra menta sunt absolutè necessaria.

Ergo in lege Mosaïca fuit Circumcisio tollens peccatum originale in masculis, & oblatio adhiberi solita in lege naturæ tollens peccatum originale in foeminis, expiations tollentes peccata actualia; Agnus Paschalis figurans Eucharistiam, & Ordinatio Levitica figurans Sacerdotium Christi; quia duo priora Sacra menta sunt absolutè necessaria ut homo salvetur. Duo posteriora fuerunt convenientia ut homo magnificaret suam fidem in Christum venturum modo perfectiori quam manifestabant homines in lege naturæ stantes.

In lege Mosaïca nullum fuit Sacramentum respondens Confirmationi, quia lex Mosaïca non poterat robur gratiæ producere.

Nullum

Nullum fuit Sacramentum respondens Extremæ-unctioni ; quia lex vetus non disponebat proximè ad ingressum ad gloriam.

Matrimonium in lege Mosaïca non fuit Sacramentum ; quia nondum facta fuerat unio hypostatica , quam significat matrimonium , quod proinde à solo Christo debuit ad dignitatem Sacramenti evchi.

Ergo in lege Evangelica sunt septem Sacra menta ut dictum est , quia sunt necessaria ad vitam supernaturalem incipiendo , augendam , & reparandam ut diximus ex Florent.

*Alia Conjectaria scholastica ex eodem principio.*

*Sacramentum est collativum gratiæ Christi.*

Ergo ex vi præsentis decreti conferunt Sacra menta gratiam , non qualemcumque sed gratiam medicinalē ; quia Christus venit ut Redemptor & Medicus.

*Sacramentum confert tantum gratiam medicinalē.*

Ergo in statu naturæ innocentis non futura fuissent Sacra menta talia , qualia nunc habemus ; in statu quippe naturæ innocentis nulla futura fuisset gratia medicinalis , nullus fuisset morbus spiritualis , natura enim fuisset perfecte sana : deinde quodlibet Sacra mentum vel legis naturæ , vel legis Mosaïcæ , vel legis Evangelicæ includit aliquid repugnans statui innocentiae , etenim *oblationis* puerorum , *Circumcisio* , *Baptismus* supponunt peccatum originale , quod tunc non fuist.

412 MORALIS CHRISTIANA.  
set. *Confusio* supponit hostes vel internos  
ve' externos contra fidem nostram, quibus  
sufficienter per gratiam Conditoris potuissi-  
mus resistere. *Agnus Pascha'is*, *Eucharistia*,  
significantes sacrificium Christi supponunt  
Christum aut venturum aut venisse, quod in  
tali statu non potest supponi. *Sacrificia ex-  
piatoria & Pænitentia* supponunt peccata mor-  
talia orta ex originali. *Extrema uncio* sup-  
ponit pariter languores ex peccato originali  
provenientes. *Ordo* repræsentat Sacerdotium  
Christi. *Matrimonium* significat unionem  
Christi cum Ecclesia. Quæ omnia non futu-  
ra fuissent in statu innocentiae, ergo nec fu-  
tura fuissent Sacraenta qualia nunc habe-  
mus.

Homo tamen in tali statu non futurus fuis-  
set impeccabilis, potuisset ergo à tali pec-  
cato liberari & quidem per Sacraenta, si Deus  
voluisset, sed per Sacraenta diversa ab iis  
quæ nunc habemus, quæ gratiam medicina-  
lem conferunt: Illa vero gratiam creatoris  
non salvatoris contulissent.

Imò loquendo de potentia ordinaria incongruum videtur quod natura perfectè sana,  
qualis futura fuisset in statu innocentiae na-  
tura humana, perficeretur sensibilibus signis  
ab ipsis recipiendo gratiam, convenientius  
enim fuisset ut eam immediatè à Deo reci-  
peret; & quamvis homo in statu innocentiae  
potuisset perfici per res sensibiles accipiendo  
ab objectis species ad cognoscendum, non  
sequitur quod potuerit perfici per res sensi-  
biles accipiendo ab illis gratiam. Natura  
enim sana, qualis erat natura inuocens, debe-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 413  
bat inimmediatè subjici Deo , ut ab eo inimmediatè gratiam reciperet, sed natura etiam innocens coalescens ex corpore & anima, qualis futura fuisset natura humana in statu innocentiae, petit accipere species ab objectis sensibilibus. Et rursus licet durante statu innocentiae futuræ fuissent herbæ medicinales in mundo , quamvis homo non futurus fuisset obnoxius morbis , non sequitur quod in eo statu futuræ fuissent medicinæ spirituales scilicet Sacra menta , quia herbæ medicinales sunt de integritate universi , ergo debuerunt esse cum universo , sed Sacra menta non sunt de integritate universi & videntur repugnare in eo statu in quo nullus fuisset morbus spiritualis, nullave inclinatio ad morbum ex peccato originali proveniens.

*In statu naturæ innocentis non futura fuissent Sacra menta.*

Ergo à sortiori nulla futura fuissent in statu naturæ puræ , aut naturæ integræ integritate naturali, si de facto existisset ille status , tunc enim natura non fuisset elevata ad ordinem gratiæ. Ergo nec potuissent esse Sacra menta producentia gratiam.

*Alla coniectaria scholastica ex eodem principio educita.*

*Sacramentum est collativum gratie Christi.*

Ergo Deus est causa principalis, Christus est instrumentum conjunctum cum divinitate ; & Sacramentum est instrumentum separatum, quia gratia ut potè participatio naturæ divinæ non potest principaliter produ-

ei nisi à solo Deo. Et si producatur ab humanitate Christi , producitur tanquam per instrumentum conjunctum , quia humanitas Christi est conjuncta personaliter cum verbo divino. Et si producatur per Sacramentum, producitur tanquam per instrumentum separatum. Quia Sacramentum est separatum supposito à Divinitate.

*Gratia Sacramentalis producitur principallyer à Deo & ab humanitate Christi tanquam per instrumentum conjunctum & per Sacramentum tanquam per instrumentum separatum.*

Ergò Sacra menta tum legis naturæ, tum legis Mosaicæ, tuni legis Evangelicæ , agebant in virtute Christi , & moveri debuerunt à Christo , quia omne instrumentum separatum movetur ab instrumento conjuncto, sic calamus-movetur à manu.

*Omne Sacramentum legis naturæ, Mosaicæ, & Evangelicæ moveri debet à Christo.*

Ergò moveri debuit , vel moraliter , vel phisice , quia omne instrumentum separatum vel est phisicum vel morale, & ita moveri debet vel phisicè , vel moraliter.

*Omne Sacramentum legis Naturæ, Mosaicæ, & Evangelicæ debuit moveri à Christo vel moraliter vel phisicè.*

Ergò Sacra menta legis naturæ vel legis Mosaicæ moveri tantum potuerunt à Christo moraliter; quia cum hæc Sacra menta non supponerent Christum existentem sed extitum , non poterant moveri à Christo nisi ut venturo & proinde moraliter & objectivè.

Sacra menta verò legis Evangelicæ ut poterint

TRACT. DE SACRAMENTIS. 415  
supponentia Christum existentem & passum  
possunt moveri phisicè.

*Sacramenta legis Evangelicæ possunt à Christo  
moveri phisicè.*

Ergò non malè afferitur à Thomistis Sacra-  
menta legis Evangelicæ esse instrumenta  
phisica mota phisicè à Christo.

1º. Quia non repugnat quod moveantur  
phisicè à Christo ut potè realiter existente,  
& elevante ea Sacramenta per virtutem rea-  
lēm & phisicam ipsis communicatam.

Christus enim licet in cœlis existens potest  
Phisicè moveare Sacramenta collata interris;  
quia instrumentum divinum potest agere in  
distans. 2º. Causalitas phisica maximè est con-  
veniens ex parte Dei & ex parte creaturæ; ex  
parte quidem Dei, eo quod ejus omnipoten-  
tia maximè enitescat, Phisicè elevando res-  
tam debiles ad productionem gratiæ. Ex  
parte verò creaturæ, quia creatura conci-  
piendo Sacramentis inesse vim spiritualem  
productivam gratiæ, fidem excitat, spem ro-  
borat, & charitatem accendit: fidem quidem,  
dum rebus tam debilibus divinam virtutem  
inesseret credit: spem verò, dum rebus adeò  
infirmis se posse justificari confidit: Charita-  
tem verò quam maximè, dum rebus sensibili-  
bus, quibus à divino amore sensim averteba-  
tur, sensim è contra per eadem sensibilia ad  
divinum amorem se inflammari sentit. 3º.  
Quia causalitas phisica adscripta Sacramen-  
tis videtur esse conformior scripturæ, patri-  
bis, & Conciliis; que ubique clamant Sa-  
cramenta legis Evangelicæ esse causam gratiæ,  
sicuti aqua calefacta est causa caloris, &c.

416 MORALIS CHRISTIANA,  
Causa enim phisica, absolute est causa, mortalis vero non est causa nisi secundum quid ut dicunt.

*Sacmenta legis Evangelicæ sunt instrumenta phisica gratiæ.*

Ergo oportet ut recipiant virtutem phisicam spiritualem productivam gratiæ, si enim Deus velit ut creatura agat, debet illi dare virtutem agendi v. g. si Deus velit ut ignis calefaciat, debet illi dare virtutem calefaciendi, nec ad hoc sufficit concursus extrinsecus quantumvis specialis, quia idem manens intrinsecè idem semper facit idem, intrinsecè & phisicè. Itaque virtus recepta in Sacramento, quæ sit potens ad producendam gratiam, debet continere effectivè gratiam vel secundum formam similem ut ignis ignem, vel secundum formam eminentiorem, ut sol effectus sublunares, vel secundum formam instrumentariam eo modo quo penicillus continet vim artificiosam dispergendi colores. Et eo modo quo vox materialis continet vim excitantem animam ad intelligendum. Sacmenta non continent gratiam neque secundum formam similem, neque secundum formam eminentiorem; quia non sunt causæ principales gratiæ: ergo continent illam secundum virtutem instrumentariam, quæ virtus instrumentaria debet esse phisica si Sacmenta producant gratiam phisicæ & quod ut supponimus est possibile & congruum, & modo, quo sancti patres efficientiam Sacmentorum exponunt, conforme.

*Sacmenta legis Evangelicæ recipiunt*

(ii. o. o.)

TRACT. DE SACRAMENTIS. 417  
*virtutem phisicam gratiae productivam.*

Ergò illa virtus recipitur in Sacramento tanquam in aliquo successivo; si enim Sacramentum consideretur, quatenus constat rebus & verbis, est aliquid successivum cum actio elementi sensibilis. v. g. ablutio in baptismo, Chrismatio in confirmatione, &c. sit aliquid successivum, & cum verba pariter non proferantur nisi successivè.

*Virtus productiva gratiae, quæ recipitur in Sacramentis, recipitur tanquam in aliquo successivo.*

Ergò Sacra menta non producunt gratiam nisi in ultimo instanti extrinsecè terminativo ut dicunt, id est, quando verum est dicere completum est Sacramentum; Nec est enim natura entis successivi, ut effectum suum non producat nisi postquam completum est. Deinde Sacra menta non producunt gratiam nisi media significatione; quia efficiunt quod significant, significatio autem Sacramenti non est completa nisi postquam peractum est Sacramentum.

*Ad strusa isthac sunt, quæ scire forte non est magnæ utilitatis, sed hæc ignorare aliquando ignominie vertitur, ideo libuit ea non omittere, sed ad utiliora veniamus. Ideo sit.*

ARTICULUS VII.

*De Sacramento quatenus est causa characteris.*

Propositio unica. *Sacramentum est signum religionem nutriendis.*

Probatur 1°. quia nihil aliud intelligimus per Sacramentum.

2<sup>o</sup>. Patres vocant Sacraenta ritus adunantes homines in unam religionem nempe Christianam.

3<sup>o</sup>. Ratione. Sacraenta sunt instrumenta Christi, ergo ad idem ordinantur, ad quod Christus ordinabatur; Christus autem venit ut homines per Sacraenta sanctificaret, & ut eos suis Sacramentis in eadem religione vinciret.

4<sup>o</sup>. Sacraenta sunt in lege Evangelica, quod erant sacraenta in lege Mosaiica: ergo sicuti sacraenta legis Mosaiicæ Iudeos in eadē religione adunabant, ita sacraenta novæ legis adunant Christianos in religione Christiana.

### *Consecratio prædicti principii.*

*Sacramentum est signum Religionem nutriendis.*

Ergo per sacraenta novæ legis Christiani deputantur ad exercendum validè ea, quæ pertinent ad cultum christianum; etenim Sacramentum non aliter fovet christianam religionem, quam deputando homines ad exercendum validè ea, quæ pertinent ad christianam religionem.

*Per Sacraenta novæ legis Christiani deputantur ad exercendum validè ea, quæ pertinent ad cultum christianum.*

Ergo quædam sacraenta novæ legis debent imprimere characterem spiritualem, id est entitatem positivam, indelebilem, distinctam realiter à gratia, quā Christiani deputantur ad exercendum validè cultum religiosum; deputatio enim veniens à Deo est.

TRACT. DE SACRAMENTIS. 419  
effectiva ponens in creatura, quæ deputatur, entitatem positivam, per quam exercere possit valide id, ad quod deputatur, sicuti videmus, quod dum Deus ordinat causas naturales ad aliquem effectum. v. g. Ignem ad calefaciendum, solem ad illuminandum, ponit in illis creaturis vim positivam, per quam possint producere effectus, ad quos ordinantur.

Deinde sicuti saeramentum faciens nos amicos Dei speciales, imprimet in anima entitatem realem & positivam dilectionis, nempe gratiam, ita specialiter deputans nos ad cultum Dei debet imprimere in anima entitatem positivam deputationis, nempe characterem; voluntas enim Dei deputans non est minus effectiva, quam voluntas Dei amans.

2<sup>a</sup>. Sicuti in Republica civili, deputatis à Rege datur quidam character exterior, quo exterius distinguntur deputati à non deputatis; ita in Republica Christiana, cuius decor est magis internus quam externus deputatis à Deo debet dari character specialis, qui totus internus sit, & soli Deo qui deputat cognitus.

Et sicuti circumcisio in veteri lege imprimebat characterem exteriorem, idemque faciebat deputatio ad sacerdotium Aaronicum; ita quædam sacramenta legis Evangelicæ ut potè perfectione, & non in externa, & legali perfectione sita, debent imprimere characterem positivum & interiore.

3<sup>a</sup>. Quia ita docent Patres, nempe Dionisius citatus à Divo Thoma, Aug. qui contra Donatistas non aliter probat baptizan-

tos ab infidelibus non esse rebaptizandos; nisi quia et si non receperint, inquit, gratiam, tamen receperant characterem: & psal. 39. sic loquitur: *Baptismus ille tanquam character infixus est; ornabat militem, convicit desertorem.* Idem docent Hieronimus, Cyrius, &c.

*Quædam Sacra menta novæ legis producunt characterem, quo deputamur ad validè exercendum ea quæ pertinent ad cultum christianum.*

Ergo Baptismus, Confirmatio & Ordinationum imprimunt characterem; etenim per illa tantum tria sacramenta deputamur specialiter ad cultum Dei, nam per Baptismum deputamur ut *domestici*, per Confirmationem ut *militis ex officio decertaturi*, & per Ordinem ut *Prælati in Ecclesia præficiendi*. Ita docet Testul. de Baptif. cap. 13. & Hieronymus in cap. 4. ad Ephesiós, & Trident. sess. 7. can. 9. ita habet: *Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indeleibile, unde ea iterari non possunt. ana. hæma sit.* Demū habemus ex praxi Ecclesiæ, quod illa tria sacramenta non iterentur: ergo quod characterem imprimant indeleibilem; non enim talis est deputatio veniens à Deo, qualis est deputatio veniens ab homine; hæc cessat & perit; quia officium ad quod homo deputatur in Republica civili est temporale, illa vero nunquam cessat; quia officium ad quod deputamur in Ecclesia est perpetuum sicuti Ecclesia.

## ARTICULUS VIII.

## DE NATURA CHARACTERIS.

*Articulus iste continet solum quæstiones scholasticas, qui eas parvi faciunt; poterunt illum omittere, qui verò eas non designantur, poterunt hunc articulum, si ita libuerit, legere.*

*Propositio unica. Baptismus, Confirmatio & Ordo producunt characterem, quo fideles designantur ut domestici, ut milites ex officio decertaturi, ut Praelati in Ecclesia, & haec omnia ad exercendum validè cultum Dei. Totum hoc patet ex supra dictis.*

*consecaria prædicti principii.*

Ergo character sumptus generice est entitas designativa, sumptus specificè est potentia, vel passiva, vel activa.

1º. Sumptus generice est entitas designativa; quia designat nos ad cultum Dei exercendum validè.

Sumptus specificè est potentia, vel passiva, vel activa; per characterem enim sumus capaces validè recipiendi & exercendi Sacra menta quæ ad cultum Dei pertinent.

Sic character Baptismatis est potentia passiva efficiens nos capaces validè recipiendi Sacra menta.

Sic character confirmationis est potentia activa efficiens nos milites, in Christiana religione ex officio Decertaturos.

Sic character ordinis est potentia activa efficiens nos potentes conficiendi & ministrandi validè Sacra menta.

*Character sumptus genericè est entitas designans nos ad cultum Dei validè exercendum.*

Ergo debet poni in prædicamento qualitatis in specie potentiarum ; quia ad nullum aliud prædicamentum potest melius reduci ut ista inductione patebit.

1°. Non potest poni in prædicamentis continentibus res materiales v. g. in prædicamento quantitatis , situs , ubi , quando , truncationis , actionis & passionis ; quia illa omnia sunt materialia , character vero est aliquid spirituale .

2°. Non potest poni in prædicamento substantiarum ; quia non datur substantia supernaturalis creata .

3°. Non potest poni in prædicamento relationis ; quia relatio , neque est activa , neque passiva , sed solum ordinativa subjecti ad terminum correlatum : character vero est , vel activus , vel passivus ; ergo restat quod ponatur in prædicamento qualitatis .

In qualitate autem sunt quatuor species , potentia & impotentia , habitus & dispositio , passio & patibilis qualitas , forma & figura .

Character non est passio & patibilis qualitas ; quia qualitas illa est materialis ut poterit causans alterationem sensibilem , vel causata ab alteracione sensibili ; character vero est spiritualis .

Character non est pariter forma vel figura ; quia haec qualitas ut poterit sequens ex quantitate est materialis & sensibilis , character vero est spiritualis .

Ergo

Ergo sequitur quod character sit *potentia*, vel *impotentia*, *habitus*, vel *dispositio*. Character autem.

1<sup>o</sup>. Non est dispositio; quia *dispositio* est facile mobilis à subjecto, character vero est difficile mobilis utpote indelebilis. Nec dici potest quod character sit *habitus*; quia habitus determinat ad bene vel male v. g. habitus bonus speculativus determinat intellectum ad infallibiliter cognoscendum, habitus malus speculativus, v. g. error determinat ad erronee cognoscendum; habitus bonus practicus, v. g. prudentia determinat intellectum ad bene moraliter agendum; habitus malus v. g. imprudentia determinat ad agendum male moraliter; habitus bonus voluntatis v. g. justitia determinat ad agendum bene moraliter v. g. justè; habitus malus v. g. injustitia determinat ad agendum male moraliter. Ast character non determinat ad bene vel male, licite vel illicitè, quod pertinet ad *habitum*, sed determinat ad validè agendum, quod pertinet ad *potentiam*.

2<sup>o</sup>. Habitus non est receptivus alterius habitus, bene tamen character; nam character Baptismatis recipit characterem confirmationis.

3<sup>o</sup>. Habitus intendit & remittit, character vero nec intendit, nec remittit; character enim æquè intensus est in subjecto quod recenter informat ac intensus sit in subjecto quod informat à longo tempore. Sic Sacerdos recenter ordinatus, non est minus potens ad consecrandum, quam sit Sacerdos

à longo tempore ordinatus.

Ergo cum character sit in specie qualitatis, nec sit *passio*, vel *potentia* qualitas, forma vel figura, habens vel dispositio, restat quod sit in specie potentiae, vel *impotentiae*, & quia non est debilis virtus uti *potentia*; sequitur absolute quod sit *potentia*. Ideo videmus quod habeat proprietates potentiae, est enim principium simpliciter necessarium ad valide agendum uti *potentia*. Est etiam determinabilis ad bene vel male, licite vel illicite agendum uti *potentia*, non habet contrarium, sed est susceptivus contrariorum ut *potentia*.

Si autem character non resultet ab essentia sicut solent resultare potentiae naturales, hoc ideo fit; quia non datur substantia supernaturalis creata, sicut datur substantia naturalis creata.

Scholasticas illas questiones consultò nolui omittere, tum quia traduntur à gravibus Autoribus, tum quia circa eas non raro interrogantur Clerici ab Examinatoribus. Qui eas inutilles crediderit, dignetur eas legere, qui verè sibi voluerit quid circa hujusmodi quæsita dicant homines, cursim prædictum legal articulum.

## ARTICULUS IX.

*De Sacramento ut valido, ut fructuoso,  
ut informi, ut reviviscenti.*

*NOTA.* Tunc sacramentum est validum quando habet omnia requisita ad essentiam & integratem sacramenti. Quatuor autem

requiruntur ad sacramentum constituendum, scilicet materia & forma, intentio in conferente, & intentio in recipiente adulto; sacramentum enim quatenus compositum morale, constat essentialiter materia & formâ moraliter unitis, sicuti compositum physicum, constat materiâ & formâ physicè unitis. Quatenus est exercitium cultus religiosi, requirit intentionem in conferente & in recipiente adulto; cultus enim religiosus non potest involuntariè, & sine intentione exerceri.

Tunc Sacramentum est fructuosum recipienti, quando producit in recipiente gratiam, ad quam ordinatur, v. g. baptismus est fructuosus, quando regenerat baptizatum.

Tunc Sacramentum est fructuosum conferenti, quando conferens non peccat, sed sancte operatur, & placet Deo per talam collationem.

Tunc Sacramentum est validum & informe, quando habet omnia requisita ad constitutivam sacramenti, & tamen non producit gratiam in recipiente: vocatur validum; quia habet omnia requisita ut sit sacramentum; vocatur informe, quia caret gratiâ quæ est forma extrinseca sacramenti, ut dicunt.

Tunc Sacramentum est reviviscens, quod licet infructuosum recipienti ob indispositionem stantem in recipiente, dum actualiter conferetur sacramentum, tamen recedente illa indispositione, incipit producere suum effectum in recipiente.

## ARTICULUS X.

*De requisitis ex parte recipientis ad hoc ut  
Sacramentum sit validum.*

Propositio unica. *Sacramentum est signum  
sensibile, &c. conferendum soli homini viato-  
ri, seu solus homo viator potest recipere Sa-  
cramentum.*

Probatur. 1°. Nihil aliud intelligimus per sacramentum nisi cœremoniam sensibilem quæ solis hominibus viatoribus conferri debeat.

2°. Ex praxi Ecclesiæ sacramentum confertur solis viatoribus.

3°. Soli viatores possunt recipere gratiam medicinalem, & cultum exercere religiosum conduceantem ad gloriam, ad quem dupli-  
cem effectum sacramenta ordinantur: ergo soli viatores possunt recipere sacramenta.

4°. Christus auctor sacramentorum venit ad redimendos solos homines viatores: ergo solus homo viator potest recipere sacra-  
menta.

*Solus homo viator potest recipere sacramenta.*

Ergo si recipiens sit adultus, debet liberè consentire receptioni sacramenti, & non po-  
sitivè contradicere; viator enim quatenus viator, agit ex electione, cum agat supposi-  
ta intentione tendendi in finem, si agat ex electione: ergo agit liberè consentiendo sa-  
cramentis, quibus pervenitur ad gloriam.

5°. Ex Ecclesiæ praxi constat quod non  
dantur sacramenta nisi consentientibus. Im-

TRACT. DE SACRAMENTIS 427  
nisi ardenter, & perseveranter postulantibus,  
ut patet ex Cathecumenis.

3. Receptio sacramenti est actio humana obligans ad vivendum conformiter ad finem sacramenti, actio fidei protestativa; quæ omnia postulant necessariò actu possumus, & non negativum dumtaxat, quem sufficere falsò putat Cajetanus; receptio enim sacramenti, non est mera passio, sed voluntaria receptio.

4<sup>a</sup>. Augustinus dicit, *Neminem renasci ex aqua, nisi volentem & petentem se baptismum, si sit adultus, vel per Ecclesiam matrem, si non sit a Iustus & proinde requiritur in recipiente positivus consensus. Ideo Innoc. 3. cap. Majores ita habet: requiriatur, inquit, ut Sacramentum obicem voluntatis contrarie non inveniat obfidentem.*

*Si recipiens sit adultus, debet libere consentire receptioni Sacramenti.*

Ergo ex hoc duo sequuntur conseq*u*atoria hinc subjecta.

I. Si quis exteriùs simularet se velle recipere Sacramentum v.g. Baptismum, confirmationem, &c. Et interius nollet positi*ve* recipere Sacramentum, coram Deo Sacramentum nullum esset; quia recipiens non habet intentionem necessariam ad Sacramenti receptionem, exteriùs tamen in foro Ecclesiastico posset cogi ad observandam legem Christi & Ecclesie; quia Ecclesia non iudicat contentiosè nisi de exterioribus.

II. Siquis exteriùs contradiceret collationi sacramenti, interius tamen vellet sacramentum positivè recipere, sacramentum

est validum coram Deo; quia recipiens verè, ut supponitur, haberet intentionem recipiendi sacramentum & sacramentum haberetur ut nullum coram Ecclesia; quia Deus intuetur eorū; Ecclesia verò solū de exteriobus judicat.

*Qui exteriū simularet se velle recipere Sacramentum & interiū dissentiaret, reverā Sacramentum non reciperet: & è contra qui interiū consentiret, & exteriū simularet se nolle recipere Sacramentum reverā Sacramentum susciperet.* Ex duplice illo consecratio sequitur quod si intentio adulti recipientis Sacramentum sit interna & absoluta sufficit ad valorem sacramenti; quia intentio interna & absoluta habet omnia requisita ut dicatur vera intentio.

*Si intentio recipientis Sacramentum sit interna & absoluta sufficit ad valorem Sacramenti.*

Ergo qui ex metu recipit sacramentum validē recipit; quia metus facit solū involuntarium secundum quid; quod enim ex metu volumus absolutē volumus.

*Qui ex metu recipit Sacramentum validē recipit.*

Ergo qui ex metu recipit sacramenta, potest cogi per pœnas Ecclesiasticas ut vivat conformiter ad finem sacramenti suscepti; quia simpliciter, & absolutē liberè voluit suscipere sacramenta, & proinde se obligare advivendum conformiter ad finem sacramenti.

Sic Judæi, qui olim ex metu incusso per edicta Regis Hispaniæ Baptisma receperant, justè cogi poterant ad observandas leges Ec-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 427  
clēsiæ, ut determinavit Concilium Toletanum IV. relatum distinctione 45. can. de Jūdæis baptizatis.

Sic hæretici, Calvinistæ qui ex metu receperunt Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, possunt cogi ut vivant conformiter ad illa sacramenta.

Sic qui ex humilitate videntur recusare recipere ordines; tamen si ordinentur, censentur verè ordinati, & possunt & debent exercere munia ordinis suscepiti, quia omnibus pensatis absolutè voluerunt se subiecere Episcopo ordinanti.

Sic ordinati subdiaconi ex metu possunt cogi ut vivant conformiter ad finem saecamenti. Non tamen tenentur ex vi voti annexi subdiaconatui servare castitatem; quia votum subdiaconi ex gravi metu elicatum est nullum cap. Perlatum, de iis quæ ex vi metusve causa fiant. Etenim ut ait Sotus quanivis habeant libertatem, quæ sufficiat ad voluntarium simpliciter, non habent libertatem sufficientem ad eliciendum votum solemae; Ecclesia enim, quæ ut ministra Dei ius habet limitandi formas votandi saltem solemniter, non acceptat votum sollempne illius qui votet coactus ex metu gravi cadente in constantem virum.

## ARTICULUS XI.

*De requisitis ex parte Ministri ad hoc ut Sacramentum sit validum.*

Própositio unica. *Sacramentum est signum sensibile, &c. Conferendum per ministrum ad hoc deputatum; seu Sacramentum debet conferri per ministrum deputatum à Christo.*

Probatur 1. Quia nihil aliud intelligimus per Sacramentum nisi cœmoniam quæ conferri debeat per ministrum ad hoc deputatum à Christo.

2º. Sicuti in sacerdotio: *Nemo assumit sibi honorem, Sacerdotii, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ita neque in collatione Sactamentorum nemo potest administrare Sacraenta nisi deputetur à Christo.*

3º. Minister Sacramentorum est instrumentum Dei & Christi, & delegatus Dei & Christi: ergo debet deputari à Deo, & à Christo; quia delegatus non potest agere nisi deputetur.

4º. Sicuti nemo adunat validè subditos in obsequium Regis, nisi qui deputatur à Rege; ita minister non potest per Sacraenta adunare homines in christianam religionem, nisi deputetur à Deo & à Christo.

*Minister Sacramenti debet agere ut deputatus à Deo & à Christo.*

Ergo ad valorem Sacramenti necessarium est ut minister conficiens vel conferens Sa-

eramenta habeat intentionem internam , vel  
actualen , vel virtualem , vel explicitam , vel  
implicitam faciendi aetum Sacramentalem ,  
quatenus sacramentalem , id est quatenus  
*Sacrum in se* , vel *habitum ut sacram apud*  
*christianos*: Minister enim Sacramenti agit ut  
deputatus a Christo & Ecclesia : ergo debet  
habere intentionem faciendi quod facit Ec-  
clesia , sicut deputatus a Rege , & agens  
nomine Regis habet intentionem faciendi  
quod jussit Rex , alia Rex ejus acta non  
haberet rata , sed annullaret & rescinderet .  
Deinde minister Sacramenti agit ut instru-  
mentum non quidem inanimatum qualis est  
aqua , sed ut instrumentum animatum , &  
intellectuale qualis est substantia cogitans :  
ergo ut ait D. Th. debet agere liberè &  
se ipsum determinare per rationem & proin-  
de per intentionem , id est , per proposi-  
tum aliquid faciendi quod propositum est ; si  
sit actu præsens vocatur *intentio actualis* ,  
si non sit actu præsens , sed remaneat in ali-  
quo opere elicito ex vi prioris actionis , dicitur  
*intentio virtualis*. Quod propositum si  
fuerit expressum , & reflexum , dicitur *in-*  
*tentio explicita* , si non fuerit expressum , sed  
tantum conjunctum cum opere quod condu-  
cit , ad id quod intenditur , dicitur *inten-*  
*tio implicita* , v. g. ego propono celebrare  
Missa , en *intentio actualis* , ego propo-  
fui Missam celebrare , & non cogitans de  
Missa dico Breviarium , paro ornamenti ;  
en *intentio virtualis*. Ego actu expresso &  
reflexo dico , volo celebrare missam ; en *in-*  
*tentio explicita*. Ego intendens celebrare  
missam confiteor mea peccata , facio Po-

nitentiam injunctam, sumo vestes sacerdotales, &c. nihil expressè cogitans de Mis-  
sa; en intentio implicita.

*Minister Sacramenti debet habere intentio-*  
*nem internam, vel actualē, vel virtualem*  
*vel explicitam, vel implicitam, faciendi actum*  
*Sacramentolem quatenus Sacramenta-lem, id est*  
*quatenus est ritus ficer, vel habetur ut ficer*  
*apud christianos.*

Ergo ex hac illatione quinque consecra-  
tia h̄ic subjecta inserri possunt.

CONSECTARIUM I. Ut minister va-  
lide conferat aut conficiat Sacmentum, de-  
bet ritum Sacmentarū exercere ut Sa-  
cramentalē, id est, debet eam cōrēmo-  
niā exercere, vel quia Christus instituit  
talem, vel quia Ecclesia eam proponit ut  
talem, vel quia Apostoli usi sunt tali cō-  
rēmonia; vel deīnum quia h̄ec cōrēmonia  
est sacra, aut saltem habetur, ut sacrā apud  
christianos. Cum enim actio Sacmentalē in  
se spectata sit indifferens, ad multosque fines  
referri valeat, v. g. ablutio potest fieri causā  
recreationis, ut qui ludendo abluunt se se,  
item potest fieri causā sanitatis, ut qui in  
balneis lavant se, vel potest fieri idololatriæ  
exercendæ causā, ut qui apud paganos aquis  
lustralibus aspergebantur: ergo ut actio il-  
la restringatur ad esse Sacramēti debet exerce-  
ri, vel quatenus instituta à Christo, qui  
est author Sacmentorum, vel quatenus  
exercita ab Apostolis qui illum ritum rece-  
perunt à Christo, vel quatenus cōrēmo-  
nia proposita ab Ecclesiā Christi, vel deī-  
num quatenus ritus qui habetur ut ficer  
apud christianos.

CONSECTARIUM II. Ut minister valide Sacramentum conferat , aut conficiat, non sufficit , quod actio Sacramentalis fiat solum *Phisicè* , id est quod adhibeat materia & forma sine ullâ intentione internâ voluntatis , qualis esset actio amantis , vel dormientis , vel ebrii qui projiciens aquam supra puerum diceret : *ego te baptizo* , &c. quia actio *Phisica* præcisè ut *Phisica* nullam includit intentionem internam, alias esset *Moralis* & non *Phisica* solum. Deinde Christus eligendo ministros Sacramentorum , elegit non amantes , nec ebrios , non dormientes , sed Apostolos , quos voluit in conferendis Sacramentis humano modo agere & proinde actiones Sacramentales non *Phisicè* solum , sed etiam moraliter exercere.

CONSECTARIUM III. Ad valorem Sacramenti non sufficit quod actio Sacramentalis fiat moraliter *Derisorie* , qualis esset intentio illius , qui non serio , sed *focose* actiones Sacramentales perageret in theatro aut alibi ; quia intentio jocularis & derisoria non est intentio interna exercendi cærimoniam institutam à Christo & ab Ecclesia usurpatam , sed est intentio ridendi cærimonias Christi & Ecclesiæ ; deinde Christus eligens Apostolos tanquam ministros suorum Sacramentorum ait illis loquens de baptismō: *Euntes docete omnes gentes* , loquens de pœnitentia: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis* , loquens de Eucharistia: *Hoc facite in meam commemorationem* , docere autem ignaros , judicare peccatores.

recolere Christi mortem, sunt actiones non joculares, sed maximè graves & seriae.

Et sicuti inforenibus causis actus publicus *Derisorie* & *Joculariter* factus v. g. testamentum quod testator *Derisorie* in theatro dictaret, aut quod tabellio in eodem theatro *Derisorie* scriberet, haberetur ut nullum & aninvalidum. Ita & nullum censeri debet *Sacramentum Derisorie* & *Joculariter* consecutum.

Nec obstat exemplum Genesii comici *Derisorie* & *Joculariter* petentis baptismum in theatro, ut rideret cæmonias Christianorum; nam *Jocosè* baptismum petiit, & repente per gratiam mutatus *Serio* recepit. Quod si constaret *jocosè* recepisse baptismum, *Sacramentum* esset nullum & Genesius iustificatus fuisset non per baptismum *Jocosè* collatum, vel receptum, sed per martyrium, quod sanctus ille pro Christiana Religione sustinuit.

Nec obstat etiam actio Athanasii pueri baptizantis pueros, cum quibus colludebat: tum quia juxta Chronologiam Eusebii & Hieronimi tunc Athanasius ad minus decimuni ætatis annum attigerat & proinde non pueriliter & ludendo, sed *Serio* infantes illos baptizaverat, tum quia interrogatus ab Alexandro respondit se voluisse facere quod fiebat in Ecclesia, tum quia sollicitudo Alexандri inquirentis an Athanasius, vel *joco*, vel *Serio* infantes baptizaverat denotat necessarium esse ad valorem Sacramenti, ut actio fiat non *jocosè*, sed *Serio*; quorsum enim sollicita illa inquisitio, si perinde se haberet.

TRACT. DE SACRAMENTIS. 435  
beret collatio Sacramenti, sive jocularis, sive  
seria.

CONSEC TARIUM IV. Ad valorem  
Sacramenti non sufficit intentio operis ut di-  
cunt, seu non sufficit ut actio Sacramentalis  
fiat solùm exterius seriò & graviter, qualis  
esset actio illius ministri qui ob motiva po-  
litica conficeret Sacramentum seriò & gravi-  
ter metuens privari redditibus ecclesiasticis, si  
joculariter actionem Sacramentalem perage-  
ret; ideo exterius graviter se gereret, priva-  
tā tamen intentione vellet actionem illam  
fieri non quatenus Sacramentalem, sed præ-  
cisè quatenus externam. Quippe non sufficit,

ad valorem Sacramenti, ut opus Sacra-  
mentale fiat uti opus qualemque scirum, sed ut  
fiat quatenus fieri consuevit in Ecclesia;  
quia intentio terminata ad opus præcisè ex-  
ternum non est intentio faciendi cæremoniā  
à Christo institutam & ab Ecclesia usurpatam.  
Deinde ex Florentino & Trid. requiritur in-  
tentio faciendi quod facit Ecclesia. Et ex Tri-  
dent. requiriatur intentio seriò & verè absolu-  
vendi. Ecclesia autem non facit opus Sacra-  
mentale quatenus externum præcisè, sed  
quatenus est cæremonia à Christo institu-  
ta. Deinde Alexander octavus damnavit se-  
quentem propositionem: *Valeit baptismus*  
*collatus à ministro, qui omnem ritum externum*  
*formamque baptizandi observat, intus vero*  
*in corde suo apud se resolvit, non intendo facere*  
*quod facit Ecclesia.*

Nec obstat quod Divus Thomas hic ad 2.  
agit sufficere intentionem Ecclesiæ, quæ in  
verbis ministri exprimitur, modo contrarium

exterius non exprimatur, hoc enim dicit ut  
notat P. Nicolay, ut ostendat non requiri  
in ministerio speciale intentionem, sed suf-  
ficere generalem intentionem conformandi  
se Ecclesiae.

CONSECTARIUM V. Ad valorem Sacramenti  
non est necesse quod minister intendat effec-  
tum Sacramenti, v. g. productionem gratiarum,  
vel characteris; quia quantumvis perversa  
sit hæc intentio, si adsit intentio faciendi  
quod facit Ecclesia, Sacramentum est vali-  
dum & producit suum effectum, si recipiens  
sit bene dispositus; quia intentio terminata  
ad Sacramentum est quidem necessaria ad va-  
lorem Sacramenti, ut dicit Florentinum; Sa-  
cramentum enim perficitur ex materia & for-  
ma & persona ministri: intentio vero termi-  
nata ad effectum Sacramenti non est neces-  
saria ut producatur effectus Sacramenti; talis  
enim intentio supponit Sacramentum jam  
constitutum.

Et si intentio Sacerdotis qui vellet verè  
baptizare puerum, ut postea consecraret il-  
lum Diabolo, vel qui vellet consecrare hos-  
tiā, ut ea hostiā uteretur ad magiam: in  
utroque casu verè Sacramentum confice-  
ret.

Sic Hæreticus Calvinista qui confert bap-  
tismum credens quod baptismus non confe-  
rat neque gratiam neque characterem, imo  
optans ut non producat tales effectus, imo  
paratus non confidere Sacramentum, si Sacra-  
mentum tales effectus esset productum, ve-  
re conficit Sacramentum & Sacramentū ha-  
bet suos effectus; etenim perversa illa inten-

TRACT. DE SACRAMENTIS. 437  
rio non terminatur ad entitatem Sacramenti,  
sed supervenit Sacramento jam constituto in  
suo esse.

Alia consecratio ejusdem principii.

Minister Sacramenti debet esse deputatus à  
Deo & à Christo & habere intentionem facien-  
di quod jussit Christus & quod facit Eccle-  
sia.

CONSECTARIUM I. Ergo omnis  
creatura intellectualis potest validè admini-  
strare Sacra menta ; quia quatenus creatura  
subdita Deo & Christo potest deputari à  
Deo & à Christo , & quatenus intellectua-  
lis potest habere intentionem faciendi quod  
jussit Christus & quod facit Ecclesia ; meus  
enim est principium intentionis.

Et ita Angeli & homines possunt esse mi-  
nistri Sacramentorum ; quia sunt creaturæ in-  
tellectuales , quiā possunt deputari à Deo.

Angeli tamen sunt ministri extraordinarii , homines verò ministri ordinarii ; quia  
convenientius est homines esse ministros ordi-  
narios , quam Angelos.

1<sup>o</sup>. Convenientius ex parte Christi ; quia  
Christus utpote homo & non Angelus pe-  
tit influere in homines utendo potius ho-  
minibus quam Angelis.

2<sup>o</sup>. Convenientius ex parte hominum ; quia  
homines petunt potius habere commercium  
cum hominib<sup>z</sup> quam cum Angelis. Ideo dicit  
Paul. ad hebreos. Non enim Angelis subjecit  
Deus orbem terræ futurum de quo loquimur. Id  
est Ecclesiam. Chrys. hom. 38. de Petro & Elia.

Q q ij

*Non posuit verbum reconciliationis in Angelis,  
sed in hominibus. 2. ad Cor. 3. Episcopi po-  
testatem acceperunt, quam Deus neque Angelis,  
neque Archangelis dedit, non enim ad eos dictum  
est: quodcumque alligaveritis, &c. Chrys. 3. de  
Sacerd. cap. 5.*

3'. Convenientius ex parte gratiæ Sacra-  
mentaloris, quia congruum est ut Sacramen-  
ta quæ sunt vasa continentia gratiam, non  
conditoris, sed Redemptoris conferantur  
ab hominibus, qui habent gratiam Redemp-  
toris, quam ab Angelis qui non habent nisi  
gratiam conditoris.

4'. Convenientius ex parte etiam Sacra-  
mentorum legis Evangelicæ; lex enim Mo-  
saica fuit quidem in dispositione Angelo-  
rum act. 8. minime vero Evangelium.

C O S E C T A R I U M. I I. Homines sunt  
ministri ordinarii sacramentorum.

Ergo congruum est quod effectus Sacra-  
mentorum non suspendatur, nec per infide-  
litatem ministri, nec per ejus malitiam, modo  
minister intendat facere quod facit Ecclesia;  
quia cum homo qui est minister ordinarius Sa-  
cramentorum sit longè proclivior ad vitium  
quam ad virtutem, decuit ut Deus optimus  
non permitteret effectum Sacramentorum  
per malitiam ministri retardari. Ideo dicit  
Aug. *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus  
est Dominus, & nos ab omni eo timore li-  
berat Paulus dicens. Non enim qui plantat  
est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremen-  
tum dat Deus. Deinde virtus productiva gra-  
tiæ, quæ est in ministro, est ab agente infini-  
to nimirum Deo: ergo per malitiam mi-*

TRACT. DE SACRAMENTIS. 439  
nistri non suspenditur; quia etsi minister  
malus non conjungatur cum Deo vitaliter  
per gratiam, conjungitur tamen cum Deo  
causaliter per motionem, quam accipit à  
Deo.

Sicuti enim ager fructificat, modò terra sit  
disposita, sive lotis, sive sordidis manibus  
grana projiciantur, ita Sacraenta rece-  
pta in subjecto bene disposito producunt  
gratiam, sive minister sit bonus sive ma-  
lus.

Et sicuti aquæ transeuntes per canalem  
æqualiter irrigant terram, sive canalis sit  
plumbeus, sive aureus, ita aqua gratiæ Sa-  
cramentalis æque pura defertur ad fidelem  
bene dispositum, sive transeat per bonum  
ministrum, sive malum.

Sicuti sigillus, sive argenteus, sive fer-  
reus æqualem figuram imprimit in cera be-  
ne disposita; ita minister, sive bonus, si-  
ve malus æqualiter imprimit gratiam in  
subjecto bene disposito. Et sicuti me-  
dicus, sive sanus, sive æger æqualiter  
sanat, si sequatur regulas artis, ita mini-  
ster, sive bonus, sive malus æqualiter  
sanctificat per Sacraenta, si servet quæ sunt  
de necessitate Sacraenti.

Qq 5ij

## ARTICULUS XII.

*De Sacramento valido & informi & reviviscenti.*

Propositio unica. *Sacramentum potest esse validum, & informe.* explicatur proposicio. Ut Sacramentum sit validum quatuor requiruntur, materia, forma, intentio in recipiente, intentio in conferente, ut patet ex dictis.

Ut Sacramentum sit fructuosum recipienti ultra praedicta requiritur debita dispositio supernaturalis in recipiente, ut patet etiam ex dictis.

Ergo Sacramentum potest esse validum, & informe, seu integrum in se, & fructuosum recipienti; Sacramentum enim poterit habere quatuor praedicta, quæ concurrunt ad integritatem Sacramenti, & tamen non producere gratiam in recipiente ob indispositionem recipientis: causam eniun producere effectum dicit plura, quam esse integrum in se, v. g. sol est in se integrus, & tamen ob indispositionem subjecti non semper producit suum effectum; ita Sacramentum poterit esse integrum & tamen erit informe; quando non producit gratiam, quæ est ejus forma extrinseca. Uti enim virtutes dicuntur informes, quando scilicet non conjunguntur cum charitate, ita Sacramentum dicitur informe, quando non conjungitur cum gratia.

Et sicuti pauciora requiruntur ad esse ef-

sentiale quam ad esse proprietale, & accidentale; ita pauciora requiruntur ad hoc, ut Sacramentum sit validum, quam ad hoc, ut Sacramentum sit fructuosum, seu Sacramentum poterit esse validum & infructuosum, seu informe.

*Sacramentum potest esse validum in se & infructuosum recipienti ob indispositionem recipientis.*

Ergo recedente tali fictione, seu indispositione Sacramentum producere potest gratiam, ad quam producendam ordinabatur. Sacramentum enim ut pote ordinatum ad producendam gratiam recedente indispositione impedito illius productionem potest illam producere; causa enim per se ordinata ad producendum effectum, si impediatur per obicem, recedente obice producit effectum. Sic aqua retenta remoto repagulofluit: sic sol obscuratus per nubem dissipata nube illuminat; ita Sacramentum recedente fictione poterit suum effectum habere. Id expressè docet Aug. de Bap. quam doctrinam ad alia Sacra menta quidam Theologi extendunt; Sacramentum enim, inquiunt, secundum se est opus vivificum, cum sit opus Christi, mortificatum per indispositionem recipientis: ergo potest reviviscere sublati peccato per quod mortificabatur; opus enim vivificum mortificatum reviviscit. Si opus Sacramentale possit reviviscere: ergo recedente fictione seu indispositione poterit suum producere effectum in subjecto.

*Sacramentum recedente fictione producit gratiam in recipiente.*

Ergo producit illam per virtualem permanentiam; causa enim, quæ non existit actu & tamen producit effectum, operatur per virtualem sui permanentiam; quia res instantum operatur, in quantum existit; existentia enim est conditio necessaria ad operandum.

*Sacramentum recedente fictione producit gratiam in recipiente juxta virtualem sui permanentiam.*

Ergo potest dici quod Sacramentum imprimens characterem producat Phisicè gratiam, dum reviviscit; Sacramentum vero non imprimens characterem producit solum moraliter gratiam, dum reviviscit; quia Sacramentum imprimens characterem remanet virtualiter per aliquid Phisicum, nimirum per characterem.

Sacramentum vero non imprimens characterem, non remanet virtualiter in aliquo Phisico, sed solum in aliquo morali, nimirum in aliqua designatione, per quam verum est dicere quod fidelis receperit Sacramentum, & non receperit gratiam.

*Sacramentum sive imprimens characterem, sive non imprimens, reviviscit recedente fictione, id est dum fidelis removet obicem, qui impediens productionem gratiae.*

Ergo omne Sacramentum validum, & informe reviviscit; quia reviviscere est proprium Sacramento quatenus est Sacramentum; excipitur tamen Eucharistia, cuius dignitas exigit ut sacrilegè recepta non re-

TRACT. DE SACRAMENTIS 443  
viviscat, sed reddat nos magis reos. Excipitur etiam Pœnitentia; quia eadem contritionis privatio, quæ reddit Sacramentum Pœnitentiæ informe, reddit Sacramentum nullum; cum contritio sit materia Sacramenti Pœnitentiæ: sed alia Sacra menta fierè recepta possunt juxta multos Theologos reviviscere; quippe, inquit, Sacramentum factè receptum, vel simpliciter iterari non potest, quale est Sacramentum conferens characterem, vel secundum quid iterari non potest, qualis est Extrema-uncio durante eodem morbo, & matrimonium altero vivente conju ge, & ita congruum est ut sublato obice impedi ente productionem gratiæ Sacramentum reviviscat, & gratiam producat.

### ARTICULUS XIII.

*In quo singula quæ, diximus de Sacramentis in communi, applicantur cui libet Sacramento in particulari.*

Propositio unica. Nullum est Sacramentum in particulari, cui non conveniant, quæ diximus de Sacramentis in communi, nullum pariter est Sacramentum in particulari, cui non repugnant ea, quæ diximus repugnare Sacramento in communi.

Probatur Sacramentum in particulari constituitur per easdem formalitates, per quas constituitur Sacramentum in communi; ergo Sacramento in particulari conveniunt ea, quæ conveniunt Sacramentis in communi;

disconveniunt pariter Sacramento in particuliari, quæ disconveniunt Sacramento in communi, sic nullum est Sacmentum, quod non sit signum divinitus institutum, practicum gratiæ, &c.

Sic nullum est Sacmentum, quod sit insensibile, quod sit institutum ab hominibus, quod sit non stabile, &c.

Demum quæcumque diximus de Sacmentis, possunt cuilibet Sacramento applicari; sed insuper quodlibet Sacmentum habet aliquid speciale: ideo de quolibet Sacmento agendum in particulari.

*Series hujus secundæ partis de Sacmentis  
in particulari reperitur in octavo tomo.*

*Domine Deus une, Dens Trinitas,  
quæcumque dixi in his libris de tua,  
agnoscant & tui: si qua de meo, &  
tu ignosce, & tui. Amen. Aug.  
lib. 15. de Trinit. cap. 51.*

